INTRODUCTIO IN TERRAM CARMELI, ET GUSTATIO FRUCTUUM...

Michel : de Saint Augustin, ...

Digitized by Google

NAZ. CENTR.
R. BIBLIOTECA VITT. EMAN. II
204
7 B
12
ROMA

rno

Digitized by Google

204 7 B12
5

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google



Corn. van Koukercken

Digitized by Google

204 7 B 12

Digitized by Google

INTRODUCTIO IN TERRAM
CARMELI,
ET
GVSTATIO
FRUCTUUM ILLIUS,
SEU INTRODUCTIO
Ad Vitam
VERE CARMELITICAM
SEU MYSTICAM
ET FRUITIVA PRAXIS EJUSDEM

Per quatuor Tractatus diſtinctos

operâ

Reverendi admodùm Patris

P. F. MICHAELIS A S. AVGVSTINO
Ordinis Fratrum B.V. MARIÆ de monte Carmelo Strictioris obſervantiæ Provinciæ Belgicæ Provincialis.

nduxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus, & optima quæque illins.
Jerem. 2. num. 7.

BRUXELLIS,
ypographia FRANCISCI VIVIEN, ſub ſigno boni Paſtoris. 1659.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

MARIA.

REVERENDISSIMO PATRI
PATRI MARIO
VENTVRINO
SACRÆ TH. MAGISTRO
PRIORI GENERALI
ET VISITATORI APOSTOLICO
TOTIVS ORDINIS
CARMELITARVM.

Reverendiſsime Pater.

COgitanti mihi, cui inter mortales (nam Deo & Virgini Matri amabili omnia mea primariè cōſecrata ſuppono) hoc Lilium ortum inter ſpinas, hoc inquam, o-

Digitized by Google

puſculum inter ſpinas ſollicitudinum & occupationum officii mei elucubratum dedicarem, conſilium incidit dedicandi illud *Reverendiſſimæ veſtræ Paternitati*, variis de cauſis: nam imprimis *Reverendiſſimæ veſtræ Paternitati* debetur, quòd inter ſpinas iſtas naſci potuerit, Veſtrâ Protectione ſpinas ita moderante, & earum punctionesità dulcorante, ut illud non ſuffocaverint; undè gratitudinis titulo debetur *Reverendiſſimæ veſtræ Paternitati*. Deindè, cùm hoc opuſculum intituletur *Introductio in terram Carmeli &c.* ſpes affulget quòd plurimi ſeſe introduci facillimè ſinent, ſi

Digitized by Google

ſi ſciverint viam ſupremo Ordinis Capiti placere, cujus Gentilitius Leo ejus tutelam ſuſcipiet: *Introductio* eſt, via eſt ad *terram Carmeli*; ſed ut ab obtrectantium incurſibus ſit immunis Leonis, *Reverendiſſimæ* inquam, *veſtræ Paternitatis*, inſtar leonis, catulos, ſeu ſubditos ſuos ſtrenuè defendẽtis tutelæ committitur; utque via ad vitam myſticam & verè Carmeliticam commẽdatior fiat, ac tritior, eam *Reverendiſſimæ veſtræ Paternitati* ab omni æmulorum obtrectatione vindicandam committo: denique tum Lilii hujus fragrãtia in omnes facilè Carmelitas, ac vitæ internæ amatores

res redundabit omnibuſque filijs grata fiet, ſi Patri amantiſsimo afflata arrideat, & ab eo quaſi reſultans in omnes derivetur. Sed nonnè vereor hoc opuſculum diſpliciturum *Patri Reverendiſsimo*, ob ſtyli cruditatem, inelegantiam, ſimplicitatem, inæqualitatem? non timeo; etſi enim ſit *Pater Reverendiſsimus*, cui illud offero, eſt ſimul & amantiſsimus, & diſcretiſsimus, qui cruditatem, inelegantiam, ſimplicitatem, & inæqualitatem facilè excuſabit, ac benevolâ ſuâ acceptatione & commendatione omnibus excuſabilem efficiet: novit enim Amantiſsima Veſtra Paternitas inter

ſpinas

Digitized by Google

ſpinas vix potuiſſe naſci Lilium candidius aut integrius, cùm plurima intercurrerint æquali ejus incremento incompoſsibilia: quamobrem, cui meliùs æſtimandum & olfaciendum offerri potuit, quàm illi, cui ſi arriſerit, plurimorum indubiè odoratui arridebit? equidem experientia docet, etiam res de ſe minùs æſtimabiles, minùs elegantes, minùs concinnas plerumque omnibus fieri æſtimabiles eo ipſo, quo ab aliquo Viro notabili æſtimatæ fuerunt: ut ergò hoc opuſculum ob intercurrentia inter componendum impedimenta, inſtabili, inconcinno & ſimpliciori ſtylo compoſitū,

Digitized by Google

atque adeò de ſe minùs commendabile, magis placeat, & optata ſpiritûs incrementa in animabus vitæ internæ devotis pullulare faciat. Ecce *Reverendiſſime Pater*, illud Paternæ ac ſolitæ Veſtræ Benevolētiæ ſiſto, primitias exiguarum lucubrationum mearum, in ſignū filialis affectûs, & pro plurimis paternæ protectionis teſſeris ſæpiſsimè probatis debitæ gratitudinis. Sic vovet, qui eſt

Reverendiſsimæ & Amantiſſimæ veſtræ Paternitatis

Amantiſſimus Filius

F. MICHAEL A S. AVGVSTINO
Carmelita Flandro-Belga indignus.

Digitized by Google

AD CARMELITAS.

DVm olim Sanctus Pater noſter Elias deſerere debebat S. Eliſæum primarium ſuum diſcipulum, liberali corde ajebat illi, poſtula, quod vis, ut faciam tibi; *at ille reſpondit*, obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus tuus. *Simile colloquium poſſet inſtitui inter me, & Vos Fratres mei dilectiſſimi; & quidem ego ex parte Sancti Patris noſtri cuique dico:* poſtula, quod vis, *ut fiat tibi. Quid dico? nulli vero Carmelitæ opus eſt dicere*, poſtula, quod vis; *unumquemque enim ultrò audire videor dicentem*, obſecro, ut fiat in me duplex ſpiritus *Eliæ: benè eſt;* rem *quidem* difficilem poſtulaſtis; attamen

4. Reg. 2.

Ib.

ſi

ſi parum allaborare volueritis, erit vobis, quod petiſtis; *ecce prodit duplex ſpiritus Sancti Patris Eliæ, in hoc opuſculo ad vivum expreſſus: aperite ergò os & haurite ſpiritum; expandite deſideria cordis veſtri, & complectimini illum; ſed ubi eum haurietis? ubi illo potiemini?*
Pſ. 33. venite *Fratres*, audite me, *duplicem ſpiritum Eliæ* docebo vos: quis eſt *ex vobis*, qui vult
Ib. 13. vitam *ducere Elianam*, diligit dies videre bonos? venite *Fratres*, audite me, *vitam Carmeliticam* docebo vos; *venite in terram Carmeli; ibi duplicem Sancti Patris Eliæ haurite ſpiritum, ibi dies videte bonos, ibi colligite fructus ejus,*
Cant. 5. *colligite racemos*; comedite & bi-

bibite *optima illius* & inebriamini Chariſsimi, *ibi ſit in pace locus veſter; ſi igitur lubet, venite mecum in patriam noſtram*, in terram Carmeli: *quòd ſi ſequi velitis, promitto vobis, quòd* introducam vos in terram Carmeli, *non aliâ intentione, quàm ut dies videatis bonos; non alio fine, quàm* ut comedatis fructus ejus & optima illius: *vultis vos accingere itineri?* ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris; *venite*, inducam vos, *ſequimini fideliter; quà? viam pando in hoc libro, quæ bona eſt & ſancta, ambulemus in eâ, & non poterimus aberrare; in eâ complacuit anima meæ, ſed*

Jer. 2.

Ibid.

Luc. 12.

ſocios

ſocios quæro omnes vos: igitur
Gen. 33. 13. gradiamur ſimul, eroque ſocius itineris veſtri: *confortamini mecum, donec liceat nobis victitare de fructibus terræ*,
Nu. 13. 26. quæ reverâ fluit lacte & melle, ut ex fructibus *in quarto tractatu allatis*, cognoſci poteſt; *nec audiamus obtrectatores terræ illius, quaſi eam ingredi nimis eſſet difficile; nam*
Nu. 14. 8. terra, *de quâ agimus*, valde bona eſt; ſi propitius fuerit Dominus, *& nos ſequi non pigritemur*, inducet nos in eam, & tradet *nobis* humum lacte & melle manantem; Dominus vobiſcum eſt, *qui nos vocavit*, nolite metuere; *igitur*
Nu. 13. 31. aſcendamus & poſſideamus terram, quoniam poterimus obti-

obtinere eam; *nec pigeat nos laborum itineris*, *donec firmetur* poſſeſsio noſtra in Car- 1. Reg. 25, 2.
melo, *& introducti* in terram Carmeli comedamus fructus ejus & optima illius. *Ità voveo, qui ſum*

Amantiſſimus veſter Frater
F. N. Carmelita.

Ad

Digitized by Google

MARIA.

Ad omnes vitæ internæ amatores.

FOrtaſſis ab hoc opuſculo tanquam à nimis partiali & ſolis Carmelitis accommodato plurimi tædium & averſionem aliquam concipient; quæ enim aliquibus propria ſunt, aliis non videntur ità poſſe ſervire, & eſſe communia; ac proindè plures fortè illud ſibi comparare & legere vix dignabuntur: verumtamen eos rogo, quatenùs opinionem iſtam corrigere velint, & ſcire, omnia, quæ his tractatibus continentur, omnibus cujuſcumque Ordinis vel ſtatûs, vitæ internæ amatoribus plurimùm poſſe prodeſſe; imò hoc opuſculum ad captum omnium ad vitam internam aſpirantium eſſe compoſitum; cum hac ſolùm differentiâ, quòd Carmelitæ ex ſpeciali obligatione, vi profeſſionis ſuæ, doctrinæ in eo contentæ in praxim redigendæ ſtudere teneantur; alii verò tam-

Digitized by Google

tam ſpecialem ad hoc obligationem non habeant. Quòd ſi ipſis fortaſſis videatur tædioſum, toties in eo legere nomen *Carmelitæ*, *perfectionis Carmelitica*, *vitæ Carmelitica &c.* ponant epitheta aliqua communiora, & videbunt, quòd cibus hic quaſi pro ſolis Carmelitis coctus, & fructus terræ Carmeli, etiam aliis quibuſcumque ſapere, & ad Deiformiter in Deo vivendum ſervire incipient; loco ergò quòd reperient, *Introductio in terram Carmeli & guſtatio fructuum illius*, legant; *Introductio ad vitam myſticam & fruitiva praxis ejuſdem*; loco quod invenient *vacare Deo pars Carmelitarum optima*, legant, *vacare Deo pars animarum devotarum optima*; loco, *vita Carmelitica*, legant, *vita interna*; loco, *perfectio, ſeu vita veri Carmelitæ*, legant, *hominis interni*: loco, *Carmelitæ ad vacandum Deo tenentur*, legant, *homines vitam internam profitentes*

tentes Deo vacare tenentur, & ſic de aliis ſimilibus; nec dubito, quin ſic imaginatione correctâ, cujuſcumque ſtatûs vel Ordinis profeſſores, vitæ internæ ſtudioſi, invenient in hoc opuſculo manna abſconditum, non ſolis Carmelitis, ſed & ipſis ſummè delectabile, ac proficuum: nec quis indignetur, quod ad ſolos Carmelitas ferè totum dirigatur; id enim fraternus amor ſuaſit, ut ſpecialis ſuæ vocationis memores, viderent ad quem ſcopum collimare præ cæteris teneantur. Unum præterea rogo; hoc requiro, ut benevolus Lector non offendatur ſtyli incōcinnitate & ſimplicitate: exiſtimo enim omnem affectatam verborum & diſcurſuū elegantiam à ſubjectâ materiâ repudiari, quæ ut etiam à ſimplicibus capi poſſit, ſimplici & plano ſtylo tractari poſtulavit.

Tu proindè, benevole & vitæ internæ ſtudioſe Lector opuſculum hoc

Digitized by Google

hoc æqui bonique conſule, & non ex ſtylo, ſed ex materia judica; ut ſinendo te introduci in terram Carmeli, ſeu ad vitam myſticam, poſſis comedere fructus ejus & guſtare optima illius, per fruitivam praxim ejuſdem. Ita voveo, qui ſum

Addictiſsimus tuus in Chriſto ſervus,
Frater N. Carmelita.

FA-

Digitized by Google

FACVLTAS Rmi. P. GENERALIS.

Frater Marius Venturinus S. T. Magiſter, ac Ordinis Carmelitarum Generalis & Viſitator Apoſtolicus.

P*Ræſentium tenore facultatem concedimus ut opuſculum à* R. P. *Michaële à* S. *Auguſtino Provinciæ Belgicæ Provinciali compoſitum, cui titulus eſt* Introductio in terrã Carmeli, & fruitio frugum ejus; ſeu inſtructio ad vitam verè Carmeliticam, ſive myſticam, & fruitiva praxis ejuſdem, *typis mandetur, ſi accedat etiam conſenſus aliorum ad quos ſpectat. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu noſtro S. Mariæ Tranſpontinæ die* 3. *Auguſti* 1658.

Frater Marius Venturinus
Generalis Carmelitarum.

Frater Gabriel à S. Joſepho Provincialis Daciæ, & Secretarius.

AP-

Digitized by Google

APPROBATIO
Cenſoris ordinarii.

LIbrum hunc intitulatum: *Introductio in terram Carmeli & guſtatio fructuum illius, ſeu introductio ad vitam verè Carmeliticam, ſive myſticam, & fruitiva praxis ejuſdem, per quatuor Tractatus diſtincta, operâ ac ſtudio Reverendi admodum F. P. Michaëlis à S. Auguſtino Ordinis Fratrum B. V. Mariæ de monte Carmelo ſtrictioris obſervantiæ Provinciæ Belgicæ Provincialis*, quàm potui accuratiſſimè corporis mentiſque oculis vidi, legi, ac examinavi, nihilque in illo inveni quod à divinis litteris, ſacroſanctis Conciliis, & SS. Patrum decretis alienum eſſe videretur: quin imò Medullam dixerim Cedri, id eſt, totius vitæ ſpiritualis ac ſtatûs monaſtici; quam auctor ipſe inter alios, ut Aquila tulit, ac toti orbi chriſtiano myſtico, & ſpeciatim Sacro Ordini Carmelitico guſtandam, practiceque fruendam, clarâ ac facili methodo dat offertque.

Cum ergò opus hoc ſit utilitatis magnæ, & vitæ ſpirituali ac monaſticæ conſentaneum ac perquàm neceſſarium, quid aliud ego adhibere potui quàm verba Senecæ ad Tacitum, ut *ſtudia hæc in privatâ*

tâ

Digitized by Google

tâ umbra, ut ſic dixerim, concepta & educata, è quibus Claritas venit, publicam lucem accipiant. Sic ſentio ac Cenſeo. Datum Gandavi 20. Februarii 1659.

Nicolaus Breydel S. Theolog. Licentiatus, Cantor ac Canonicus exemptæ Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis, Librorum Cenſor.

Pri-

Digitized by Google

Privilegium Regis Catholici.

P*Hilippus Dei gratia Hiſpaniarum &c. Rex Catholicus diplomate ſuo ſanxit, ne quis librum cui titulus*, Introductio in terram Carmeli, & Guſtatio fructuum ejus, in quatuor Tractatus diſtributa operâ R. P. F. Michaëlis à S. Auguſtino, Ord. FF. B. V. Mariæ de monte Carmelo, ſtrict. obſerv. Provinc. Belgicæ Provincialis, *Præter* Francisci Vivien *Typographi jurati voluntatem intra Novennium imprimat, aut alibi impreſſum in has Germaniæ inferioris ditiones importet: qui ſecùs faxit confiſcatione librorum, & aliâ gravi pœnâ mulctabitur; ut latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* 1. *Maij* 1659.

Signat.

Loyens.

TRAC-

Digitized by Google

MARIA.

TRACTATVS PRIMVS

Introductionis in terram

CARMELI,

SEV

De tribus votis eſſentialibus ſtatus Religioſi in Communi

ET

In particulari pro Carmelitis

SEV

Fratribus B^{mæ} Virginis Mariæ

DE MONTE

CARMELO.

Induxi vos in terram Carmeli ut comederetis fructus ejus, & optima quæque illius. Jerem. 2. v. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS PRIMVS

Introductionis in terram

CARMELI

SEV

De tribus votis eſſentialibus ſtatûs Religioſi.

PROOEMIVM.

COmmune eſt adagium; à generalioribus incipiendum eſt, ut ad particularia veniatur; natura etiam, & ars incipiunt ab imperfectioribus: ſic docet experientia, quod in productione, v. g. unius grani, primò oriatur exigua fibra, ſeu radicula; deindè pullulat aliquid viride, plantula, ſpicula, denique ariſta plena & matura: idem videre licet in germinatione florum & fructuum; item in pro- *Natura & ars ab imperfectioribus incipit.*

ductione animaliun, hominum & brutorum: ſimilem modum ſervat ars ſimia naturæ: nonnè videmus, quòd ſculptor intendens ſculpere ſtatuam, v. g. ſpecioſi formâ præ filiis hominum, Chriſti Salvatoris, arripiat rudem truncum, eumque rudi minervâ incipiat dolare, cavare, & paulatim formare, ibi pedes, hîc manus, illic faciem, iſtic brachia &c. donec tandem in trunco appareat perfecta & polita imago Chriſti? eodem modo, dum pictor aliquis pingere deſiderat pulchram aliquam picturam, ante omnia aptat penicillos, tendit telam; eamque colore obductam delineare; & rudiori modo conceptum exprimere, ac tandem vivis coloribus depingere incipit, hîc formando arborem, ibi avem, iſtic brutum, ibi hominem, illic montem, ibi vallem, &c.

6. Patet in ſculptore.

In pictore.

Digitized by Google

&c. donec tandem conceptus pictoris ad oculum pateat : idem contingit in pleriſque aliis rebus.

Quod verò ad propoſitum attinet; idem modus ſervatur à Magiſtris vitæ ſpiritualis : ſic inſinuat Apoſtolus ſcribens ad Galatas: *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in vobis*; & ad Corinthios, *Quaſi parvulis in Chriſto lac vobis potum dedi, & non ſolidum cibum*; Princeps quoque Apoſtolorum alloquens primos Chriſtianos, ait, *quaſi modò geniti infantes rationabile, ſine dolo, lac concupiſcite, in quo creſcatis in ſalutem*; eccè quomodo hi primarii noſtræ fidei doctores æmulentur patres & matres naturales, incipiendo ab imperfectioribus, v. g. à parturitione, à partu, à lactatione, & tenerâ educatione, donec nimirum, filios ſuos forment in

Magiſtri ſpirituales imitantur patres naturales.

Gal. 3. 19.

1. Cor. 3. 2.

1. Pet. 2. 2.

Digitized by Google

viros perfectos ætatis plenitudinis Chriſti, donec formetur Chriſtus in illis; ideò confidenter dicebat Apoſtolus, *Etſi multos pædagogos habeatis in Chriſto, ſed non multos patres; nam in Chriſto Ieſu ego vos genui.*

1. Cor. 4. 15.

Regula Carmelitarum incipit à votis eſſentialibus.

Hanc procedendi methodum etiam æmulari videtur ſacra noſtra Carmelitarum Regula; equidem, dum intendit ſpecificare & individuare, ſeu formare perfectos Carmelitas, incipit à generalioribus, ſcilicet à tribus votis eſſentialibus, obedientiæ, paupertatis & caſtitatis, quæ omnibus religioſis ſunt communia, eâ (ut arbitror) intentione, ut primò perficiamur in illis, quæ decent Religioſos in genere; deindè in iis, quæ concernunt Religioſos in ſpecie, puta, Carmelitas; quorum utique vocatio (ut poſteà monſtrabitur) mul-

multùm differt à vocatione & ſcopo aliorum religioſorum: quocircà nos accommodando exigentiæ Regulæ noſtræ conſequenter agemus de tribus votis: quià verò noſtra intentio eſt, etiàm in hoc primo tractatu incipere introductionem Religioſorum noſtrorum in terram Carmeli, quò ſic ulteriùs ad deguſtationẽ fructuum illius aſpirare poſſint & pertingere; poſtquàm de ſingulis in communi parùm egerimus, de illis etiam aliquid diſſerere intendimus, quatenùs à veris Carmelitis, juxta eorum vocationem, perfectè ſervari debent, & ab omnibus Religioſis vitæ internæ amatoribus utiliter poſſunt. Incipiemus itaque ab Obedientiâ; verùm copioſa nimis hîc ſuppetit materia, & vix ſcimus nos determinare, undè incipiemus verbum ædifica-

Diviſio materiæ.

Digitized by Google

tionis, niſi ſervemus aliquem ordinem: ideò pro noſtro modulo primò aliquid dicemus de Obedientiæ neceſſitate, deindè de ejus dignitate & excellentiâ, denique de illius utilitate ac ſuavitate, quâ fruuntur perfecti obedientes; qualem ferè ordinem, etiam agendo de aliis votis, per Dei gratiam ſervare conabimur.

CAP. I.

De neceſſitate Obedientiæ.

Obediẽtia in omni congregatione neceſſaria.

QVàm neceſſaria ſit obedientia in quavis Communitate, omnibus abundè notum eſt, cùm ſine illâ nulla congregatio hominum ſubſiſtere queat: etenim quæ familia, quæ Reſpublica, quod regnum, quæ hominum congregatio manu teneri poteſt ſine obedientiâ? quomodò ſtaret mundus, imò & ipſum cœlum, ſi obedientia indè exularet? reverà omnia ubique ſcaterent confuſio-

ſervi

nibus, ſi Obedientia conculcaretur; reverà nulla familia ſtabit, ſi filii parentibus, ſervi dominis obedire recuſent; reſpublicæ erunt plenæ tumultibus & ſeditionibus, ſi ſubditi Poteſtatibus ſublimioribus parere renuant; navis facilè ad ſcopulos allidetur & in tempeſtate peribit, ſi ſit diſſenſio inter remiges, nec habeatur reſpectus & obedientia peritiori nauclero; caſtrorum acies facilè frangetur & diſpergetur, ſi Dux non ordinet, & manu-teneat, ſi quiſque miles non ſervet ſuam ſtationem, ſi excubitores non ſequantur ordinem, ſi omnes non ſe conforment Ducis imperio; quippè ſi quiſque proprio ducatur capritio, totus exercitus diſsipabitur: porrò ſi in omni hominum congregatione obedientia ſit adeò neceſſaria; quid dicemus de congregatione Religioſâ? annè Religio poterit nominari ordo, aut potius dis-ordo, & confuſio, in quâ quiſque ſequitur ſuum ſentire, ſuum velle, ſuam inclinationem? ubi quiſque proprio ſenſu abundat, & vitam ſuam non juxta directionem obedientiæ, ſed juxta proprium inſtinctum moderatur? ſanè non eſt ordo, ubi obedientia non in omnibus ponit or-

In familiis.

In republ.

In navi.

In exercitu.

Maximè in Religione.

In cœlo. ordinem: ne quidem cœleſtis hierarchia ſtare poterat, quamdiu ibi ſtabant propriæ voluntatis Angeli, obedire re-
Apoc. 12. nuentes; undè contigit ſumma confuſio, & *factum eſt in cœlo prælium magnum*, donec inobedientes rudentibus inferni eſſent detracti, & obedientes triumpharent; quid dico? nec regnum Luci-
In inferno. feri ſtaret apud inferos, niſi quædam cæterorum malorum ſpirituum ergà ipſum
Luc. 11. eſſet ſubordinatio & obedientia; *ſi enim ſatan in ſeipſum diviſus eſt*, inquit Salvator, *quomodo ſtabit regnum ejus?* Ex quibus omnibus ſatis ſuperque liquet ſumma & inevitabilis in omni creaturarum rationabilium congregatione obedientiæ neceſsitas, quæ etiam poſſet con-
In formicis, &c. firmari ex formicarum, apum, & aliorum, ſi quæ eſt, animalium ſocietatibus; verùm iſta miſſa facientes; pergamus ad elucidandam nonnihil ejus dignitatem & excellentiam.

CAP.

Digitized by Google

CAP. II.

De excellentiâ & dignitate obedientiæ ex exemplo Chriſti.

DVm Chriſtus Salvator noſter plurimas vias oſtendiſſet hominibus, quibus ad perfectionem tenderent, dum plura præcepta ab ipſo emanaſſent pro omnibus, qui hæreditatem caperent ſalutis, inter alia, tria præcipua commendavit conſilia, illis, qui poſſent capere, quoſque ipſe ex millibus dignanter ſeligeret; quæ conſilia quicumque fideliter ſequeretur, angelicam potius, quàm humanam in hoc ſæculo vitam degeret: inter hæc verò tria Evangelica conſilia primum facile locum tenet obedientia, quæ propter Deum homini religioſè exhibetur: non hîc loquor de obedientiâ tali, qualem ſervi Dominis, ancillæ Dominabus exhibent, qualis cogit mancipia ad ſervilia; ſed de humili & ſincerâ ſui ſubjectione & obedientiâ, *quæ* (ut ait D. Bonaventura) *non eſt ex neceſſitate & coacta, qualis eſt in mancipiis: quæ etiam non eſt purè mer-*

Obedientia Religioſa.

Bonav.

ce-

cenaria, qualis in operariis reperitur; ſed quæ ex purâ Dei dilectione pullulans propter Deum homini religioſè exhibetur: vis ſcire, in quo potiſſimùm eluceat excellentia hujus virtutis? in eo præcipuè, quòd unigenitus Dei filius illius amore captus, deſeruerit ſinum æterni Patris, & aſſumere dignatus ſit corpus humanum, quò ſic eam poſſet exercere perfectiſſimè; & quidem *factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis;* audi vocem Verbi incarnati; *deſcendi*, inquit *de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed ejus, qui miſit me Patris;* & iterum *Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus qui miſit me;* equidem Chriſtus non verbo ſolummodò, ſed maximè exemplo lectionem perfectiſſimæ obedientiæ omnes docere, ac omnibus inculcare voluit; quippè ipſe præcepto patris mundum ſalvavit, ſanguinem fudit, mortem crucis ſubivit; & quid dico? non ſolùm æterno Patri promptiſsimam ad mortem uſque præſtitit obedientiam, ſed & hominibus; ô quàm perfectè obedivit Matri ſuæ amabiliſſimæ, ac Patri putatitio ſancto Ioſepho! ſi quidem, ut

Excellentia obedientiæ.

Phil. 2.

Ioannis, 6.

Joan. 4.

Chriſtus eam docuit maximè exemplo.

Luc. 2.

Evangeliſta teſtatur, *erat ſubditus illis*; ô quàm bene egit partem veri obedientis, & humilis ſubditi! elegit ſubeſſe, qui præerat omnibus Quis jam non capiat excellentiam obedientiæ, cujus practicandæ & docendæ amore filius Dei incarnatus eſt; neque verò hoc adeò mirandum eſt, ſi penitiùs inſpiciamus illius virtutis innatam perfectionem.

CAP. III.

Obedientia eſt ſoror trium virtutum Theologicarum.

Sancti Patres cupientes exaltare dignitatem obedientiæ, eamque omnibus ſummè commendare, aſſerunt eam magnam habere affinitatem, ac eſſe ferè unam cum tribus virtutibus Theologicis, quæ inter omnes virtutes ſunt præſtantiores; quod, inquam, ſit quaſi genuina ſoror Fidei, Spei & Charitatis; etenim ſibi perſuadebant verum obedientem non aliter agere cum Superiore, quàm cum Deo ipſo, non tam reſpiciendo perſonam ipſius, quàm Chriſtum, cujus vices gerit: ideò duum dicebant *Obedientia affinis fidei.*

Digitized by Google

cebant obedientiam eſſe cœcam, inſinuabant ejus cœcitatem repræſentare obſcuritatem fidei; ſic ut viderentur exiſtimare, quod fides & obedientia ſit ferè una & eadem virtus, aut certè invicem valde cognatæ; & quidem Apoſtolus in hoc conſentire videtur; dum enim deſcripſiſſet naturam Fidei, eidem tribuit heroicam illam voluntatem Patriarchæ Abrahæ quâ paratus erat immolare proprium filium, cùm tamen notoriè fuerit actus Obedientiæ, utpote ex præcepto Dei; ſcilicet ipſi parum referre videbatur, utri virtuti, an fidei an obedientiæ opus illud adſcriberet, propter ſummam Obedientiæ cum fide connexionem & unionem.

Rom. 4.

Obedientia cæca à fide oculum accipit.

Deindè dum affirmabant Obedientiam debere eſſe cœcam, volebant eam à fide mutuare oculum, quo in Superiore Deum conſideraret: ex laudabili hac cœcitate venit, ùt obediens quaſi orbatus lumine proprii judicii ſinat ſe inſtar cœci facilè duci ab alio; undè fit, quòd ſibi ipſi diffidens, firmiter innitatur mandatis, conſiliis, imò nutibus Superioris, illis perfectè ſe accommodando, ſeu conformando; nihil attrahendo, nihil

hil curioſè inquirendo, nec attendendo, quid, aut quomodò ipſi aliquid mandetur, aut conſulatur, modò Superior loquatur, aut aliquis Dei vices gerens, cujus ductum ſimpliciter ſequitur: atque ex hac Dei in Superiore conſideratione acquirit Obedientia cognationem cum alterâ virtute Theologica, utique Spe; eâ enim ut fulcro nititur, in quâ ſtabilita ſibi perſuaſum habet, nihil ſibi injungi poſſe nimis durum aut difficile; confidit equidem ſibi vires non defuturas, quin potiùs divinitùs ſuppeditandas ad perficienda ea, quæ ſibi à Deo per Superiorem imponuntur; hinc oritur in obediente alacritas, promptitudo, hilaritas, diligentia; cùm enim credat Deum per Superiorem loqui, & firmiter confidat gratiam Dei ſibi ad divinum beneplacitum à Superiore intimatum exequendum, abundè ſuppeditandam, expellit omnem triſtitiam & deſidiam, exſpectans auxilium ſuum à Domino.

Obedientiæ cum ſpe cognatio.

Unde obedientiæ alacritas.

Neque hîc excellentia Obedientiæ ſuos habet limites, ſed ex affinitate cum Charitate Dei non modicè excreſcit: Obedientia namque & Charitas duæ ſunt ſo-

Obedientia & amor Dei ſunt ſorores indiviſæ.

ſorores ab invicem inſeparabiles. Quomodò enim amor Dei in aliquo excellere & florere poſſet, ſi non perfectè obſervet mandata Dei, ejuſque beneplacitum in omnibus exploret, & exequi ſatagat? quomodò econtrà poterit aliquis Dei placitum in omnibus ſequi, niſi eo ipſo ſe Deum ſummè diligere probet? reverà non ſine ratione ait Veritas: *Qui diligit me, ſermonem meum ſervabit*; & iterum, *qui habet mandata mea & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me*; Ex his enim verbis colligere eſt dilectionem Dei ex obedientiâ oriri, & econtrà obedientiam ex dilectione; ſeu dilectionem inveniri in obediente; & obedientiam in diligente, & conſequenter obedientiam ac dilectionem in uno & eodem ſubjecto, idque inſeparabiliter ob neceſſariam inter utramque connexionem.

Joan. 13.

Hæc non indigent ulteriori probatione aut declaratione, niſi fortè quis averet cognoſcere clariùs ſympatiam & conſymboliſationem utriuſque hujus virtutis inter ſe; quod libenter faciam, oſtendendo pleraſque proprietates dilectionis etiam convenire obedientiæ; charitas eſt alata, charitas fervet; omnia vincit

Charitas eſt alata, etiam Obedientia.

vincit amor, omnes difficultates perfringit; ſimiliter obedientia etiam videtur habere alas, ſiquidem ad mandatum Superioris, imò ad minimum nutum eam dicas potius volare, quam currere, ob promptitudinem in exequendo; obedientia eſt etiam fervens, participans de ardore divini amoris; amanti nihil difficile, ſic nec obedienti; quod vel ex noſtrâ ſanctâ Euphraſiâ ad oculum patet; ipſa cùm eſſet vivum perfectæ obedientiæ exemplar, dum aliquando pro exercitio illius virtutis juſſa eſſet congeriem lapidum de uno loco transferre in alium, promptiſſimè id peragebat, etiamſi inter alios lapides eſſent aliqui, quibus de loco movendis duo robuſti viri non ſuffeciſſent; ipſa ſola incunctanter & hilariter eos portabat, mirantibus cunctis, qui id videbant, tanto amplius, quia ſciebant eam eſſe virginem teneram, pluribus ſep-tiduanis jejuniis extenuatam ac vigiliis & ciliciis emaceratam. Vnde tanta in tenellâ Virgine fortitudo? noli mirari; obedientia ſuppeditabat, quod natura negaverat; undè quantumcumque tenera, ad opus ſe accingebat, incipiebat, perficiebat: nihil enim difficile eſt

Exemplum obedientiæ in S. Euphraſia.

Obedientia vires tribuit.

Obe-

Obedientiæ cui ſoror Charitas opitulatur: omnia ſuſtinet amor, omnia item obedientia.

CAP. IV.

Obedientiam comitantur omnes aliæ virtutes.

EA, quæ hactenùs diximus, non ſufficiunt elucidandæ dignitati virtutis obedientiæ, neque enim cum virtutibus Theologicis tantùm, ſed etiam cum aliis paſſim communicat, & habet affinitatem; neque hoc mirandum; ad oculum enim videre eſt eos, qui obedientiam perfectam acquiſiverunt, etiam alias acquiſiviſſe. Hoc nobis apertè teſtatur Greg. l. mor. dum ait, *obedientia virtus eſt, quæ ceteras virtutes menti inſerit, inſertaſq; cuſtodit.* Ac imprimis quis non videat Obedientiæ quaſi pediſſequas eſſe humilitatem, caſtitatem, paupertatem, fortitudinem, &c. ſanè nemo excellere poteſt in Obedientia, niſi etiam excellat in humilitate, niſi noverit proprium judicium & propriam voluntatem humiliter abnegare, alteriuſ-

Greg. l. mor.

Obedientiam comitantur omnes virtutes.

Humilitas.

Digitized by Google

riuſque judicio & voluntati ſubjicere: deindè quis melius poterit inviolatum ſervare lilium caſtitatis, quàm qui eam quadam velut obedientiæ ſepe circumdat? ſiquidem obedientia docet mortificare ſenſus, quæ mortificationes pungunt & abigunt inſtar ſepis ſpinoſæ omnes, qui lilium illud decerpere & conterere, aut maculare vellent; ſic loquuntur noſtræ conſtitutiones, *Statuimus imprimis, quod omnes ſtudioſè ſeſe exerceant in mortificatione ſenſuum, oculos contineant; linguam refrænent & aures occludant, quoniam mors intrat per feneſtras*; eccè quomodo obedientia eſt ſolicita pro conſervatione caſtitatis; conſiderate qualiter in his, & aliis, obedientiæ ductum ſequentes caſtitati conſervandæ quam optimè conſulere poſſimus: eodem modo obedientia paupertatem animæ Religioſæ inſerit, inſertamque cuſtodit; ajunt enim eædem noſtræ conſtitutiones, *Hortamur & obſecramus in Domino, ut illam* (paupertatem) *omnes diligant, in ſuâ puritate conſervent, & juxta omnium virtutum moderatricem diſcretionem ejus effectus experiantur.* Et alibi,

Caſtitas.

P. I. c. II. §. I.

Paupertas.

P. I c. 10. §. I.

§ 3.

alibi, *Nullus fratrum quidpiam poſſidere audeat, ut proprium; vel quidpiam minimum, puta, roſarium, imaginem vel aliquid ſimile datum accipere, retinere, dare vel cum alio fratre permutare, abſque ſcitu & licentiâ Superioris*. Conformiter Regulæ præcipienti, *Nullus fratrum aliquid eſſe ſibi proprium dicat, ſed ſint vobis omnia communia*: Videte hîc rurſum, quomodo paupertas neceſſariò locum habeat in vero obediente; ſi enim Religioſus illa obſervet, nonnè & paupertatem perfectè ſervabit? hac fortè de cauſâ antiquitùs non fiebat in profeſſione expreſſa mentio caſtitatis & paupertatis, ſed ſolius obedientiæ; quia nimirum Patres noſtri in voto obedientiæ judicabant ſufficienter contineri alia duo; ideò neque in Regulâ olim habebatur, *cum caſtitate & abdicatione proprietatis*; putabat enim S. Albertus ſufficere, in ordine plantare obedientiam, & eâ mediante caſtitatem & paupertatem: idem eſt de aliis virtutibus, ad quarum acquiſitionem Obedientia media ſuggerit, ſive per vivam vocem Superioris, ſive per Regulam, ſive per conſtitutiones; quo ſenſu obedientia cæ-

c. 9.

c. 1.

In obedientiâ caſtitas paupertas & aliæ virtutes.

cæteras virtutes menti inſerit, inſertaſque cuſtodit, quatenùs, ſcilicet, Religioſus Obedientiæ directionem ſequens, eâdem operâ omnium virtutum exercitio ſtudet, excercendo acquirit, & conſervat.

BIBLIOTECA ROMA

CAP. V.

Obedientiæ fortitudo, & Victoria.

SEd quid dicam de dono fortitudinis & magnanimitatis, quod obedientiam ubique ſequitur? de hoc ait ſapiens, *vir obediens*, utique quià fortis, & generoſus, *loquetur victorias*; ſcilicet obedientia eſt virtus magnæ fortitudinis & potentiæ, quâ hoſtes animæ aggreditur, oppugnat, expugnat, victoriamque reportat: cupis ſcire qualiter armatus procedat ad prælium obediens? oculis proprii judicii velatis, ſanctâ quâdam cœcitate ſecurus, ſinit ſe duci arbitrio Superioris; abjicit arma propriæ voluntatis, deſiderans inſtar alterius Davidis proſternere inermis armatum & ſuperbum Goliath. Chariſſimi, dum adhuc eſſemus extra palæſtram vitæ Religioſæ, videbamur imitari juvenem Davidem, nec-

Prov. 21. *Obedientia eſt fortis, & victorioſa.*

Ejus modus pugnandi 1. Reg. 17.

Digitized by Google

David contra Goliath. necdùm familiæ Saulis incorporatum; is audiebat debellandum eſſe aliquem Gigantem, victori multas promitti divitias & honores, imo filiam regis in uxorem; concipiebat animos, ad profligandum gigantem ſe offerebat: quid deindè? Saul induebat eum veſtibus ſuis, caſſidem æneam capiti imponebat, muniebat eum loricâ ſuâ, dabat ei gladium ad latus; David autem ſic inſtructus, *Capit tentare ſi armatus poſſet incedere;* veritus verò negocium ſic non ſucceſſurum, ait, *non poſſum ſic incedere, non*
V. 39. *enim uſum habeo*: eodem modo, antequam daremus nomen militiæ ſpirituali in Religione, audiebamus, quod *nemo coronabitur, niſi qui legitimè certaverit*, ac proindè neceſſariò reportandam
Vincēti præmium. eſſe victoriam de infernali Goliath de ſatanâ, mundo & carne; audiebamus vincenti promitti coronam vitæ, ac dari poteſtatem filium Dei fieri; quâ promiſſione allecti intravimus palæſtram vitæ ſpiritualis aſſumendo habitum Religionis: at quid factum eſt cum nonnullis? antequam reſolutionem firmam caperent, probârunt, *ſi armati poſſent incedere*, an inquam, manendo ſui juris,

an

Digitized by Google

an armis proprii ingenii, & voluntatis induti in ſæculo ſalutem operari, & contra animæ hoſtes pugnare ac legitimè certando coronam vitæ conſequi poſſent; experti verò & proprio damno edocti judicabant ſe ſic armatos non poſſe incedere; propriam voluntatem nimis multis vulneribus eſſe obnoxiam & ad victoriam referendam planè ineptam, atque adeò videbant ſalutem animæ ſuæ nimiùm in ſæculo periclitari; quocircà tandem reſolverunt abjicere arma tenebrarum & induere arma lucis per abnegationem propriæ voluntatis, & profeſſionem humilis Obedientiæ, in congregatione Religioſâ; verùm id non ſufficiebat ad intentum; aliquid in manibus habere debebant ad ſuſtinendos aſſultus in luctâ vitæ ſpiritualis; de Davide legitur, quòd aliis armis abjectis, aſſumpſerit baculum, *quem ſemper in manibus habebat, & ſelegit quinque limpidiſſimos ſilices de torrente*, ac habens fundam in manu, proceſſit contrà Philiſteum; ſimiliter nos in profeſſione abjicientes propriam voluntatem, tanquam arma, in quibus vanè ſolebamus confidere, aſſumpſimus baculum, quem ſemper ha-

Propria voluntas periculoſa.

David ſe parat ad prælium.

V. 40.

Obedientia baculus ſemper ſit in manu. haberemus deinceps præ manibus: qualem baculum? non alium, quàm voluntatem Superioris, quæ nobis debet ſervire inſtar baculi, per quem ſinamus nos duci in omnibus agēdis vel omittendis; quod ſi cum majori ſecuritate victoriam ſperare lubeat, ſeligere oportet quinque limpidiſſimos ſilices, id eſt, ſatagere debemus, ut acquiramus quinque conditiones

5. Proprietates obedientiæ. ſeu proprietates perfectæ obedientiæ, ſcilicet promptitudinem, hilaritatem, ſimplicitatem indifferentiam & rectam intentionem; cum hiſce limpidiſſimis lapillis tuto licet in arenam deſcendere contrà hoſtes animæ noſtræ, in cujus ipſi internecionem conjurârunt: verùm ſi-

V. 50. cuti humilis *David prævaluit Philiſtæo in fundâ, & lapide, in nomine Domini*, ità & nos indubitatam poterimus referre victoriam *in fundâ & quintuplici lapide* promptæ, hilaris, ſimplicis, indifferentis & rectæ obedientiæ *in nomine Domini:* at contrà quos hoſtes præliandum eſt? non ſolùm contrà Principem tenebrarum, ſed etiam contrà ſeipſum, contrà propriam ſenſualitatem, contrà propriam naturam, *& inimici hominis domeſtici ejus*; propria utique

nato

caro cum vitiis & concupiſcentiis, quam pauci perfectè ſuperant; nemo enim facilè propriam carnem odio habet. Alexander Magnus totum domuerat orbem, ſeipſum tamen domare non potuit. Samſon adeò fortis erat, ut leones obvios facillimo negotio dilaniaret, & mandibulâ aſini mactaret mille viros; at ſui ipſius victor eſſe non potuit, à malis concupiſcentiis abſtractus, illectus & victus. Porrò hic hoſtis domeſticus facilè ſuperatur ab illo, qui obedientiam cordi habet, per humilem ſui abnegationem & ſub alterius voluntate ſubjectionem; de illo namque dictum eſt, *Vir obediens loquetur victorias*: nec mirum, vir enim obediens eſt magnæ fortitudinis, quoties verò ſeipſum, ſeu proprium ſentire & velle abnegat, humiliter & ſimpliciter obediendo, toties de ſe ipſo victorioſè triumphat; *fortior*, autem *eſt*, *qui ſe, quàm qui fortiſſima vincit mœnia*. Ex quo patet, quanti Religioſus facere debeat obedientiam, & qualiter eam Deo ac Superioribus promiſſam operis veritate ſervare, utpotè cùm tantæ ſit excellentiæ, & adeò idonea magnæ perfectioni acquirendæ propter connexio-

Alexandri & Samſonis fortitudo.

Iudic. 15. v. 16.

Obedientia victorioſa.

Prov. 21.

nexionem & affinitatem cum cæteris virtutibus.

CAP. VI.

Ex Obedientiâ magnum animæ lucrum, & utilitas.

1. Tim. 4.

DE pietate teſtatur Apoſtolus; *pietas ad omnia utilis eſt*: quod idem aſſerere licet de Obedientiâ, hæc enim ſimiliter ad omnia & in omnibus utilis eſt; nam ubicumque obediens operi manum applicat, magni meriti lucrum reportat. Fabulantur Poëtæ de quodam Midâ, quòd à Jove petierit & obtinuerit, ut quidquid tangeret, verteretur in aurum. Hæc fabula eſt, ſed talem favorem à Deo, vero obedienti conceſſum ſentio, nimirùm, ut quidquid tetigerit, quidquid ex Obedientiâ fecerit, illi vertatur in aurum ſupernaturalis gratiæ, in meritum vitæ æternæ: aſſerit etiam Apoſtolus: *diligentibus Deum omnia cöoperantur in bonum*. Quid nî idem verifico de perfectis obedientibus? hi enim ſunt, qui ſincerè & operis veritate diligunt Deum, teſtante & quaſi ad oculum

Midas omnia vertit in aurum.

Rom. 8.

Obedientes verè Deum diligunt.

lum monſtrante Chriſto, *qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt, qui diligit me.* Quocircà, ſi diligentibus Deum omnia côoperentur in bonum, etiam obedientibus omnia côoperantur in bonum: quod hoc parvo argumento elucidatur; diligentibus Deum omnia côoperantur in bonum, ſed diligentes Deum, ſunt Obedientes, *qui* enim, ait Chriſtus, *diligit me*, *ſermonem meum ſervabit*; ergò & Obedientibus omnia côoperantur in bonum, utique, utile ad ſalutem: adeò ut quantumcumque vilia opera facta ex aut cum obedientiâ, conferant magnum animæ lucrum, ex eo quòd Obedientia omnibus quantumvis abjectis operibus ſplendorem addat, & in oculis Dei dignitatem, quibus proindè merces manet vitæ æternæ; atque hoc ſenſu, quidquid tangit obediens, vertitur in aurum oculis Dei pretioſum: penſate igitur, quantæ utilitatis ſit continuum exercitium Obedientiæ in Religione, ubi eſt occaſio omnia faciendi cum vel ex Obedientiâ, ex præſcripto Superioris, Regulæ vel Conſtitutionum: ſanè boni Religioſi in omnibus proſperantur, in omnibus ob-

Ioann. 14.

Obedientibus omnia côoperantur in bonum.

Digitized by Google

tinent lucrum Obedientiæ; eorumque opera non ſolùm ſunt meritoria amplioris gratiæ & gloriæ, ſed etiam ſatisfactoria pro defectibus quotidianis: ita ut nullum vel exiguum perfectis Obedientibus reſtet in morte purgatorium. Quod conſiderans Beatus Humbertus Dominicanæ familiæ decus, meritò exclamat: *O magnum lucrum Obedientiæ, quo fit, ut perfecti obedientes parum aut nihil patiantur in purgatorio!* quià nimirum ex iſto lucro indies ſatisfaciunt divinæ juſtitiæ pro exceſſibus commiſſis: quod ulteriùs declarari poteſt ex eo, quòd ex ſenſu Sanctorum Patrum vita perfecti Obedientis, utpotè continua proprii judicii, & propriæ voluntatis abnegatio, ac mortificatio, ſit continuum Martyrium ſine effuſione ſanguinis: ac proindè ſicut poſt conſummatum martyrium ſanguinis anima Martyris eſt immunis à pœnis purgatorii qua ſi ex opere operato, ſicut anima recenter baptiſati. ſic veriſimile eſt poſt fideliter conſummatum Obedientiæ Martyrium animam perfecti Obedientis aut non, aut vix egere purgatorio, quin potiùs ad laureolam Martyrii poſſe aſpirare, quia Obe-

Obedientiæ opera ſunt etiam ſatisfactoria.

Humbert. l. 5. ſpec. Relig. c. 15.

Obedientia ſimilis Martyrio.

Non eget purgatorio

Digitized by Google

Obedientes cum Martyribus *calicem Domini biberunt*; calicem, inquam, continuæ mortificationis, ſe ipſos per exercitium Obedientiæ continuè abnegando.

CAP. VII.

Obedientia eſt juge Holocauſtum coràm Deo.

NOn poſſum prætermittere, quin hîc oſtendam, quàm acceptabile Deo ſacrificium jugiter offerat verus obediens. Loco veterum, eorumque multiplicium legis Moyſaicæ ſacrificiorum quidem ſucceſſit unum principale, incruentum Miſſæ ſacrificium; attamen regius Propheta variis in locis facit mentionem plurium aliorum, quæ adhuc ſunt in uſu, deoque acceptiſſima; alicubi in perſonâ Dei loquens, *ſacrificium*, inquit, *laudis honorificabit me, illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei*; hoc Deo ſacrificium immolamus, quoties divinis officiis reverenter, devotè & attentè interſumus; verùm de hoc ſacrificio hîc nihil agendum; alibi iterum

Varia ſacrificia.

Pſ. 49. *Laudis.*

Pſ. 50. *Contriti cordis.*

dicit, *ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus*; hoc Deo offerimus, quoties de peccatis noſtris ſalutarem elicimus contritionem cum propoſito non peccandi de cætero; ſed neque de eo hîc agere intendimus: ad aliud nos hortatur idem Propheta, *ſacrificate ſacrificium juſtitiæ*, id eſt, Obedientiæ, quæ eſt ſpecies ſeu pars potentialis juſtitiæ; Obedientia enim ritè dicitur ſacrificium juſtitiæ, eo quòd juxta rectæ rationis dictamen omnem Deo, ac vi noſtræ profeſſionis, etiam Superioribus debeamus obedientiam; & quidem nos Religioſi ad illud jugiter immolandum obligamur. At quale eſt illud ſacrificium? non eſt de numero victimarum, vel pacificorum, *quia melior eſt Obedientia, quàm victima*; jure merito illud appellabimus holocauſtum; ſicuti enim holocauſtum ex integro conſumebatur in odorem ſuavitatis Domino, abſque eo, quòd aliquid vel minimum reſervaretur reſiduum, ità etiam per Obedientiam totaliter abnegatur & Deo conſecratur propria voluntas; ita ut perfectus obediens de eâ in agendis & omittendis nihil amplius reſervet; & quoniam tota reli-

Pſ. 4. *Juſtitiæ ſeu Obedientiæ.*

1. Reg. 15.

Obedientia eſt holocauſtum.

Digitized by Google

ligioſi vita nihil aliud eſſe debet, quàm continuum Obedientiæ exercitium, fit, ut Religioſus juge Deo de ſe offerat ſacrificium, ſi modò fideliter Obedientiæ ductum ſequatur; atque hoc ſacrificium juſtitiæ, hoc holocauſtum Deus à Religioſis requirit. Olim Deus à Patriarchâ Abrahamo petebat, ut ſibi offerret unigenitum ſuum Iſaac: idem videtur Deus exigere à Religioſis; quid enim homo plus diligit, quàm propriæ voluntatis libertatem? ea cuique chariſſima eſt inſtar unigeniti, quem nemo libenter contriſtat: eam tamen ex integro ſibi à Religioſis Deus immolandam deſiderat per exactam Obedientiæ executionem.

Per Obedientiam quaſi offertur unigenitus.

CAP. VIII.

Sine ſacrificio Obedientiæ non poteſt Religioſus Deo placere.

MUlti etiam Religioſi cupiunt aliquid aliud Deo immolare, ſed nihil poſſunt ad placitum, quàmdiu non immolant, quàm unicè diligunt, propriam voluntatem, eam per humilem

Sacrificia Saul diſplicent Deo ob inobedientiam.

Obedientiam abnegando: Rex Saul olim Deo offerebat ſacrificia, illa tamen Deo non placebant, quia tardabat offerre holocauſtum Obedientiæ; ideò à Propheta Samuele corripiebatur, à Deo rejiciebatur, & durum audiebat verbum. *Stultè egiſti, nec cuſtodiſti mandata Domini Dei tui*; quaſi Samuel voluiſſet dicere, quidem pro tuâ inclinatione, & proprio libitu ſacrificium obtuliſti, ſed in eo Deo non placuiſti, quia ſacrificium Obedientiæ neglexiſti, prævaricando mandata Dei; iterùm dum Saul pugnaſſet contrà Amalec, & victoriam reportaſſet, plurimas de ſpoliis acquiſitis Deo offerebat victimas pro gratiarum actione; at diſplicebant Deo, quia neglexerat holocauſtum obedientiæ; audite increpantem Samuelem. *Numquid vult Dominus holocauſta & victimas & non potiùs, ut obediatur voci Domini?* Chariſſimi, verendum eſt in multis contingere, quod in Saule contigit; ecce enim, multi religioſi ſæpè Deo aliqua offerunt, multa faciunt in ſpeciem bona, at juxta inſtinctum propriæ voluntatis, neglecto ſacrificio Obedientiæ; V. G. Obedientia

1. Reg. 13. v. 13.

1. Reg. 15. v. 22.

Saul Deo diſplicet ob inobedientiam.

præſ-

præſcribit aliquo tempore orandum, & ipſi volunt ſtudere, vel legere pium aliquem librum; Obedientia præcipit ſtudere, & ipſi volunt orare; Obedientia commendat ſolitudinem, utque nullis ſeſe rebus miſceant, & ipſi affectant vagari, proximo vacare ſub prætextu charitatis, ac multis ſe implicant negotiis; Obedientia mandat ſtudium cantûs & cæremoniarum, earumque exactam obſervantiam, at ipſi ſibi perſuadent id parùm referre, ad alia inclinantur tanquam ad meliora, V. G. ad orationem & interna exercitia, ad recollectionem, &c. illa autem parùm curant: ecce hi omnes, & ſimiles occupantur in immolandis Deo ſacrificiis, in bonis, ut vanè putant, operibus, ſed diſplicent Deo in omnibus, eò quòd negligant ſacrificium Obedientiæ, unicuique proinde ex iſtis liceret dicere, *ſtultè egiſti*, quia non obediviſti voci Domini per Superiores, per regulas & ſtatuta tibi loquentis: an putas Deum ſibi complacere in tuis ſacrificiis ex propriam voluntate oblatis, & non potius velle, ut obediatur voci ejus? Melior & Deo gratior eſt Obedientia, *quàm offerre adipem arietum*, id

Sacrificia propriæ voluntatis Deo ingrata.

Extra Obedientiam fruſtra laboras.

1. Reg. 15.

Digitized by Google

id eſt, meliùs eſt exigua facere cum Obedientia, quàm facere mirabilia magna ſine eâdem: *quia melior eſt Obedientia, quàm victima*: quod cùm ità ſit, attendant religioſi, nè in vanum laborent, nec decipiant ſemetipſos ſe occupando in aliis ſacrificiis, quàm Obedientiæ.

Ibid.

CAP. IX.

Iuge Religioſi ſacrificium, à quo imperfectiones abigendæ: omnes Religioſi ſunt Sacerdotes certo ſenſu.

Iuge Obedientiæ ſacrificium.

REligioſi poſſunt & debent jugiter ſacrificare Deo holocauſtum Obedientiæ, utpotè cùm vita Religioſa nihil ſit aliud, quàm continuum Obedientiæ exercitium die ac nocte, ſi nimirùm conformetur, (pro ut debet) ordinationibus Regularum & Superiorum: ſciendum tamen, non eſſe ſatis taliter qualiter hoc jugi ſacrificio occupari, niſi & debito modo in illo quis occupetur; quo modo? diſcite à Patriarcha

archa Abrahamo: is dum quodam tempore de mandato Domini vacaret ſacrificio vaccæ triennis, & capræ trimæ, & arietis annorum trium, turturis quoque & columbæ, addit Scriptura: *Deſcenderuntq; volucres ſuper cadavera, & abigebat eas.* Idem nobis faciendum eſt: nam dum occupamur in ſacrificio Obedientiæ, non raro contingit, aliquas intervenire volucres, quæ illud ſacrificium vel impedire, vel interturbare conantur: accedit infernalis accipiter, ac nigri & furtivi corvi, maligni ſpiritus, quærentes prædam & partem in operibus Obedientiæ: excitant ſtrepitum movendo contradictionem, & repugnantiam in natura, contrà ea, quæ ordinata ſunt: obtrudunt ſe ſubindè garrulæ picæ obmurmurationum: omnes hæ volucres intendunt impedire aut turbare ſacrificium noſtrum, aut rapere partem illius: ſed inſtar Abrahami eas abigere, & omnes imperfectiones paulatim repellere debemus, non dando locum contradictioni naturæ, multò minùs murmurationi, aut acediæ in executione Obedientiæ.

Gen. 15. v. 9.

A ſacrificio Obedientiæ imperfectiones tollendæ.

Dicet fortè aliquis, ſi Obedientia ſit ſacrifi-

ſacrificium Deo adeò acceptum, ac perfectum: ergò iſti, quibus, illud offerre proprium eſt, debent eſſe ſacerdotes; ergò omnes Religioſi aliquo ſenſu ſunt ſacerdotes: concedo totum, & libenter fateor hoc eſſe verùm, ac proindè iis appropriari poſſunt verba Principis Apoſtolorum, *Gens ſancta, regale ſacerdotium*, utpotè cùm vi profeſſionis Religioſæ Deo ſint conſecrati ad immolandum Deo omni tempore & loco ſacrificium Obedientiæ; quod ipſis non competit, niſi quia ipſi ſunt gens ſancta, regale ſacerdotium, ſeu habentes regalem poteſtatem, regale Dominium in ſeipſos: porrò quantæ dignitatis, valoris & meriti ſit hoc ſacrificium, facilè colligere eſt; utpotè cùm ſit voluntaria ſui ipſius oblatio, efficiens, ut omnes noſtri ſenſus & potentiæ indeſinenter occupentur in perfecta adimpletione beneplaciti Dei, ità ut anima perfectè obediens in rei veritate dicere queat: *Ego quæ placita ſunt coram Patre meo, facio ſemper*: ſanè nihil Deo gratius offerre quis poteſt, quàm ſeipſum: nobis ergò dictum putemus, *Obſecro vos Fratres, ut exhibeatis vos hoſtiam viventem,*

Omnes Religioſi aliquo ſenſu ſunt ſacerdotes.

1. Pet. 1.

Ioan. 8. v. 29.

Rom. 12. a.

tem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum, talibus enim hoſtiis promeretur Deus.

CAP. X.

Quàm facile & ſecurum ſit vivere ſub Obedientiâ.

ERunt fortaſsis aliqui, qui necdum ſatis commoti ſive neceſsitate, ſive dignitate, ſive utilitate Obedientiæ, aliquem adhuc ab eâ habebunt horrorem, eò quòd ipſis durum nimis & difficile videatur vivere ſub jugo Obedientiæ, & proprio ſenſu ac voluntate abnegatis ab alterius ſemper nutu & arbitrio dependere: iis autem, qui ſunt hujuſmodi, planè contrarium oſtendere conabor. Procul abeſt, quòd praxis Obedientiæ ſit difficilis aut expertis tædioſa, quin potius, eſt ſummè ſuavis, facilis & jucunda: quotidiana experientia abundè docet verum eſſe dictum Sancti Job. *Miſeria eſt vita hominis ſuper terram*: Job. 7.
omneſque in hoc communi ſenſu conveniunt, vitam hominis expoſitam eſſe peri-

periculoſis multis tempeſtatibus in oceano hujus mundi: quocircà nihil indubiè gratius aut optabilius eſſe poteſt, quàm ad manum habere aliqua media, aliquem modum ad hoc periculoſum & procelloſum mare feliciter transfretandum. Quæ media? quis modus? non opportunius medium vel modus, quàm Obedientia; hæc enim efficiet, ut ſecundo vento ac maximâ cum ſecuritate ad deſideratum cœleſtis patriæ portum appellemus: audite diſſerentem Sanctum Ioannem Climachum: *Obedientia*, inquit, *eſt ſecura navigatio, in qua etiam dormientes proficimus ſine periculo*, ſignificans, quòd ſicut aliquis ad mare trajiciendum ſe navigio committens ſibi non attrahit, nec inquirit de gubernatione navis, ſed manducando, bibendo & dormiendo iter ſuum proſequitur, nautis relinquens omnem ſollicitudinem, quibus convenit gubernaculo advigilare, attendere ad fluxum aquarum, ad mutationem ventorum, & navim ad portum deducere; eodem modo religioſus humiliter & ſimpliciter Obediens, dum mare hujus ſæculi nequam tranſire contendit, omnem curam

Obedientia ſecura navigatio.

Climac.

Rom. 12.

ram

ram Superioribus committit (*qui præeſt, in ſollicitudine*) ac juxta eorum directionem ſe in omnibus gerendo inceſſanter proficit, & ad portum felicitatis æternæ accelerat, etiam dormiendo: hoc convenit cum dicto D. Bonaventuræ, *Obedientia eſt navis ad cœlum pergens*: uti enim qui in navi ſunt, ſemper progrediuntur unà cum navi, manendo tamen quieti, ità qui ſunt in navi Obedientiæ, ſive comedant, ſive bibant, ſive laborent, ſive quieſcant, ſemper proficiunt. Idem ſentiens Climachus, *vivere*, inquit, *ſub Obedientià, eſt natare ſupra aliorum brachia, ac ſupra aquam conſervari, ne ſubmergamur.* Non minus concinnè ad propoſitum loquitur devotiſsimus Thomas à Kempis, dum ait: *Tutiſsima ad cœlum via, eſt vivere ſub Obedientia*: neque verò quiſquam tam ſecurè vivit, aut tam intrepidè moritur, quàm qui promiſſam Obedientiam ſatagit operis veritate ſervare: quod non adeò mirandum, ut enim ait Beatus Humbertus, *Obedientia eſt arbor vitæ iis, qui invenerunt illam, & qui tenuerint illam, beati*; ac proinde ſunt extra omnem timorem,

Bonav.

Navis ad cœlum pergens.

Climac. ſcal. cœli: c. 4.

à Kempis.

Obedientia tutiſſ. via ad cœlum.

l. 5. ſpec. Rel. c. 13:

Secu-

Digitized by Google

ſecuriſsima igitur vita eſt vivere ſub Obedientiâ.

CAP. XI.

Obedientia magnam cauſat animæ quietem.

Obediens eſt humilis & quietus.

SVmma quies provenit animæ Religioſæ ex Obedientia, cujus ratio eſt, quia Obedientia ſymboliſat cum profundâ humilitate, in eâque fundatur; neque enim noverit ſtabiliter obedire, qui non aſſueverit ſe profundè humiliare; & qui excellit in humilitate excellet facilè in Obedientiâ, cum hæc nihil ſit aliud, quàm humilis ſuî ad voluntatem alterius ſubmiſsio, atque hinc venit, quòd humilis & Obediens Religioſus facilè evadat inſidias & laqueos diaboli, neque curet turbinem malæ concupiſcentiæ aut tentationum; nec hoc mirum, valles enim immunes ſunt à tempeſtatibus & cœli injuriis, venti etiam non ſpirant in humili, ſed tranſvolant, & quatiunt cacumina montium: quin imò Obedientia ita ſe continet in valle humilitatis, ut ſuperbus Goliath, diabo-

Libera tentationibus.

Digitized by Google

diabolus quaſi dedignetur humilem Obedientem aggredi, aut cum eo certare: quod non eſt minimum privilegium: illudque nobis inſinuat ſapiens in perſona Dei loquens: *Qui me audierit, abſque terrore requieſcet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum ſublato:* deinde cùm æterna Veritas dixerit humilibus, *requiem invenietis animabus veſtris*, idem conſequenter dicere licet veris Obedientibus: nam præterquàm, quòd veri Obedientes, ut dictum eſt, non poſsint non eſſe verè humiles, ac proindè requiem cum humilibus communem ſortiantur: ipſi vivunt inſtar infantium ſine cura, ſine ſollicitudine, omnem curam jactantes ſuper Superiores, ſicuti pueri nihil de curis domeſticis ſibi attrahunt, nihil de litibus, aut aliis difficultatibus, ſed ſinunt parentes agere, de victu & amictu ſecuri Hanc ſupermagnam quietem expertus S. Dorotheus exclamabat in hunc modum: *Per Obedientiam factum eſt, ut ſemper in tantâ eſſem quiete & pace, ut tanta quietis me nonnunquam tæderet:* econtra de religioſo inobediente loquens Devotus Lanſpergius,

Prov. 1. 33.

Obediens ſemper eſt quietus.

S. Dorot.

Inobediens inquietus.

gius; *Væ*, inquit, *miſero & infelici inobedienti, quia ipſe ſemper eſt ſine requie, ſemper ſine amore, plenus tentationibus, dæmonibus undique cinctus*: equidem verè ſic eſt, dum enim Religioſus ſeſe Obedientiæ ſubtrahit, & propriæ voluntati eſt addictus, nec ſecum, quia conſcientia remordet, nec cum Superioribus, quia ab illis ad Obedientiam cogitur, neque cum Deo, quià ab illo non benedicitur, pacem habet, ſemper inquietus, ſemper turbatus, omneſque ſibi contrarios ſuſpicans, atque hinc amaritudine plenus: verùm quid neceſſe eſt latiùs hæc deducere, teſtem conſulat quiſque conſcientiam ſuam, & ultrò fatebitur, quanta quies & tranquillitas ex Obedientiâ; quanta econtrà inquietudo & animi perturbatio proveniat ex Inobedientia.

Lanſperg. enchr. mil. Chriſt. c. 39.

De

Digitized by Google

De Obedientiâ Carmeliticâ ſeu Myſticâ.

CAP. XII.

Qualem Obedientiam Carmelitæ Deo debeant vi ſuæ profeſſionis.

HActenùs multa diximus ad commendationem Obedientiæ in genere, ſeu quæ omnibus Religioſis communis eſt; verùm cùm (ut alibi oſtendetur) Carmelitæ ab aliorum ordinum Religioſis vi inſtituti ſui multùm differre debeant, utpote vocati ad ſpecialem & ſublimiorem perfectionem, non erit abs re, hîc aliqua adjicere de perfectiori aliquâ & Carmelitis propriâ Obedientiâ, quâ mediante omnes veri Carmelitæ ad requiſitam perfectionem pertingere poſſunt & debent. Qualis eſt hæc Obedientia? eſt Obedientia Deo debita ad auſcultandum fideliter divinis inſpirationibus, ſive humilis & immediata ſubjectio animæ ad Deum intùs ad cor loquentem; neque enim Carmelitæ ſolummodò *Obedientia Carmelitica erga Deum.*

dò

Digitized by Google

dò obligantur Superioribus obedire, ſed etiam vi ſuæ vocationis, ſingulariter Deo; ità ut dum Carmelita divinam negligit inſpirationem, deficiat à vocatione ſuâ. Fortaſſe cuipiam peregrina videbitur hæc obligatio auſcultandi Dei inſpirationibus, attamen talis obligatio exſtat, pro ut facilè probabitur: imprimis, in formulâ noſtræ profeſſionis dicimus: *Promitto Obedientiam Deo, & Bmæ V. Mariæ, &c. ac Rmo Patri Generali.* Vnde formo hoc argumentum; eodem prorſùs modo, & ſine differentiâ promittimus Obedientiam Deo, ſicuti eam promittimus Reverendiſſimo Patri ſeu legitimo Superiori; atqui vi votorum noſtrorum (ut quiſque lubens fatebitur) tenemur Superioribus promptè obedire, ergò etiam Deo vi votorum noſtrorum tenemur obedire. Fortè dices, addimus in formulâ profeſſionis, *ſecundùm regulam prædicti ordinis*, atque adeò iſta obligatio non eſt ſpecialis conſiderationis: at reſpondeo, Regula noſtra c. 14. præſcribit; *Induenda eſt lorica juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex tota virtute diligatis*; item, *Muniendum*

Vi profeſſionis.

Secundum regulam.

endum eſt pectus cogitationibus ſanctis. Ex quibus concludo: non poſſumus his Regulæ punctis benè ſatisfacere ſine Obedientià jam mentionatâ ergà Deum cùm ſine illâ, dilectio Dei ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ virtute ſtare nequeat; ergò etiam illam Obedientiam vovemus Deo ſecundùm regulam. Non quòd velim aſſerere, eos, qui divinas inſpirationes negligunt, ſpeciale committere peccatum inobedientiæ, ſed quòd exiſtimem nos ſpecialem debere erga illas fidelitatem; ità ut earum ſupinus neglectus nobis in die judicii ſit improperandus pluſquàm aliis, eò quòd ad tam ſublimem perfectionem ſpeciali Dei dignatione vocati, media tamen ad illam nobis à Deo inſpirata neglexerimus. Videte ergò Chariſſimi, quàm perfecta ergà Deum Obedientia à nobis requiratur; & ſcitote eſſe impoſſibile, ſine illa ad finem noſtræ vocationis pertingere; utpote cùm veri Carmelitæ præter Obedientiam mediatam, quàm Deo debent in Superioribus, aliam etiam immediatam, eamque fidelem debeant voci Dei ad cor loquentis: neque verò patet, quomodò alioqui cordi habere poſſint ſa-

Obligatio obedientiæ erga Deum.

Obedientia erga Deum Carmelitis neceſſaria.

familiarem & jugem cum Deo converſationem, ad quam vocati ſunt, ſi eum ad cor loquentem audire & obedire negligant, ſi divinis inſpirationibus vitam ſuam non conforment, ſi non ſatagant promiſſam Deo Obedientiam operis veritate complere.

CAP. XIII.

Qualis eſſe debeat Obedientia ergà Deum.

Harp. Vultis ſcire, qualis eſſe debeat immediata illa erga Deum Obedientia? myſticus Pater Joannes Harpius, Ordinis S. Franciſci decus, dicit, quod ſit totalis propriæ voluntatis abnegatio, & ergà divinam ſubjectio: quam tunc ſumus conſecuti, dum tanta in nobis reperitur reſignatio noſtri ipſorum, ut voluntas Dei & noſtra ſit tantum una. Talis erat Obedientia in Chriſto Domino: qui de cœlo deſcenderat, non ut faceret voluntatem ſuam, ſed Patris cœleſtis: tali Obedientię in ſe locum dederat Mater Amabilis, dum ajebat, *ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm Verbum tuum*, & quidem eam tam punctualiter ope-

Obedientia erga Deum deſcribitur.

Erat in Chr.

In. D. V.

Luc. 1.

operis veritate ſervavit, ut ne quidem unam unquam Dei inſpirationem neglexerit. Tali Obedientiæ incipiebat ſtudere Apoſtolus, dum clamabat totus reſignatus, *Domine, quid me vis facere?* talem Obedientiam exercebat Regius Propheta, dum dicebat, *paratum cor meum Deus, paratum cor meum, ut cuſtodiam mandata tua.* Item, *tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tuâ deduxiſti me.* Hac de causâ Deus tam bonum de illo ferebat teſtimonium, *inveni virum ſecundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas*, ſignificans, qualiter David propriâ voluntate abnegatâ, deinceps ſineret ſe à ſolâ divinâ dirigi; quo facto confidenter cantabat *Dominus regit me, & nihil mihi deerit.*

In S. Paulo. In Davide Pſ. 107. Pſ. 72. 1. Reg. 13. n. 14. Pſ. 22.

Porrò ut enucleatiùs diſcamus qualitates perfectæ hujus ergà Deum Obedientiæ, cenſeo inprimis eam debere eſſe talem, qualem oves Evangelicæ exhibebant ſuo Paſtori: de his ait Salvator, *oves meæ vocem meam audiunt.* Chariſsimi, ſcimus Carmelitis debere eſſe proprium, ambulare coram Deo, & cum eo amoroſè converſari: vultis ſcire,

Joan. 10. n. 16.

quo-

quomodò? certum eſt nos cum Deo non poſſe agere, tanquàm cum nobis ſimili: quomodò ergò? quod ad propoſitum pertinet, bonum eſt cum eo agere, velut oves cum paſtore; ait Chriſtus, *Ego ſum Paſtor bonus, & ego cog-*
V. 16. *noſco oves meas. & cognoſcunt me meæ:* igitur ſicut oves non ſequuntur

Obedientia ovium.

vocem alienorum, ſed ſolius proprii paſtoris vocem agnoſcunt & diſtinguunt ex millibus, eamque adeò promptè obſervant, ut ad minimum paſtoris ſibilum currant, & invicem præcurrere feſtinent: eodem modo verus Carmelita non licitè ſequitur vocem alienorum, clamorem proprii judicii, ſtrepitum propriæ voluntatis, ſibilum concupiſcentiæ & proprii amoris; ſed inſtar ovis debet ex mille inſtinctibus, ex mille ſuggeſtionibus ab intrà vel ab extrà, à naturâ vel à dæmone advenientibus diſcernere & cognoſcere inſpirationem Dei, audiens ſemper quid in ſe loquatur Dominus Deus, interiorem aurem divinæ vocationi ſemper accommodans, & dicens cum Samuele: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus.* Non eſt tamen ſatis audire ſpeculativè, ſed oportet,

Obedientia erga Deum. 1. Reg. 3.

tet, & maximè, practicè, ità ut etiam ad minimum nutum Superioris, & ad minimam Dei inſpirationem, Religioſi, ut ità dicam, volent, & in viâ perfectionis alii alios præcurrere ſtudeant. Deindè, dum oves obvium habent aliquem puteum vel foſſam, declinant, vel ſaltant ultrà cum alacritate, imò apprehendendo vel ſolùm aliquam umbram, eam vitant, & appropinquant paſtori, quaſi ibi eſſent tutiores: denique ſi à grege nonnihil aberrâriut, audiendo ſolummodò ſibilum paſtoris, vel latratum canis ab eo miſſi, ſtatim accurrunt ad gregem. Eodem modo ſe gerere debent boni Carmelitæ: etenim ſi offendant aliquam foſſam, id eſt, ſi reperiant aliquam occaſionem incidendi in peccatum, vel in aliquas imperfectiones, debent ſtatim declinare, vel etiam per quemdam mentis ſaltum in Deum tranſilire, nec ullo modo contra directionem ſpiritûs condeſcendere, aliquo affectu adhæſivo illis inſiſtendo: quin imò ab omni umbra, ſeu ſpecie mali debent abhorrere, ac ab omni, ſaltem voluntariâ imperfectione pro poſſe cavere, memores lectionis Apoſtolicæ, *nemini dantes ullam offenſionem*, *ab omni ſpe-*

Prompta ad inſtar ovium.

Declinat umbram mali.

2. Cor. 6.
1. Teſſ. 5.

ſpecie malâ abſtinete vos. Quòd ſi contingat aliquos nonnihil aberrare à viâ rectâ; ſeu declinare à grege perfectorum Carmelitarum; caveant hujuſcemodi ulteriùs aberrare, id eſt, caveant contrahere malam conſuetudinem in aliqua perverſa inclinatione, pravâ concupiſcentiâ, inordinato appetitu; quin potiùs audito latratu canis, id eſt, auditâ aliquâ bonâ admonitione, fraternâ correctione, aut paternâ & ſalutari correptione, ad ſe quàm primùm redeant, & ſequantur ductum Superioris, & divinæ inſpirationis.

Poſt lapſum cautius & fidelius.

Fortè quæret aliquis, an oporteat æquè ſequi Deum ſive per ſe immediatè, ſive mediatè per Superiorem loquentem? reſpondeo, quòd ità; Chriſtus enim eſt Paſtor bonus, prout ipſe de ſe teſtatur; atqui juxta tenorem regulæ noſtræ, oportet nos honorare Superiorem noſtrum humiliter, Chriſtum potiùs cogitantes, quàm ipſum; ergò æquè oportet ſequi Deum, ſeu Chriſtum per Superiorem loquentem, ac per ſe immediatè, animæ inſpirantem, more ovium, quæ ſe Paſtori accommodant ſive per ſe loquenti, ſive per latratum canis dirigenti. Hoc videtur ſatis clarum, nam

Obedientia æquè Superiori, ac Deo exhibenda.

Digitized by Google

nam debemus obedire Superiori, tanquam Chriſto; atqui Chriſto oportet obedire ut Paſtori, ergò & Superiori tanquàm Paſtori.

CAP. XIV.

Quomodò interiorem directionem ſpiritûs ſequi oporteat inſtar animalium Ezechielis.

VErùm paulò latiùs diſſeramus de Obedientiâ immediatè Deo debitâ (nonnihil enim deflex imus à propoſito) qualem putatis eam eſſe debere? præterquam quòd debeat eſſe ſimplex, humilis & prompta, qualis eſt Obedientia ovis ergà Paſtorem, videntur mihi evangelica animalia eam peroptimè adumbrare, & ſuo exemplo docere perfectiſſimam Obedientiam. De illis ait Ezechiel: *Vbi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent;* utique divino ſpiritu quaſi animata in omnibus agebantur; ac ejus in ſe locutioni perfectè obediebant, *nec revertebantur, cum ambularent:* at quomodò non revertebantur, cùm Propheta addat, *& animalia ibant; & re-* Ezec. 1. v. 12.

ſpecie malâ abſtinete vos. Quòd ſi contingat aliquos nonnihil aberrare à viâ rectâ; ſeu declinare à grege perfectorum Carmelitarum; caveant hujuſcemodi ulteriùs aberrare, id eſt, caveant contrahere malam conſuetudinem in aliqua perverſa inclinatione, pravâ concupiſcentiâ, inordinato appetitu; quin potiùs audito latratu canis, id eſt, auditâ aliquâ bonâ admonitione, fraternâ correctione, aut paternâ & ſalutari correptione, ad ſe quàm primùm redeant, & ſequantur ductum Superioris, & divinæ inſpirationis.

Poſt lapſum cautiùs & fideliùs.

Fortè quæret aliquis, an oporteat æquè ſequi Deum ſive per ſe immediatè, ſive mediatè per Superiorem loquentem? reſpondeo, quòd ità; Chriſtus enim eſt Paſtor bonus, proutipſe de ſe teſtatur; atqui juxta tenorem regulæ noſtræ, oportet nos honorare Superiorem noſtrum humiliter, Chriſtum potiùs cogitantes, quàm ipſum; ergò æquè oportet ſequi Deum, ſeu Chriſtum per Superiorem loquentem, ac per ſe immediatè, animæ inſpirantem, more ovium, quæ ſe Paſtori accommodant ſive per ſe loquenti, ſive per latratum canis dirigenti. Hoc videtur ſatis clarum, nam

Obedientia æquè Superiori, ac Deo exhibenda.

Digitized by Google

nam debemus obedire Superiori, tanquam Chriſto; atqui Chriſto oportet obedire ut Paſtori, ergò & Superiori tanquàm Paſtori.

CAP. XIV.

Quomodò interiorem directionem ſpiritûs ſequi oporteat inſtar animalium Ezechielis.

VErùm paulò latiùs diſſeramus de Obedientiâ immediatè Deo debitâ (nonnihil enim deflexìmus à propoſito) qualem putatis eam eſſe debere? prætérquam quòd debeat eſſe ſimplex, humilis & prompta, qualis eſt Obedientia ovis ergà Paſtorem, videntur mihi evangelica animalia eam peroptimè adumbrare, & ſuo exemplo docere perfectiſſimam Obedientiam. De illis ait Ezechiel: *Vbi erat impetus ſpiritûs, illuc gradiebantur, nec revertebantur cùm ambularent*; utique divino ſpiritu quaſi animata in omnibus agebantur; ac ejus in ſe locutioni perfectè obediebant, *nec revertebantur, cum ambularent*: at quomodò non revertebantur, cùm Propheta addat, *& animalia ibant, & re-* Ezec. 1. v. 12.

vertebantur in ſimilitudinem fulguris coruſcantis? ibant, ubi erat impetus, id eſt, ubi efficax inſpiratio ac pia motio Spiritûs ſancti ea dirigebat, neque aliter ſe movebant; *& non revertebantur*, ut denuò ſequerentur malæ naturæ & pravæ concupiſcentiæ, aut propriæ voluntatis impetum; *revertebantur* tamē dùm vehementia, ſeu impetus Spiritûs Sancti ea ad alia impellebat; per quod intelligere eſt perfectam indifferentiam & promptitudinem, quam Religioſus habere debet ad omnia, quæ Spiritus divinus in ipſo, per ipſum, & cum ipſo operari deſiderat, dummodò inſtinctum divinum alicubi deprehendere queat; at quali promptitudine ibant & revertebantur ſecundùm impetum Spiritûs? *in ſimilitudinem fulguris coruſcantis;* verè mirabilis promptitudo, & velocitas; non tamen nimis magna, ut nobis declaret, quàm promptè, quàm velociter, quàm fideliter inſpirationem & directionem Dei ſequi oporteat; *Neque enim novit tarda molimina Spiritûs Sancti gratia;* & quidem tam promptam ergà Deum Obedientiam conantur obſervare omnes perfecti filii Dei, *qui enim Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii*

Obedientia velox & prompta erga Deum.

Inſtar fulguris.

V. 14.

S. Ambr.

Rom. 8.

lii Dei: quis verò agitur in omnibus Spiritu Dei? quorum memoriam & intellectum illuminat Spiritus Sanctus lucis ſuæ radiis, quorum voluntatem idem Spiritus ſui amoris igne inflammat, uno verbo, quos Dominus Deus ità regit in omnibus, ut nihil eis deſit in ullâ perfectione, ſed modum vivendi divino beneplacito in omnibus conformare, & divinæ in ſe locutioni ſeu inſpirationi practicam aurem accommodare ſatagant.

Filii Dei aguntur Dei ſpiritu.

CAP. XV.

Quàm indifferens eſſe debeat Obedientia ergà Deum.

ANimæ Deo tam fideles, non ſinunt ſe abripi, vel agi, niſi ubi eas agit Spiritus Obedientiæ; prout ſatis inſinuat ſcriptura, *ubi erat impetus Spiritûs, illuc gradiebantur*, quaſi diceretur animalia non aliter gradiebantur, niſi à divino ſpiritu acta, cùm alioqui eſſent de ſe omninò indifferentia ad huc vel illuc gradiendum, ad hoc vel illud agendum, & exſpectarent impetum ſeu

Religioſi in omnibus agi debent ſpiritu obedientiæ.

operationem ac determinationem Spiritûs, ut ſe moverent, & ad operandum determinarent; quippe animæ Obedientes ſimiliter debent eſſe ad omnia prorſùs indifferentes, nullis rebus ſe applicando vel immiſcendo, niſi ad quas à ſpiritu Obedientiæ ergà Deum determinantur. Aliqui Philoſophi docent, quòd ſi aſinus poneretur inter duos acervos pabuli per omnia æquales, maneret adeò indifferens, ut potiùs fame moreretur, quàm ſe ex ſe ad alterutrum determinaret, niſi ab alio ad unum potiùs, quàm ad alium inclinaretur; ratio datur, quia ſupponitur utrumque acervum aſino apparere æquè bonum, & cùm non habeat libertatem arbitrii, non poſſet eligere unum præ alio, nec ſe determinare ad comedendum de uno potiùs, quàm de alio: ſed poſitâ apprehenſione æqualis bonitatis utriuſque, æqualiter ferretur in utrumque ſimul; quod cùm fieri nequeat, maneret aſinus indeterminatus ad utrumque, donec ab alio ad unum determinaretur. Quidquid de hoc ſit, mihi videtur animam verè Obedientem indè aliquid colligere & diſcere poſſe; quomodò nimirum ſe in ſtatu Obedientiæ gerere debeat; equidem ad quælibet

Ad omnia indifferentis.

Aſinus ex duobus æqualibus, neutrum eligeret.

Digitized by Google

libet adeò debet eſſe indifferens, ut inſtar aſini, neſciret ſe ad unum vel alium acervum determinare, id eſt, non potiùs ad hoc faciendum, quàm aliud: quid ità? quia omnia opera apparent illi æquè bona, putátque una & alia ſibi poſſe conducere ad ſalutem, cùm autem per profeſſionem ſolemnem Obedientiæ ſuæ renunciaverit voluntati, & libertati, fit, ut in nullâ re habeat eligere: quid igitur manu arripiet? quantum eſt ex ſe, in omnibus manebit indifferens & indeterminata; quocircà ſi velitis ut ipſa ſe ad aliquid applicet, debet ipſa ad hoc ab alio determinari; à quo? à nullo, niſi ab Obedientiâ; hæc ſola facit, ut unum opus ei melius appareat, quàm aliud, ut ipſa magis inclinetur ad unum, quàm ad aliud; ſicque ab Obedientiâ determinatur ad hoc libentius faciendum, quàm aliud.

Obedienti apparent omnia æque bona.

Ecce Chariſſimi, exemplo aſini inſtruimur, ut nempè ad inſtar illius ſimus, quantum in nobis eſt, indifferentes ad omnia, quæ ab Obedientiâ injungi poſſent, ad omnia, quæ Deus per ſuas inſpirationes à nobis vellet requirere. Tali modo ſe gerebat Propheta David in Obedientiâ ergà Deum, dum dicebat, *ut*

Jumentum coram Deo. Pſ. 72.

Jumentum factus ſum apud te; & ego ſemper tecum, utique paratus ad omnia, nullis parcens laboribus. Ad propoſitum ſervit, paulò clariùs declarare, quàm indifferens eſſe debeat Religioſus ad perficienda omnia, quæ facienda ſunt conformiter beneplacito Dei undecunque cognito; & quidem qui ſollicitus eſt fidelem, ſenſu dato, Deo præſtare Obedientiam, quantùm eſt de ſe, ſimilis eſſe debet bilanci; uti enim hæc de ſe indifferens eſt, ut in unam vel alteram partem inclinetur, impoſito verò in alterutrâ parte, aliquo, vel minimo pondere, illicò eò verſùs propendet; ità & Religioſus in Obedientiâ ergà Deum intùs loquentem fidelis, de ſe non potiùs ad hoc, quàm ad illud agendum, ad ſic vel ſic vivendum propendet, nam evacuavit ſe à pondere propriæ voluntatis, & manet ſine propriâ electione planè reſignatus ad quæcumque, inſtar bilancis æqualiter propenſus ad omnia, vel potius æqualiter abſtractus ab omnibus, donec pondere divinæ inſpirationis aut internæ directionis ad unum potius, quàm ad aliud determinetur; eo autem pondere determinatus ſtatim internam directionem fideliter ſequitur, dum nimirùm

Obediens inſtar bilancis indifferens.

Pondere obedientiæ determinatur.

Deus

Deus eum interius illuminat, & beneplacitum ſuum manifeſtando ad hoc vel illud faciendum piè movet.

CAP. XVI.

De promptitudine requiſitâ in Obedientiâ ergà Deum.

QVi faciunt profeſſionem perfectè ſervandi Obedientiam ergà Deum, altiſsimè cordibus ſuis habent impreſſa illa Pſalmiſtæ verba; *ſicut oculi ancillæ in manibus Dominæ ſuæ, ità oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum;* uti enim bona & fidelis ancilla non operatur ſecundùm propriam phantaſiam, aut libitum, ſed omnia conatur facere ſecundùm placitum Dominæ ſuæ, ideòque oculos in ipſam intentos habere ſolet, ut vel nutum ejus ad aliquid obſervare poſsit; ità etiam animæ Deo fideles, ad nihil manum adhibere audent, niſi quod cognoſcunt eſſe conforme inſpirationi divinæ, ad quam proindè avidiſſimè ſemper auſcultant. Aulici ſeu ephebi magni Turcæ dicuntur aſſiſtere menſæ ipſius aut throno cum tantâ modeſtia & ſilentio, cumque tantâ morum gravitate, ut videantur eſſe immobiles,

Obediens instar fidelis ancillæ. Pſ. 122.

Ephebi magni Turcæ modeſti.

Digitized by Google

donec nutu aliquo vel alio indicio ad aliquod Imperatoris ſui obſequium deputentur, tuncque ſunt in omni ſervitio promptiſſimi; tali etiam modo ſe gerit anima fidelis; nam in conſpectu Dei, regis immenſæ majeſtatis conatur ſemper ſtare cum magnâ modeſtiâ, & morum gravitate, procurat in ſe ſilentium internarum potentiarum, ſtudet in ſe compeſcere ſtrepitum paſsionum, amori proprio frenum injicit, ſicque ſoli Deo intùs loquenti interiorem quàm optimè parat auditum: in Deo manens quaſi immota, quantum ſpectat ad affectionem propriæ voluntatis; neque ad aliud attendere videtur, niſi ut auſcultet voci Domini, & exploret ſanctiſsimum ejus in omnibus beneplacitum, quo deprehenſo & fideliter adimpleto dicere poſsit cum Salvatore: *Ego quæ placita ſunt coram Patre meo facio ſemper*: dum anima tale in ſe ſilentium, talem quietem procurare & conſervare ſatagit, divinos inſtinctus perfectiùs dignoſcere incipit; nam ſicuti de nocte, dum medium ſilentium tenent omnia, faciliùs percipitur aliquis ſonus, quia nihil eſt quod impediat; deindè ſicuti circa veſperam meliùs reſonat in montibus

Qualiter in ſilentio coram Deo ſtare oporteat.

Ioan. 8.

Inſpiratio Dei in ſilentio auditur.

bus Echo: ita etiam, dum internæ potentiæ, pravæ concupiſcentiæ,& paſſiones quieſcunt, diſtinctius percipitur Divina inſpiratio, & perfectius intelligitur reſonantia Spiritûs Sancti: quia nimirum vetus homo jam exutus eſt, & ſilet, nec aliquem ampliùs cauſat ſtrepitum quo interior auditus poſsit impediri: vis audire unam Echo ſpiritualem, illique in te cooperari? Deus fortè inſpirabit, eſto verus Carmelita, opera verò tua reſpondebunt, *ita*, conor eſſe verus Carmelita: Deus dicet in corde tuo, mortifica te, abnega teipſum, ama Deum ſuper omnia: tu verò quantum in te eſt, volendo perficere Echo, opere debes reſpondere, mortifico me, abnego meipſum, amo Deum ſuper omnia: talem Echo audire erat in filiis Zebedæi: dum enim Chriſtus eis dicebat, *poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* reſpondebant illi ſtatim, *poſſumus.* Talis Echo reſonabat in Sancto Petro Apoſtolo: dum enim Chriſtus ipſum interrogabat, *Petre amas me?* illicò reſpondit, *tu ſcis Domine, quia amo te*; nec mora, complacet ſibi Chriſtus in illa Echo, & in ſignum complacentiæ, illum omnibus Apoſtolis præferendo

Echo ſpiritualis.

In filiis Zebedæi.

Matth. 20.

In Apoſtolo Petro.

Ioan. 21.

rendo ait; *paſce oves meas;* nonnè talis Echo fuit in aliis, qui à Domino vocati, *continuò relictis retibus ſecuti ſunt eum?* talis Echo de quacumque animâ reſonat in auribus Dei, quoties opere reſpondet divinæ inſpirationi, & obedit voci Domini.

Matt. 4.
In animâ fideli.

CAP. XVII.

Qualiter anima in ſe procurare debeat Echo ſpiritualem.

SPiritualem hanc Echo oportet nos ſolicitè procurare in animâ noſtrâ, ut nimirum ad omnes Dei inſpirationes detur quædam reſonantia correſpondens ex parte operum ad intentum Spiritûs Sancti inſpirantis, à malo dehortantis, ad bona excitantis, de malo corripientis, ad mortificationem exſtimulantis; nam Spiritus Sanctus mirè ſibi complacet in tali Echo, in tali correſpondentiâ operum cum divinis inſpirationibus. Hanc Echo anhelabat audire Sponſus, quandò dicebat dilectæ; *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis*; utique non erat alia vox, quam audire affecta-

Spiritus S. ſibi complacet in ſpirituali echo.

Cant. 2. 14.

Digitized by Google

ſectabat, niſi reſponſio per opera ad ſuam inſpirationem, ipſi anteà intimatam per verba antecedentia, nimirum *Surge,* V. 10. 11. & 12. *propera amica mea, tempus putationis advenit*, &, *ſurge amica mea, ſpecioſa mea & veni*, &, *capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas*; etenim quid hîc quærit ſponſus animarum? Cant. 2. Surge. nihil; niſi, *ſurge*, ſcilicet de ſomno peccatorum, ex lectulo ſenſualium commoditatum, in quo quieſcere videris; *Propera*, id eſt, ne tardes ſequi meam Propera. inſpirationem, *& veni* per ſemitas virtutum: *tempus putationis advenit*, id Tempus putationis. eſt, tempus jam advenit ad malæ concupiſcentiæ ramos amputandos per aſsiduam mortificationem, & ad paſsiones domandas; *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas*; id eſt, evita V. 15. Vulpeculæ animæ. etiam minima peccata & quotidianas imperfectiones, quæ paulatim diſponunt ad majora peccata, & omnem ſuavitatem vitæ ſpiritualis enervant, ſicut ſcriptum eſt, *muſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti*, &, *qui ſpernit modica, paulatim decidet*: eccè Spiritualis ſponſus requirit fidelem ex- Eccleſ. 10. ecutionem omnium iſtarum inſpirationum, & rationabilium petitionum ab Eccli. 19. ani-

Digitized by Google

anima fideli; optat operibus reſponderi ad ſuas internas petitiones, anhelat ad ſpiritualem Echo; ut nimirùm opere compleat omnia, ad quæ eam interiùs exſtimulat, ac dirigit; ſiquidem ſummoperè complacet, ſibi in tam inſigni reſonantiâ: atque id inſinuare intendit, dum ait, *ſonet vox tua*, ſcilicèt reſonantia ſeu reſpondentia per opera, *in auribus meis, vox enim tua dulcis.*

Diſpoſitio ad echo ſpiritualem.

Ad hanc proindè ſpiritualem Echo oportet nos ipſos diſponere; quod fiet, ſi omnes ſenſus noſtros & potentias ita conemur dirigere & exercere, ut aſsiduè occupentur in obſervandâ Dei inſpiratione. Neque quis putet fore, ut hoc fiat ſine maximâ utilitate, & lucro. Experientia docet, quòd, dum in aliquibus montibus reſonat inſignis Echo, duplex, ſcilicèt aut triplex, quæ intelligibiliter repetit vocem, aut clangorem aliquem: plurimi confluant ad hanc Echo audiendum; diverſas etiam voces intonant, & jucundè auſcultant reſonantiam; eò videas etiam concurrere muſicos cum ſuis inſtrumentis, tubicines cum tubis, qui omnes ſuaviter modulando exſpectant Echo & correſpondentiam cum ſuis vocibus & inſtrumentis in lætitiâ. Hæc om-

Multi concurrunt ad audiendum echo.

Digitized by Google

omnia etiam ſpiritualiter eveniunt in animâ Deo fideli; hæc enim aſsimilata monti perfectionis & gratiæ, conceptâ voce Dilecti, illicò reddit inſignem Echo, imò duplicem reſonantiam: id eſt, cum omni ſedulitate & alacritate exequitur, quidquid unctio Spiritûs Sancti eam docet interiùs: quam reſonantiam audientes cœleſtes muſici, Sancti Angeli, imò Deus ipſe, incipiunt ingeminare ſuas ad talem animam locutiones, cum magna aviditate præſtolantes bonam & operis veritate completam reſonantiam: atque quò hæc reſonantia eſt exactior, quò, inquam, anima Deo intus loquenti fideliùs obtemperat, eò Deus ipſe & Spiritus Angelici majorem hauriunt jucunditatem, & ſibi complacent in multiplicandis vocibus piarum inſpirationum ad notabilem profectum ſupernaturalium gratiarum, & incrementum meritorum. Quocircà ſatagendum eſt, ut ſiamus montes (nam deſiderabilis *reſonat altiſsimis de montibus Echo*) quatenùs nimirùm quantò aliquis altior eſt in perfectione, tantò etiam fidelior ſit in reddendâ reſponſione ſeu reſonantiâ effectiva ad gratiam Dei: atque ad hanc reſonantiam percipiendam fortaſsis anhe-

Lætitia Dei & Angelorum ex ſpirituali echo.

Sap. 17. 18.

Perfectiores ſunt Deo fideliores.

Digitized by Google

helabat Sponſus, dum dicebat, & Sponſam rogabat, *fac me audire vocem tuam.* Cant. 8.13.

CAP. XVIII.

Quid ad Spiritualem Echo conducat, & quàm fidelis eſſe debeat anima, gratiæ Dei obſervandæ, qualiter interiùs foveatur.

QVòd ſi emittere velimus in auribus Dei gratiſsimam Echo, ante omnia neceſſe eſt perfectè percipere vocem Dilecti, inſpirationem Spiritûs Sancti, ac proindè in auditu auris interioris avidè auſcultare, & cum ſilentio interno (de quo alibi latiùs) attendere, quid in nobis loquatur Dominus Deus, quatenùs cum omni promptitudine beneplacitum Dei complere poſsimus; neque enim patitur tarda molimina Spiritûs Sancti gratia, quin potiùs exigit exactiſsimam Obedientiam & animi ſubjectionem: id nobis clare inſinuat Chriſtus Dominus in quâdam viſione loquens ſanctæ Gertrudi; *Qui deſiderat liberum meum in ſuo corde hoſpitium, & ibidem*

Digitized by Google

dem gratiſsimum mihi præparare domicilium, debet mihi tam perfectè tradere clavem propriæ voluntatis, ut eam numquam amplius repetat; ex quo patet, ut Deus liberè & familiariter ad nos divertat, & manſionem apud nos faciat per gratiam ſanctificantem, planè neceſſarium eſſe, ut propriæ renunciemus voluntati, & nos divinæ perfectè conformemus: & verò quid ni nos illi totaliter accommodemus? ut quid tam deſides ſumus & tardi in præſtanda debitâ ergà Deum Obedientiâ; neque enim jugum hujus Obedientiæ grave eſt aut difficile, ſed leve & ſuave: quod expertus Propheta fiducialiter clamabat, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ, ubi me collocavit*. Hîc attendere licet ad exactam Prophetæ ergà Deum Obedientiam, *Dominus*, inquit *regit me*; & ne nos celaret ſuavitatem, ſatisfactionem & delectationem oriri ſolitam ex illâ Obedientiâ, quam quiſque in ſuo ſtatu Deo debet exhibere, in ſtatu inquam, in quo quiſque à Deo poſitus eſt tamquam in optimis paſcuis, ut ſpiritualiter impinguetur, addit; *& nihil mihi deerit in loco paſcuæ, ubi me collocavit*, quippè quid illi nocere, quid

Chriſtus ad S. Gertrud.

Abnegatio propriæ voluntatis neceſſaria.

Ergà Deum Obedienti nil deeſt. Pſ. 22.

In ſtatu ad quem vocatus eſt.

quid contriſtare poteſt illum, cui nihil deeſt? atqui qui ſinit ſe à Deo regi, illi nihil deerit in omni gratiâ, ergò nihil ei nocere, nihil ipſum contriſtare poterit, atque ita ſemper manebit quietus & hilaris in Domino, experientiâ diſcens, quia jugum exactæ ergà Deum Obedientiæ ſuave eſt, & onus ejus leve.

Joan. 10. Ecquid mirum? ait Chriſtus. *Per me ſi quis introierit, paſcua inveniet*: id eſt, ſi quis me imitando & meæ gratiæ cooperando, intret, ſeu penetret ſemitas juſtitiæ, *paſcua inveniet*, in quibus utique comedet de pinguedine terræ, & rore gratiæ cœleſtis perfundetur; neque verò illi quidquam poterit deeſſe, nec contriſtabit ipſum, quidquid acciderit ei, qui in omnibus Deo obedire, ejuſque voluntati ſe conformare novit. Op-

Anſel. l. 2. ſim. c. 2. timè ad rem dicit Sanctus Anſelmus, voluntatem Deiformem eſſe ſponſam Chriſti; hinc enim ſequitur, animam Deiformiter, ſeu divinæ voluntati conformiter viventem, eſſe ſponſam filii Dei. Quòd ſi ita eſt, facilè cogitare licet, quanta inter ipſam & dilectum ſuum intercedat familiaritas, quàm forti dilectionis vinculo ſint uniti: hinc etiam liquet, quàm benè voluntas Deiformis

Anima Deiformis eſt Deo familiaris.

quâ

(quâ propria voluntas planè abnegatur, & divina perfectiſſimè adimpletur) conducat ad finalem perfectionem vocationis noſtræ, nimirum ad jugem & amoroſam cùm Deo familiaritatem (de qua alibi, Deo dante latiùs) utpotè cùm voluntas Deiformis nil ſit aliud, quàm affectiva & effectiva divini in omnibus beneplaciti adimpletio, ſeu perfecta promptiſſimæ ergà Deum Obedientiæ executio. *Voluntas Deiformis.*

Per hanc promptam ergà Deum Obedientiam Sanctus noſter Pater Elias meruit pervenire ad ſummam cum Deo familiaritatem; quin imò *dum zelabat zelum legis, receptus eſt in cœlum*: per hanc Obedientiam Mater noſtra amabilis, Maria decor Carmeli, etiam poſt partum virgo, eſt aſſecuta ſummam perfectionem, ad quam puræ creaturæ fas eſt aſpirare; de ipſa exiit ſermo inter ſanctos Patres, omnium acceptione dignus, nimirùm, ipſam Spiritui Sancto adeò exactè ſemper obediviſſe, ſeſeque conformaſſe, ut à primo ſuæ conceptionis inſtante uſque ad ultimum vitæ, nè vel unam ejus inſpirationem neglexerit, quin in omnibus morem geſſerit, & obtemperaverit beneplacito Dei: aliud nihil ſupereſt, niſi ut conſcii *Exemplum in Elia.* *In D. Virgine.*

noſtræ

noſtræ obligationis vi profeſsionis contractæ ad auſcultandum Deo, etiam immediatè ad animam loquenti, omne noſtrum ſtudium, omnemque operam & laborem impendamus perfectiſsimæ illi, imò angelicæ Obedientiæ acquirendæ, Dei beneplacitum in omnibus fideliter exequendo; quatenùs ſic Chriſto conformari liceat, qui fuit obediens uſque ad mortem; atque ita fiet, ut promiſſam Deo obedientiam operis veritate ſervemus. Hæc nunc ſufficiant ad intentum, de Obedientiâ; de Caſtitate ſimiliter agendum eſt.

De Caſtitate in communi.

CAP. XIX.

Caſtè viventes multa habent certamina: qualiter ad ea ſeſe diſponere debeant.

SAtis ſuperque notum eſt, moris fuiſſe apud antiquos, tùm Romanos, tùm alios, inſtituere aliqua certamina cum promiſsione præmii iis, qui vincerent; hæc autem certamina duobus po-

potiſsimùm modis fieri conſueverant, nimirùm vel currendo, vel colluctando; de certamine in currendo ait Apoſtolus; *Neſcitis, quòd ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium?* de certamine in luctando ibidem addit, loquens de aliquibus, qui in agone contendunt. Chariſsimi, à die profeſsionis noſtræ certamini nos adſcripſimus, omnes ſuſcepimus curſum in ſtadio, & contentionem ſeu luctam in agone; quid ita? vovimus caſtitatem, quam conſtanter illibatam ſervare, ex ſententiâ Sanctorum Patrum, eſt continuum martyrium ſine ſanguine; atqui conſtanter ſubire martyrium eſt verè in agone contendere, eſt verè in ſtadio currere pro coronâ æternæ vitæ; ergò emittendo votum caſtitatis elegimus in agone contendere, & in ſtadio currere, non quidem pro corruptibili coronâ, ſed pro incorruptâ, æternâ conſequenda in cœlo. Hoc nimis clarum eſt, quàm ut ampliori egeat declaratione: non tamen abs re fuerit perpendere, quomodò hæc certamina feliciter aggredi liceat: Divinus Plato commemorat eos qui in ſtadio currebant, ſolitos fuiſſe ſeſe abſtinere non ſolùm à mulieribus, ſed etiam

1. Cor. 9. v. 24.

V. 25.

Caſtitas martyrium ſine ſanguine.

Plato l.8. de leg.

etiam à ponderoſioribus veſtimentis, inſuper à cibis gravantibus ſtomachum ſeu groſsioribus, & ab omnibus operibus corpus laſſare, vel ad curſum inhabilitare natis; quod idem ſentiens cecinit Horatius his metris.

Horat. de arte Poët.

Qui cupit optatam curſu contingere metam
Multa tulit, fecitq; puer; ſudavit & alſit,
Abſtinuit Venere & Bacho.

Ex quibus liquet quantâ abſtinentiâ opus ſit iis, qui in ſtadio curtunt; de illis autem, qui ad luctam in arenam deſcendunt, non minorem Apoſtolus prædicat abſtinentiam, dicens. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*; Ecce medium ad feliciter colluctandum in paleſtrâ virtutum, eſt, ab omnibus (utiq; impeditivis) abſtinere, ſcilicèt, ab omni ſpecie malâ, à groſſioribus alimentis & veſtimentis; volo dicere, quòd quiſquis certare deſiderat pro cuſtodiendo theſauro caſtitatis, qui prò corona incorruptâ luctari concupiſcit, qui bravium accipere anhelat, neceſſariò debet abſtinere ab omni concupiſcentiâ mala, quâ velut groſsiori amictu indutus, ſeu involutus ad luctam non eſt habilis: talis debet

1. Cor. 9. 25.

Diſpoſitio ad certamen ſpirituale.

Digitized by Google

debet etiam ſibi cavere ab omni inordinata, ſeu carnali voluptate, qua velut groſsiòri cibo & alliis Ægypti paſtus, & allectus, atque adeò totus animalis remanens, non ſapit, non percipit ea quæ ſunt ſpiritûs Dei, nullumque guſtum invenire poteſt in manna ſpirituali, alioqui omne delectamentum in ſe habente, quin imò videtur nauſeare ſpiritualia quaſi cibum leviſsimum. Inſuper illi abſtinendum eſt ab omni actione laſſativa, & ad currendum inhabilitante; talis actio eſt quivis malæ concupiſcentiæ motus; talis actio eſt conſenſus voluntatis in aliquod, etiam veniale peccatum; talis actio eſt quævis delectatio carnalis; talis actio eſt, quæ non purâ ad Deum intentione, ſed ex reſpectu humano exercetur; talis actio eſt, quæ de ſe eſt læſiva fraternæ charitatis, vel quæ aliis imperfectionibus aut negligentiis vitiatur: quid enim animam magis retardat in ſtadio perfectionis, ejuſque vires debilitat, & ad currendam viam mandatorum ac conſiliorum Dei magis inhabilitat, quàm actiones jam mentionatæ, præſertim ſocordiæ & negligentiæ, etſi fortè ad grave peccatum non excreſcant? Quidam piſciculus nomi-

Actiones animam debilitantes.

Remora. mine Remora ſiſtere facit navem grandem in alto mari, plenis alioqui velis agitatam; Torpedo piſcis piſcantium brachia torpeſcere facit: eodem modo Torpedo. quodvis peccatum deliberatè vel affectatè factum, maximè ſupina negligentia aut deſidia, retardat in ſuo curſu animam alioqui multis à Deo gratiis præventam, ejuſque vires diminuit, ne eat de virtute in virtutem. Dolendum eſt, remoras iſtas & torpedinem tàm multis dominari: vultis ſcire, undè hoc proveniat? *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*; quocircà nè corpus Sap. 9. ſuâ aggravatione nimiùm eos impediat in ſuo ad perfectionem curſu, meritò ſe ab omnibus abſtinent, qui in agone contendere volunt, quatenùs per talem abſtinentiam agiliores, & ad currendum leviores evadant: talem abſtinentiam ſuo nos exemplo docuit Apoſtolus; undè ait, *Ego autem ſic curro, non quaſi in incertum, ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo*: attendite ad exemplum; ecce Apoſtolus domat, ſcilicèt laboribus, jejuniis, vigiliis corpus ſuum, & abſtinentiâ omnium nocivorum caſtigat, nè currat in vanum, nè

Apoſtolus legitimè certat.

1. Cor. 9. 26.

nè fruſtrà laboret, ut legitimè certare poſsit; atque plures ad certamen legitimum volens inſtruere, *deponentes*, inquit, *omne pondus & circumſtans nos peccatum, curramus propoſitum nobis certamen.* *Hortatur ad benè certandum.* Hebr. 12.

CAP. XX.

De præmio & mercede Caſtitatis, in cujus agone certantes Deum recreant.

FOrtaſsis dicet aliquis, ut quid ita in ſtadio currere, ut quid ità in agone contendere? quid quæſo præmii vincenti? quod ad propoſitum attinet, certandum eſt pro conſervatione Caſtitatis, pro dono continentiæ, quod quidem donum quantæ ſit eminentiæ, & quanto zelo animæ purè Deum quærentes illud æmulari debeant, optimè inſinuat Sanctus Ieronymus his verbis, Jeron. l. 1. c. 7. *Proponit agonathetes Chriſtus præmium, invitat ad curſum, tenet in manu Virginitatis bravium, & clamat, qui poteſt capere, capiat*: quaſi vellet dicere, Chriſtum in hoc imitari Reges & Magnates ſæculi hujus: ſicuti enim

Digitized by Google

hi cupientes probare vires, habilitatem & robur Nobilium ſuorum, eoſque regiâ munificentiâ honorare, inſtituunt aliquos ludos, curſus ad annulum, digladiationes aut colluctationes, promiſſo vincentibus præmio, propoſitis in remunerationem gemmis & monilibus pretioſis: ita juxta mentem D. Ieronymi, Salvator volens probare virtutem & fortitudinem electorum ſuorum, eorumque aliquos ſpecialibus prærogativis condecorare, ac ſingulari laureolâ inſignire, inſtituiſſe videtur certamen curſûs in ſtadio virtutis Caſtitatis, præparatâ & promiſſâ extraordinariâ coronâ gloriæ iis, qui vicerint, & Caſtitatem illibatam ſervaverint: atque de laureolâ Caſtitatis ait: *qui poteſt capere, capiat.*

Laureola caſtitatis.

Matt. 19.

Ecquid mirum, ſi Agonathetes Chriſtus invitet ad curſum, & in manu teneat Virginitatis bravium? quippe ſicut Reges & Principes delectantur videre Nobiles in ſtadio currentes, vel in agone certantes, atque ideò ad certamen eos invitant, ac vincentibus munera præparant; ità Chriſtus ſummè recreatur videndo electos ſuos in palæſtra Caſtitatis decertantes, ac proindè non mirum, quòd

quòd ad certamen provocet & invitet, promiſſo vincentibus præmio: *qui poteſt capere, capiat*; ideò dicebat Apoſtolus: *Spectaculum facti ſumus Deo & Angelis*; quia nimirùm, dum in ſtadio virtutis, præſertim Caſtitatis, ſtrenuè decertamus, oculos Dei & Angelorum ſibi in noſtro certamine complacentium in nos convertimus. Dum olim Sanctus Antonius diu luctatus fuiſſet contra vehementiſsimas tentationes, Caſtitati adverſantes, tandem divino quodam radio cellulam illuſtrante, humiliter & amorosè cum Deo expoſtulabat dicens, ubi eras Domine, durante iſto meo certamine? Reſpondens verò & eum conſolans Dominus, tibi, inquit proximè aderam, mihi complacens in tuâ lucta. Dum etiam Sancta Catharina Senenſis ſordidis aliquanto tempore obrueretur tentationibus, adeò ut neſciret, quò ſe verteret, ſuaves coram Deo, poſtquàm viciſſet, deponens quærelas ait, ubi tam diu moratus es Domine? Qui reſpondens, in corde, inquit, tuo intereà morabar, confortans illud gratiâ meâ, ut ſtrenuè certares, & vinceres: tale ſpectaculum Deo, ac Virgini Matri facta erat Beata Magdalena de Pazzi,

1. Cor. 4.

Deus ſibi complacet in noſtro certamine.

In S. Anton.

In S. Cathar. Sen.

In B. Magdal. de Paz. l. Appar c. 32.

Digitized by Google

Pazzi, dum poſt longum contrà turpes tentationes certamen, in ſignum partæ victoriæ à Chriſto ac Sanctiſsimâ ejus Matre, veſte candidâ induta fuit; undè factum eſt, ut ab omni deinceps ſimili tentatione manſerit immunis; adeò, ut ab illo tempore ne vel minimum libidinis æſtum, vel cogitationem eò tendentem fuerit paſſa, vivens in carne, quaſi ſine carne, vitam angelicam potiùs, quàm humanam, àcquiſito dono Caſtitatis in remunerationem perpeſsi pro eâ certaminis.

CAP. XXI.

Caſtitas Margarita eſt Evangelica & arrha Sponſi cœleſtis.

DIgna ſanè remuneratio, Caſtitas ipſa ſibi; virtus enim ſibi ipſi pulcherrima merces: equidem ſi Caſtitatis dignitas & pretioſitas omnibus innoteſceret, plurimi procul dubio pro eâ in agone contenderent, in magnâ continentiâ, ab omnibus abſtinentiâ, ac aſſiduâ ſenſuum mortificatione; idcircò bonum erit hîc paulò latiùs de eâ diſſerere, quò ejus ſplendor omnium oculos perſtringat,

gat, & omnium in ſe affectum convertat. Ait Veritas, *ſimile eſt regnum cœlorum*, id eſt, congregatio fidelium, *homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventâ autem unâ pretioſâ margaritâ, vendidit omnia ſua & comparavit eam*; at mihi perſuadeo, hanc pretioſam margaritam eſſe Caſtitatem, cujus valore ſeu pretio cognito, facilè quilibet renunciabit omnibus, quæ inordinato affectu poſſidebat, libenter dabit mortificationem ſenſuum, puta, viſûs, auditûs, tactûs; ultrò offeret mortificationem memoriæ, phantaſiæ, intellectûs, voluntatis; uno verbo, promptè dabit omnia, quæ habet, ut eam ſibi poſſit comparare. Hanc pretioſam margaritam cœleſtis ſponſus de cœlo attulit in terram, & pro arrhâ ſuæ dilectionis, ſponſæ ſuæ Eccleſiæ conceſſit, quæ eam in magnâ ſemper habuit veneratione; prout patet ex innumeris Virginibus, quæ etſi corpore tenerrimæ, ſpiritu tamen fortes pro eâ ſtrenuiſſimè decertaverunt.

Matt. 13.

Caſtitas pretioſa margarita.

Omnia pro illa danda.

Quiſquis hanc pretioſam margaritam obtinuit, arrham deſponſationis cum Chriſto habet, & quaſi jus proximum ad myſticam & amoroſam cum

Sap. 6.
Caſtitas facit proximum Deo.

ipſo unionem; quod inſinuans Sapiens, *Incorruptio*, inquit, ſeu caſtitas illibata, *proximum facit eſſe Deo*: porrò res invicem proximæ, ad unionem approximant, præſertim ſi ſimilis ſint naturæ aliundè ad unionem diſpoſitæ; certè duæ guttæ aquæ eo ipſo inter ſe uniuntur, quo invicem ſunt proximæ, id eſt, ſine medio alicujus alterius corporis; igitur à ſimili cùm teſte Sapiente, ſeu potiùs Spiritu ſancto per os Sapientis, Caſtitas animam faciat proximam eſſe Deo, aliter fieri nequit, quin caſti corpore & animâ proximè ſint diſpoſiti ad perfectam unionem cum Deo, verùm de hoc alibi latiùs. Ad rem loquitur devotus à Kempis: *Nihil hominem magis elevat suprà propriam fragilitatem, quàm virtus caſtitatis, quæ cœlis etiam vim infert; dum enim per gratiam quis ſervat in terris, quod ſpiritus angelici ex naturâ ſeruant in cœlis, nonnè vim cœlo infert?*

Exhort. in feſto S. Micha.

A Kemp. Serm. 4. ad Fratres.

CAP. XXII.

Caſtitas eſt Rubus Moyſis.

Exod. 3.

MOyſes olim ſummè demiratus videre rubum ardentem incombuſtum, totus attonitus exclamabat; *Ibo, &*

& videbo viſionem hanc grandem. Quid ità mirabatur? mirabatur in figurâ Veritatem, quæ nunc indies completur; reverà enim qui ſe continent, & caſtitatem debitè ſervant, ſunt ſimiles rubo, qui ardet & non comburitur; ardent enim nòn raro ſicut cæteri homines igne concupiſcentiæ ratione impuræ tentationis vel à naturâ, vel à dæmone in naturâ cauſatæ, ſed non comburuntur ab illo igne, rore divinæ gratiæ flammam moderante vel exſtinguente; ſic ut tentationi non ſuccumbant. Apoſtolus olim erat talis Rubus ardens, dum aiebat: *Nè magnitudo revelationum extollat me, datus eſt ſtimulus carnis meæ, Angelus ſatanæ, qui me colaphizet,* ſed ut maneret incombuſtus, *ter,* inquit: *Dominum rogavi, ut diſcederet à me;* & ecce manſit rubus ardens incombuſtus, exauditus enim fuit pro ſuâ reverentiâ, reſpondente Domino, *ſufficit tibi gratia mea;* hâc ergò refrigerante manſit incombuſtus: manènt & quotquot caſtitatem conſervant; ſufficit enim illis gratia Dei, ne tentatione vincantur. Talis rubus incombuſtus fuit noſtra Soror Beata Magdalena de Pazzi; etſi enim nonnunquam impuris tentationibus æſtuaret,

Caſtitas eſt rubus ardens incombuſtus.

2. Cor. 12.

M. de Paz. Tract. 3. vit. c. 3.

ac carnalibus concupiſcentiæ motibus agitaretur, tamen per totam vitam ſuam adeò manſit incombuſta, & intemerata, ut ſpatio quadraginta duorum annorum, quibus vixit in hoc mortali corpore, ignoraret quis actus, quod opus, aut quid Caſtitati contrariaretur, adeóque in tantâ innocentiâ vitam finivit, ut neſciret quid caſtitatem violaret, aut quomodò virginitas amitteretur; verè rubus ardens incombuſtus: eamus & videamus viſionem hanc grandem, quare hic rubus ardeat, & non comburatur; cauſa eſt ros divinę gratiæ, qui æſtum iſtum refrigerabat, & impediebat, ne noceret: ità ut dicere poſſet, in medio ignis non ſum æſtuata; quòd quidem tanto admirabilius erat, quantò à dæmonibus terribiliùs contrà Caſtitatem tentabatur, abſque eo tamen, quòd innocentiam vel in minimo amitteret; adeò ut non intelligeret, quid dæmones ab illâ per iſtas tentationes vellent: verè hic eſt rubus ardens incombuſtus; quales etiam ſunt, quotquot Caſtitatem colunt, gratiâ Dei illos ab igne carnalis concupiſcentiæ illęſos ſervante.

M. de Paz. rubus ardens incombuſtus.

CAP.

CAP. XXIII.

De pulchritudine Caſtitatis.

NVnc paulò penitiùs intueamur pulchritudinem Caſtitatis, & indubiè compellemur cum devotiſsimo Thoma à Kempis exclamare. *O quàm pulchra Caſta generatio cum charitate, quæ cælum ſuavi replet odore incorruptionis, & fœcundat terram ſuâ ſanctâ converſatione* ! quis pro ea non libenter in agone contendet? quis pro ea non libenter dabit omnia, quæ poſsidet? Dum olim Judith induiſſet ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ, & aſſumpſiſſet omnem ornatum ſuum, teſte ſacro textu, *contulit ei quoque Deus ſplendorem, & auxit pulchritudinem, ita ut incredibili decore omnium oculis appareret.* Quod ad rem pertinet, Judith mihi videtur fuiſſe figura Caſtitatis; quippe Verbum æterni Patris humanam de corpore Virgineo aſſumens naturam illæsâ relictâ Virginitate, huic virtuti de ſe alioqui pulcherrimę contulit ſplendorem, ejuſque pulchritudinem adeò auxit, ut incredibili decore & æſtimatione omnium

A Kemp. ſerm. 4. ad fratres.

Iudith 3. 4.

Iudith eſt figura Caſtitatis.

oculis appareat; hac de causâ plurimi omni ævo ejus amore ineſcati voto perpetuo ſe obſtrinxerunt eam ſervandi: B. Magdalena de Pazzi ſolummodò decennalis, eam cœleſti Sponſo in homagium amoris offerebat, eum ſibi deſponſando, ei fidem præſtando, nè alium præter eum amatorem admitteret: quam quidem oblationem ſibi gratiſſimam probans pretioſiſſimum ei annulum tribuit; prout poſtmodum ipſa in quadam extaſi declaravit. Verùm ante omnes ſine prævio exemplo Mater noſtra amabilis Maria Virgo perpetua adhuc triennis Virginitatem Deo vovit, ejuſque exemplo tot poſteà millia Virginum, juxta quod prædictum erat; *adducentur regi Virgines poſt eam*: neque verò hoc mirum; incredibili enim decore virtus Caſtitatis ex tunc cœpit omnium oculis apparere, utpote cùm Deo placuerit eam mundo manifeſtare á tempore, quo Sanctiſſima Deipara venit in mundum. Dum olim pulcherrima Iudith pretioſiſſimè ornata, Domino etiam conferente ſplendorem, obviabat Oziæ ſummo ſacerdoti, aliiſque urbis ſacerdotibus, addit ſacer textus, *Cùm vidiſſent eam, ſtupentes mirati ſunt pulchritudinem ejus.* Chariſ-

Tract. I. vitæ c. 7.

Pſ. 44.

Iudith. 10. 7.

Sacris initiati eam venerantur.

riſſimi, hæc iterùm eſt figura Angelicæ, de quâ agimus, Caſtitatis: equidem Sacerdotes Eccleſiæ, totus ſtatus Eccleſiaſticus in ſacris conſtitutus obviam habuiſſe videntur hanc Caſtitatem, eâque cognitâ, ac intelligentes, quia *Incorruptio proximum facit eſſe Deo*, ac proindè ad divina obſequia quàm optimè diſponit, admirati ſunt ejus decorem & pulchritudinem, ideoque eàm adamantes, ab antiquo eam elegerunt ſibi in ſponſam, condentes decretum, ut omnes in ſacris conſtituti ad eam conſervandam voto ſe obſtringerent: atque ad hoc propoſitum optimè ait ſanctus Cyprianus; *Flos Eccleſiaſtici generis eſt Caſtitas, illuſtrior portio gregis Chriſti, quis ergò eam comtemnat, ut non meritò pro eâ pugnare debeamus?*

Sap. 6.

S. Cyprian. l. de virg.

CAP. XXIV.

Caſtitas eſt theſaurus abſconditus, & paradiſus plenus gratiarum.

Caſtitas eſt theſaurus.

VUltis ulteriùs cognoſcere dignitatem & excellentiam hujus virtutis? hæc eſt theſaurus in agro Eccleſiæ olim abſconditus, & vix inventus ab ullo,

Digitized by Google

ullo; donec eum plurimi, inſiſtentes veſtigiis Chriſti & Virginis Matris detexerunt, & omnibus eum viribus effodere cœperunt: Beata Magdalena de Pazzi aſſimilabat Caſtitatem paradiſo ſpiritualium voluptatum, dum quadam vice in extaſi Virgini Virginum ſic loquebatur; *Dum ad cœlos aſcendiſti ô Maria, relinquebas paradiſum in terris; relinquebas enim inauditum virginitatis exemplum, quæ comparata aliis ſtatibus, eſt paradiſus in terrâ.* At quo ſenſu Caſtitas eſt paradiſus? hoc ſenſu, quia conſita eſt omnigenæ virtutis arboribus & bonorum operum plena eſt fructibus: de hoc paradiſo fortè dicebat Sponſa: *Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ut lilia colligat;* cœleſtis quippe Sponſus nullâ re magis delectatur, quàm in caſtâ generatione cum charitate, tanquam in paradiſo deliciarum. Adhuc amplius fertur in laudem hujus virtutis eadem B. Magdalena, dum ait; *Sicut in cœlo reperiuntur omnes virtutes, & gratiæ in eſſe perfecto; ita in ſtatu Virginitatis reperire eſt perfectionem omnium virtutum, quas in hâc vitâ conſequi licet:* quomodò hoc? non quia Virginitas eſt perfectio omnium virtutum; ſed quia eſt inſtru-

Eſt paradiſus.

l. Appar. c. 48.

Cant. 6. 1.

Caſtitas conſita eſt omnibus virtutibus.

ſtrumentum ſummè idoneum ad eam adipiſcendam. Fortaſſis alicui hæc laus videbitur nimia; attamen exiſtimem eam rationi eſſe conſonam, cùm enim ſponſus cæleſtis per Caſtitatem velut alliciatur ad condeſcendendum in myſticam & amoroſam cum anima unionem, non abs re Caſtitas cenſetur eſſe inſtrumentum maximè idoneum ad acquirendam Dei gratiam, utpote cùm adventus & unio iſta Sponſi cœleſtis cum animâ caſtâ fieri nequeat ſine uberi communicatione, ſeu infuſione gratiarum. Videte ergò Chariſſimi, quanti æſtimare oporteat hunc pretioſum theſaurum, hoc inæſtimabile monile, hunc delicioſiſſimum paradiſum Caſtitatis; quis eam contemnat, ut non meritò pro ea pugnare debeamus?

Eſt inſtrumentum ad omnes gratias.

CAP. XXV.

De æternâ Mercede & Laureolâ Virginitatis.

ÆStimanda ſunt præſertim æterna bona, quæ mediante valore hujus theſauri comparare licet: dum aliquando B. Magdal. de Pazzi ſolebat excitare ſuas

So-

Digitized by Google

Sorores ad fervorem ſpiritûs, ſpe æternæ mercedis, utebatur his verbis; *o Sorores, Deus nos remunerare vult pondere Caſtitatis*; quid hoc ſignificat? Apoſtolus Paulus alicubi dicit: *Momentaneum, & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriâ pondus operatur in cœlis*: atqui pondus Caſtitatis æquiponderat ponderi gloriæ, ergò dum Beatiſſima noſtra Soror ait, Deus nos vult remunerare pondere Caſtitatis, vult dicere, quòd Deus nos deſideret remunerare pondere gloriæ, de quo loquitur Apoſtolus. Id quod nolim ſolummodò intelligi de gloriâ eſſentiali omnibus Beatis communi, ſed etiam de accidentali, quam vocant Theologi laureolam caſtitatis, ſeu potius, Virginitatis, quæ nihil eſt aliud, quàm ſpecialis, & præmagna merces ſeu coronâ, ſolis caſtis, & maximè Virginibus reſervata, aliis verò indebita: hinc Beata noſtra ſoror Magdalena præ ſpiritûs in Deo liquefactione in extaſim rapta, utebatur ſubindè his verbis: ô ſi homines mundani comprehenderent, quantæ voluptates in æternâ vitâ reſerventur iis, qui ſemper conſervarunt caſtitatem! indubiè ſicut cervus currit ad fontes aquarum, omnes accurrerent ad monaſteria, ibi-

Pondus Caſtitatis eſt pondus gloriæ.

Tract. 3. vit. c. 4.

Merces Caſtorum.

ibidem in ſummâ auſteritate victuri, & caſtitatis lilium inter ſpinas pœnitentiarum ſtudioſè conſervaturi: vultis ſcire, in quo conſiſtat hæc ſpecialis gloria? in eo, quòd, quo aliquis caſtiùs vixerit, eò de puritate Dei copioſius delectabitur, in quâ puritate Deo fuerit factus ſimilior: ex ſpeciali nimirùm & clariori illuminatione circa puritatem Dei increatam, ſpeciale gaudium reſultabit in animabus caſtis, quod non concedetur aliis: ex hoc verò gaudio fient ſpeciales exaltationes Dei in gutture earum; & hoc ſenſu Virgines ſpecialiſſimè dicuntur ſequi *Agnum, quocumque ierit*, & *cantare canticum novum ante Dei thronum, quod nemo præter ipſas cantare poterit*: fiet etiam, ut Verbum clariùs & in Verbo diſtinctius videant creaturas etiam merè poſſibiles: cujus ratio eſſe poteſt, quia quò quis caſtior fuit, & magis abſtractus ab omni, quod ſenſuale eſt vel carnale, eò oculos mentis habet defæcatiores, ac proindè limpidiores ad contemplanda divina; & minutiùs ac clariùs multa in Deo videnda per lumen gloriæ, vel ſpecialem aliquam illuminationem: prout, quò oculi corporei ſunt puriores, eò res ſibi objectas ſeu colores meliùs percipiunt, ac minutiùs diſtinguunt.

In quo conſiſtat laureola caſtitatis.

Apoc. 15.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXVI.

Oratio eſt efficax remedium ad conſervandam Caſtitatem.

NOn dubito, quin multi alliciantur ſpe tantorum bonorum, quæ proveniunt ex Caſtitate; at quid remedii ad eam conſequendam & debitè conſervandam? ſanè omni ſtudio & induſtriâ eam illibatam ſervare oportet; vultis noſſe, quibus mediis hic theſaurus, hæc pretioſa margarita acquiri & cuſtodiri queat? quomodo ad hunc in terris paradiſum pertingere liceat? quibus armis pro ſpeciosâ hac ſponsâ meritò pugnare debeatis? Hæc arma, hic modus, hæc media ſunt jugis & fervens oratio, ſobrietas in victu, fuga malarum cogitationum, devota Communio.

Arma & media pro caſtitate conſervanda.

Quantum ad orationem, nos docet D. Ieronymus in Epiſtolâ ad Sabinam; *Crebra ſint tibi orationes, ut omnes cogitationum ſagittæ, quibus adoleſcentia percuti ſolet, hoc clypeo repellantur.* Dum Apoſtolo Paulo, Deo permittente, *datus eſſet Angelus Satanæ, qui eum colaphizaret*, id eſt, ſordidis tentationibus

Ieron. ep. ad Sabin.

nibus impugnaret, idque ad eum in humilitate conſervandum, *nè magnitudo revelationum eum extolleret*, ſtatim arripiebat clypeum orationis, quo ſe defenderet; *propter quod*, inquit, *ter Dominum rogavi*, *ut diſcederet à me*; & ecce non ſine fructu, non ſine victoriâ; nam in ſignum exauditionis addit, *& dixit mihi*, *ſufficit tibi gratia mea.* Similiter dum Sanctus Antonius vexaretur à ſpiritibus immundis atrociſſimè & vivaciſſimè ipſum tentantibus, & in formis nudarum mulierum apparentibus, quæ ipſum lenociniis, blanditiis, ac variis modis demulcere, ac ad impudica pellicere conabantur, perſiſtebat in oratione immotus, nihil iſtorum ſibi attrahendo, animum in ſolo Deo figere conando; atque hoc ſcuto omnia tela nequiſsimi ignea, omnes motus concupiſcentiæ exſtinguebat, aut divertebat. Eodem ſcuto in ſimilibus carnis tentationibus ſeſe muniebat Sanctus Guilielmus, & alii quàm plurimi in paleſtrâ Caſtitatis exercitati; ejus frequenter efficaciam experti ſunt, nobis relinquentes exemplum, ut ſequentes veſtigia eorum, conſervandæ Caſtitati opportunè provideamus per familiarem recurſum ad orationem.

S. Paulus orando vincit carnem. 2. Cor. 10.

Etiam S. Antonius.

S. Guilielmus.

CAP.

CAP. XXVII.

Sobrietas & mortificatio ſunt neceſſariæ ad ſervandam Caſtitatem.

Remedia pro cuſtodiâ Caſtitatis.

NOn ſolummodò oratio ad aſſecurandam Caſtitatem plurimùm juvat; ſed inſuper ſobrietas in victu quotidiano: abſtinentiæ & aliæ auſteritates ſunt arma neceſſaria ad ejus cuſtodiam; hinc pulchrè dicebat Sanctus Jeronymus, *Ardentes diaboli ſagittæ jejuniorum & vigiliarum rore exſtinguendæ ſunt*: conſonat Beatus Chryſoſtomus dicens; *Caſtitas ſine comitibus jejunio & temperantiâ citò labaſcit.* Hoc apprimè ſciebat Sanctus Antonius; atque ideò, licèt ſpiritus immundus ab eo fugeret, & in fœtidiſsimâ ac horribili formâ apparens fateretur ſe ab eo victum, nec aliquod ejus caſtitati nocumentum inferre potuiſſe; non tamen ſibi fidebat, nec vanâ aliquâ ſecuritate torpeſcebat, ſed in auſteritate vitæ conſtans perſiſtebat, omnibus pœnitentiæ operibus addictiſsimus; ſciebat utique humanam carnem malæ æſtu libidinis facilè corrumpi & putreſieri, niſi aſsiduè

Ieron.

Chriſoſt.

S. Ant. victo ſpiritu immundo non ſibi fidebat.

Digitized by Google

duè condiatur ſale mortificationis & abſtinentiæ. Equidem ſicut ſal carnem præſervat à corruptione & vermibus; ità mortificationes & pœnitentiæ opera inſtar ſalis ſpiritualis præſervant corpus humanum à corruptione concupiſcentiæ, & impediunt, nè vermes generentur, id eſt, nè ſubintret conſenſus in peccatum; impediunt etiam quo minùs vermis conſcientiæ inveniat aliquid rodendum. Hac de causâ Sancti Patres, etſi actualiter non impeterentur pravis concupiſcentiæ motibus, vel carnis tentationibus, veriti tamen inſtantes colluctationes, earumque materiam & occaſionem ſubtrahere cupientes, abſcondebant ſe in locis ſolitariis procul à mundano conſortio, corpus vigiliis & abſtinentiis atterebant, frigore & æſtu affligebant, conſcii, quia lucta carnis difficillima eſt, & periculoſiſſima: eo quòd homo in eâ ſe contra ſeipſum armare, propriam carnem ut hoſtem domeſticum omni tempore inſidiantem odiſſe, & oppugnare debeat; ſcriptum eſt autem, quià naturaliter *propriam carnem nemo odio habuit*: pro aſſecurandâ in hac colluctatione victoriâ Joannes Baptiſta triennis adhuc puer ſecedebat in deſertum, exem-

Caro noſtra ſale mortificationis condienda.

SS. Patrum ſtudium pro conſervandâ Caſtitate.

Eph. 5.

S. Joannes Bpa. triennis in eremo.

exemplo ſanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſei, qui ſolitarium Carmelum montem elegerunt tanquam fortalitium regium pro defenſione & conſervatione Caſtitatis aptiſſimum. Idem imitatus eſt ſanctus noſter Albertus, cùm puer ſeptennalis Religionē ingreſſus eſt. Beata Magdalena de Pazzi quàm optimè perſpectū etiam habebat, qualiter hic theſaurus in ſolitudine & pœnitentiâ vitæ clauſtralis eſſet aſſecuratus; ideò pro ſummo reputabat beneficio à Religione inter plurima accepto, muris monaſterii concludi; atque in conſideratione hujus beneficii tanto ergà Religionem ardeſcebat amore, ut magno zelo & gratitudinis affectu muros conventûs non rarò oſcularetur; rogata, cur id faceret? dicebat: optimam ad hoc faciendum habeo rationem, utpote cùm ſacri hi muri me præſervent ab infelici mundo, mihi aſſecurent pretioſiſſimum, quem in terris poſſideo, Caſtitatis theſaurum. Ecce qualiter judicio Sanctæ hujus Virginis monaſterium eſt inſtar loci defenſionis pro Caſtitate conſervandâ, in quo ſi adhibeantur arma ſpiritualia jejuniorum, abſtinentiarum, vigiliarum &c. habebitur ſecuritas magna, & continua, ac tandem conſummata victoria

S. Albertus ſeptennis in monaſterio.

B. Magd. de Pazzi in monaſterio: muris tribuit cuſtodiam Caſtitatis.

con-

contrà hoſtem domeſticum, contrà carnem & ſanguinem.

CAP. XXVIII.

Sacra Communio eſt efficax Remedium pro conſervandâ Caſtitate.

SI fortaſsis ſcire deſideras, quibus remediis tanquàm efficácioribus prætereà Caſtitati præſervandæ conſulere oporteat: Beata Magdalena de Pazzi multis utebatur, inter quæ familiariora erant, refugium ad orationem, imploratio opis Virginis intemeratæ, auſteritas vitæ, opera pœnitentiæ, inter quæ notória valdè eſt volutatio nudi corporis inter ſpinas, ad exemplum Sancti Benedicti; omnium tamen remediorum velut efficaciſsimum ei erat quotidiana, eáque devotiſsima Sanctiſsimæ Euchariſtiæ ſumptio: in ſacrâ ſiquidem Euchariſtiâ invenitur illud vinum, de quo ſcriptum eſt, *vinum germinans Virgines*, id eſt, generans, ſeu germinare faciens Virgines: nimirùm pretioſus Chriſti ſanguis generans in cordibus hominum caſta conſilia; in eâ veſci licet frumento electorum. Ad propoſitum attinet id, quod noſter Sanctus Cyrillus diſſerit, dicens, *quan-*

Remedia B. Magdalenæ de Pazzi pro cuſtodiâ Caſtitatis.

Devota & quotidiana communio.

Zach. 9.

Cyrillus in Joan. l. 4. c 17.

quandò manet in nobis Chriſtus, nempè poſt Sacramenti ſumptionem; *ſedat in nobis ſævientem membrorum noſtrorum legem, pietatem corroborat, omnes animæ turbationes exſtinguit*: id quod convenit cum communi Theologorum doctrinâ, dicentium unum ex hujus Sacramenti effectibus eſſe mortificationem concupiſcentiæ, ac ſpeciatim carnalium affectuum: conformiter ad mentem & inſtructionem ſacri Concilii Tridentini, docentis hoc Sacramentum eſſe inſtitutum, ut ſit medicina præſervativa, quæ homines à culpis venialibus cuſtodiat, & à mortalibus protegat. Ex quo colligere licet, quàm bonum ſit & ſalutare, indies hâc medicinâ convenienter uti, quatenùs eâ vegetati & corroborati paulatim exſtinguere poſſimus fomitem carnalis concupiſcentiæ, & Caſtitatem meliùs aſſecurare. Ut hac præſervativâ faciliùs & ſine obloquio cujuſquam indies frui poſſet Beata Magdalena de Pazzi, Conventum Carmelitiſſarum Florentiæ, præ cæteris monaſteriis elegit, ubi quotidiana Communio pro totâ Communitate erat in uſu, rata nihil ſibi poſſe deeſſe, cui Sponſum Virginum quotidiè liceret recipere in cordis hoſpitio.

Trid. ſeſſ. 13. c. 2.

B. M. de Paz. fit Carmelitiſſa, ut indies communicet.

CAP.

CAP. XXIX.

Conſervandæ Caſtitati fugâ conſulendum eſt.

NEcdùm hïc ſubſiſtendum eſt in quærendis mediis opportunioribus pro aſſecurandâ victoriâ in palæſtrâ Caſtitatis. Quæ remedia ſuperſunt? inter alia, unum planè neceſſarium, ſine quo reliqua vix poſſunt prodeſſe, eſt fuga omnium, quæ Caſtitati adverſantur. Quidem in exercitio aliarum virtutum, aliquando conſultum eſt & bonum captare, imò etiam quærere occaſiones certandi contrà malas habitudines virtutibus contrarias, verbi gratiâ, pro acquirendâ virtute manſuetudinis, proderit habere occaſionem mortificandi potentiam iraſcibilem, & luctari contra cholerам: ad domandam ſuperbiam & aſſequendam humilitatem, plurimùm juvabit, quærere opportunitates ſe humiliandi: ad procurandam patientiam, bonum eſt inter adverſa premi, infortunia experiri, ex occaſionibus incommoditatum & tædiorum fructificare. Et quidem ideò vita cœnobitica ac

In aliis virtutibus captanda occaſio luctæ.

Vita communis præfertur eremitica.

ac communis in hoc præfertur eremiticæ & ſingulari, quia in hac deeſt materia, & occaſio ſimiles virtutes exercendi, acquirendi & conſervandi, quæ in illâ abundant: verùm in quæſtione ac certamine Caſtitatis, atque ad eam illibatam ſervandam, conſultiſſimum eſt fugere occaſiones, ſubtrahere materiam, vitare ſummo ſtudio quidquid illi poſſet contrariari; nemo hîc ſibi fidat, nemo periculo certaminis ſe exponat, optimum hîc & tutiſſimum, terga hoſtibus dare, & fugiendo victoriæ conſulere; hoc nos ſuo docet exemplo caſtiſſimus Patriarcha Ioſeph, qui à Dominâ ſuâ ad inhoneſta ſollicitatus, *relicto in manu ejus pallio, fugit & egreſſus eſt foras*, ſicque fugiendo victoriam in certamine Caſtitatis obtinuit; prout nos concinnè docet divus Ambroſius, dicens: *Cùm Ioſeph ab uxore Domini ſui conveniretur, teneri veſte potuit, animo capi non potuit, ac ne ipſa quidem verba diu paſſus; fugit.* Orta eſt aliquando pia quæſtio inter primos ſancti Franciſci diſcipulos, ad ſciendum quæ remedia eſſent opportuniora & efficaciora contrà carnis illecebras & tentationes; & unoquoque ſuum ſentire referente, tandem reſpondit

Pro Caſtitate, fuga conſulendum eſt.

Geneſ. 39. 12.

Exemplo Patriarchæ Joſeph.

S. Ambr.

pondit Beatus Ægidius, quantum ad me, ego exiſtimo nullum eſſe melius, quàm fugam; neque enim dedecori vertitur, in hâc pugnâ terga hoſtibus dare; lubrica enim nimis eſt hæc materia, quàm ut greſſum & congreſſum figere liceat. Hoc etiam conſilium non latuit Beatiſſimam noſtram Magdalenam: quâ de causâ nullam omninò familiaritatem admittebat, imò pro poſſe omnem fugiebat notitiam aut converſationem cum externis; quin imò dicere ſolebat, malle ſe ad purgatorium ire illo tempore, quo in collocutorio agere oportebat; allegans pro ratione, nimirùm, quia in collocutorio multarum diſtractionum, & inquietudinum invenitur occaſio, nec non pericula violandi Caſtitatem, quæ in purgatorio non repeririuntur: ex quibus clarè liquet Beatiſſimam hanc Virginem exiſtimaſſe, quòd fuga occaſionum mali, optimum ſit remedium aſſecurandi Caſtitatem.

Conſilium diſcipuli S. Franciſci pro Caſtitate.

Exemplum B Magd. de Pazzi.

Purgatorium præſtat collocutorio.

CAP. XXX.

Oleum divini Amoris neceſſarium eſt in paleſtrâ Caſtitatis.

ECce, Chariſsimi, jam ferè totum dixi quod propoſueram dicere de Caſtitate

Digitized by Google

tate in communi; nihil reſtat aliud, niſi ut certatim curramus in ſtadio Caſtitatis, ut bravium accipiamus; hîc nos decet eſſe indefeſſos, attendentes ad calcar, quo nos exſtimulat Apoſtolus, dicens, *ſic currite, ut comprehendatis*: Chariſſimi, quid dicam ultrà? non tædeat nos continuum corpori noſtro intentare bellum ac contrà nos ipſos in agone contendere; juxta monitum Apoſtoli: *Mortificemus membra noſtra quæ ſunt ſupra terram*, ac *carnem noſtram crucifigamus cum vitiis & concupiſcentiis*; vultis ſcire quid facto opus; ut hîc curſus, hæc lucta feliciùs ſuccedat? olim erat moris, quòd luctatores ſeſe ad luctam præparantes corpus oleo ungerent; etſi enim ſolummodò prætenderent coronam corruptibilem; non tamen ipſis ſufficiebat ab omnibus abſtinere, veſtimenta abjicere, & omni induſtriâ corporis agilitatem procurare; ſed inſuper ſatagebant, ne facilè per aliquod membrum teneri poſſent, in quem finem oleo ſe ungebant. Idem planè nobis agendum eſt in agone ſpirituali pro coronâ incorruptâ, quam inde ſperamus; neque enim nobis ſufficere debet reſecuiſſe omnem ſuperfluitatem rerum terrenarum; quarum affectu ad-

1. Cor. 9.

Coll. 3

Gal. 5.

Ad luctandum unctio neceſſaria eſt.

adhæſivo in palæſtrâ perfectionis retardari poſſemus; non eſt ſatis pro aſſecurandâ victoriâ, mortificationem Chriſti in corporibus noſtris circumferre, ac renunciare omnibus, quæ poſſidemus (hęc quippè quoad ſubſtantiam etiam à gentilibus fieri poſſent, ac à variis practicata aliquandò fuerunt) ſed præterea oleo nos delibutos eſſe oportet; quo oleo? oleo divini amoris, quo ſic omnes Chriſti, ſeu uncti eſſe poſſimus; etenim hoc oleo fiet, ut quaſi invincibiles facti omnes inſidias, ac aſſultus inimicorũ facilè ſubterfugiamus; neque enim anima eo uncta teneri poteſt, ac facilè elabitur manibus quærentium eam: nam ut teſtatur dilectus Chriſti Diſcipulus, *qui manet in Charitate, in Deo manet, & qui natus eſt ex Deo peccatum non facit, & non poteſt peccare;* Quocircà provideamus nobis quàm optimè de hoc oleo charitatis, quo fiat ut invicti perſeveremus in militiâ ſpirituali, ut candidum lilium Caſtitatis in ſuo candore & vigore conſervemus, ac voto Caſtitatis plenè ſatisfaciamus, exſpectantes beatam ſpem, coronã immarceſcibilem à ſupremo Judice, qui promiſit, *vincenti dabo coronam vitæ;* qui ut ſponſus Virginum, ſponſiſque reddens præmia, ſit benedictus in ſæcula.

Oleum divini amoris.

1. Ioan. 3.

De Caſtitate prout Carmelitis propriâ.

CAP. XXXI.

Puritas cordis Carmelitis maximè eſt propria vi ſuæ profeſſionis.

HActenùs egimus de Caſtitate, quatenùs ex virtute profeſsionis ſolemnis omnibus Religioſis eſt communis, eoſque pro parte in eſſe conſtituit, utpotè unum ex votis eſſentialibus Deo promiſsis; at necdùm eam tetigimus, quatenùs eſt Prophetica & Carmelitica, ſeu omnibus veris Carmelitis, ut filiis Elianis & Marianis propria: equidèm hoc ſciendum eſt, quòd cùm (ut alibi oſtenditur) Carmelitæ vi ſuæ inſtitutionis & profeſsionis ad majórem, quàm alii, perfectionem tendere teneantur, etiam habeant media perfectiora ad eam acquirendam; utpotè cùm media debeant proportionari fini; ac proindè Caſtitas, quam Regula præſcribit Deo vovendam, debet eſſe perfectior & eminentior, quàm Caſtitas alio-

aliorum Religioſorum, qui ad minorem perfectionem vocati ſunt. Petes fortaſsis, quæ & qualis ſit iſta Caſtitas perfectior & eminentior Carmelitis propria? reſpondeo, quòd nil ſit aliud, quàm perfecta cordis puritas; quod facilè probabo. Culmen perfectionis Carmeliticæ in eo conſiſtit, quòd per fidem habeamus Deum ubique præſentem, ſeu conſiſtit in jugi internâ converſatione cum Deo, quem credimus nobis eſſe ubique intimè præſentem; porrò ut ad hoc culmen pertingere liceat, planè neceſſaria eſt perfecta cordis puritas, prout facilè colligere eſt ex verbis Salvatoris: *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, utique per fidem in hac vitâ, & poſteà per lumen gloriæ. Ecce Chariſsimi, ratio videndi Deum eſt cordis munditia, ergò hæc munditia eſt medium convenientiſsimum ad videndum Deum: hanc puritatem conformiter Regulæ noſtræ Deo promiſimus, ad hanc nos conari oportet; imò profeſsioni noſtræ non facimus ſatis, niſi conemur eam actu aſſequi, eò quòd ipſa, ſtante noſtro voto, nobis ſit præcepta; licèt enim ex mente juriſperitorum, *finis legis non cadat ſub legem* (neque

Puritas cordis propria Carmelitis.

Matth. 5.

Finis legis non cadit ſub legem.

enim nos obligamus ad aliquid, quod eſt extra legem, ſed ſolùm ad omnia in lege, ſeu Regulâ contenta, attamen *media ad finem cadunt ſub legem*, id eſt, vi Regulæ, quæ lex noſtra eſt, obligamur ad praxim mediorum ad finalem noſtram perfectionem neceſſariorum; ratio eſt, quia iſta media includuntur in Regulâ noſtrâ, tanquam pars illius: atqui certum eſt, nos teneri ad praxim Regulæ noſtræ; emiſimus enim vota noſtra, ac profeſsionem fecimus ſecundùm Regulam, ergò ex vi Regulæ etiam tenemur ad praxim iſtorum mediorum.

Benè media, quale eſt regula.

CAP. XXXII.

In quo conſiſtat puritas cordis Carmelitis propria?

VUltis ſcire, in quo ſita ſit perfecta cordis munditia, & quomodò eam feliciùs aſſequi liceat? imprimis ipſa in eo conſiſtit, ut in cor veſtrum nil intret, vel indè exeat, niſi quod eſt Deiforme, vel ad Deum conducit; item in eo, quòd ſolum Deum unicè quæratis, intendatis, inveniatis, ametis, ac eum ſolum in intimo cordis poſsideatis, & ſtabiliter teneatis

Cordis puritas.

neatis, continentes omnes animæ potentias & ſenſus in vinculis jugis mortificationis; deindè in eo, quòd omnes res vanas & inutiles, quæ fores cordis veſtri pulſant, cum dedignatione rejiciatis; iſta cordis puritas etiam exigit, ut vos ipſos evacuetis ab omni re non neceſſariâ, vel ad Deum non conducente, ac vos omni ſollicitudine ad Deum convertatis, explorando ſemper & ubique, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens & perfecta; item ut reſecetis omnem inanem occupationem intellectûs, memoriæ, voluntatis, phantaſiæ, appetitûs ſenſitivi, &c. ut effugiatis omnem evagationem mentis, ac cor veſtrum per pias affectiones, per fervidas aſpirationes in ſolo Deo fixum teneatis, ei adhærendo fide ſimplici, & charitate non fictâ; iſta puritas cordis poſtulat, ut vos geratis in hoc mundo ſicut advenæ & peregrini, nil quod in eo eſt, concupiſcendo; imò quaſi ſoli eſſetis in mundo coram Deo, & cùm Deo; non vobis attrahendo ullos homines, nec curando ullas res extra Deum, aut non Deiformiter; perindè ac ſi nil exſtaret, niſi vos & Deus ſoli, imò nec ad vos ipſos extra Deum, vel non Dei-

Perfecta puritas cordis.

Renunciatio omnium creaturarum.

formiter, attendere oportet: uno verbo, perfecta cordis munditia conſiſtit in totali exinanitione & abnegatione omnis affectionis ad quamlibet creaturam, imò & cogitationum de creaturis (quatenùs illa affectio, illæ cogitationes non eſſent conformes divino beneplacito) ac in ſincera adhæſione cordis ad ſolum Deum.

CAP. XXXIII.

Quantâ diligentiâ puritas cordis ſit acquirenda & conſervanda.

VErùm, quid conſilii, ad hanc cordis munditiam verè Angelicam conſequendam? hoc opus, hic labor; attamen conſolamini, nec vos pigeat laboris; nec enim *labor veſter erit inanis in Domino*, & erit copioſa *merces operi veſtro*. Audite monitum Sapientis: *Omni cuſtodiâ ſerva cor tuum, ex ipſo enim vita procedit*; quidem: ecce, in cuſtodiâ opus & labor, ſed in vitâ indè ſcaturiente fructus abundans: juxta ſatis receptam medicorum ſententiam, *cor eſt primò vivens & ultimò moriens*, ac proindè eſt ſedes vitæ, atque vita

1. Cor. 15.

Ierem. 31.

Prov. 31. *Omni cuſtodiâ cor ſervandum.*

Digitized by Google

vita ex corde procedens, mediante puriſſimo ſanguine etiam ad alia membra derivatur: eodem modo anima hominis in eo eſt velut cor ſpirituale primò vivens vitâ gratiæ, & ultimò moriens, & conſequenter anima eſt ſedes vitæ gratiæ; atque hæc vita animam incolens, indè ſcaturit in omnes ejus potentias mediante bonâ directione, & influxu charitatis. Hoc ſpirituale cor omni cuſtodiâ ſervandum eſt, ex ipſo enim vita ſpiritualis procedit. Quantâ putatis cuſtodiâ & diligentiâ id fieri oportet? ſi vobis comperta ſit prægmagna teneritudo hujus cordis ſpiritualis, facilè dijudicabitis, quali cuſtodiâ opus ſit. Lac & quædam alia adeò ſunt delicata, ut vel ſolus aër ea corrumpat, & inſipida reddat; cythara etiam per auram intemperatam malè diſponitur; ſpeculum ſolo halitu fœdatur; oculi adeò ſunt tenelli, adeoque clamant, *noli me tangere*, ut vel minimâ feſtucâ lædantur; cor corporale eſt ità delicatum, ut vel minimo catarro tactum deficiat & ſuffocetur, ſicque & ipſi, & cæteris membris vita tollatur; ideoque hæc omnia ſollicitè cuſtodienda, & à corruptione præſervanda ſunt. At non minori ſollicitudine

Anima eſt cor ſpirituale.

Res variæ facillimè corrumpuntur.

Cordis teneritudo.

dine opus eſt ad animæ puritatem ab omni maculâ immunem ſervandam: ſiquidem cordis ſpiritualis, ſive voluntatis rationalis, ſeu animæ; tanta eſt teneritudo, ut vel minimo vento inordinatæ paſſionis, minimo æſtu pravæ concupiſcentiæ lædatur; exiguâ etiam nubeculâ aut nebulâ inordinati ad quamvis creaturam affectus obfuſcatur, etiam vel unicâ cogitatione malâ, vel verbo otioſo, vel actione levi inquinatur; intemperatâ aurâ indebitæ affectionis facilè diſſolvitur in diſſonantiam malorum morum; quòd ſi accedat catarrulus, id eſt, conſenſus aut complacentia in aliquo peccato mortali, illicò ſuffocatur, & vitâ gratiæ deſtituitur: ex quo liquet, quàm meritò omni cuſtodiâ nos conveniat ſervare cor noſtrum ſeu animam noſtram, ſi ejus puritati conſultum velimus.

Anima facilè inquinatur.

Conſenſus in peccatum eſt catarrus.

CAP. XXXIV.

Qualiter Puritas cordis procuranda ſit.

Hic jam quærenda ſunt aliqua præſervativa, explorandus modus, in cuſtodia cordis ſpiritualis, ſeu animæ

noſtræ

noſtræ ſervandus: ac deindè paulò magis enucleandum, quænam vita ex corde tam benè cuſtodito procedat. Dominus Deus mandabat olim Moyſi, ut dolaret duas tabulas, quibus verba legis digito Dei imprimerentur; hoc mandatum nobis itidem datum putemus; duas enim tabulas animæ noſtræ dolare debemus, intellectum, inquam, & voluntatem mundare oportet ab omni indecentiâ, intellectum ab omni inani cogitatione, voluntatem ab omni malâ affectione, idque in illum finem, *ut formetur Chriſtus in illis*, ut imago Dei in illis perfectiùs imprimatur, ut divina Sapientia, digito Dei, id eſt, coöperante Spiritu ſancto qui dicitur dextræ Dei digitus, meliùs illis inſculpatur. Diſcite igitur hîc modum acquirendi cor mundum, nimirum per mortificationem animæ potentias dolare; diſcite adhuc alium. Experientiâ didicimus aviculas non diu volare tempore pluvioſo, & meritò: alioqui enim alæ earum per pluviam humectatæ ad volandum fierent inhabiles, eſſentque cauſa, quòd aves pluviâ gravatæ alicubi in ſordes inciderent, nec ampliùs reſurgere valerent. Chariſſimi ex hac experientia inſtrui:

Exod. 34.

Intellectus & voluntas ſunt tabulæ animæ, dolandæ.

Aves in pluviâ non volant.

ſtrui nos oportet; ecce enim animæ noſtræ ſunt velut aviculæ; alæ illarum ſunt affectiones & deſideria; has alas ſemper in ſicco cuſtodire oportet, neque enim licet eas pluviæ exponere, vel aqueo aëre rerum terrenarum humectare, earumque, more aquarum tranſeuntium, madore gravare, nè illis ſic madefactis ad cœleſtia volare impediamur. Heu, quàm gravatæ ſunt ſæpè hæ alæ noſtræ! quàm deſideria noſtra ad terrena, ad tranſitoria propendent! quàm difficulter ea ad divina, ad æterna expandimus! At quid eſt mirum? alæ noſtræ aggravatæ ſunt humoribus rerum caducarum, infixæ ſunt, & ſordidatæ luto bonorum temporalium; quòd ſi nos magis velimus aſſecurare, & præſervare ab ulterioribus malis; ſi nolimus infigi in limo profundi, & in luteis aquis hujus mundi ſubmergi, abſque ſpe reſurgendi & ad cæleſtia evolandi, debemus alas affectuum noſtrorum emundare ab omnibus inquinamentis, & ſiccandas expandere zephyro divinæ gratiæ.

Anima velut avicula: alæ ſunt affectus.

Alæ cordis.

Quidem dum vitæ Religioſæ nomen dedimus, è luto mundano emergere conati ſumus, & in Religione tanquàm in tuto littore vel aridâ pedes fiximus; verùm

rùm hoc non ſufficit; ſicuti enim non eſt ſatis, quòd avis enataverit aquas, vel ſe luto extricaverit, ſed inſuper ſuas alas mundare, ſiccare & ab aliis humoribus immunes ſervare debet, ut poſſit volare; ità non eſt ſatis evaſiſſe periculoſum oceanum hujus ſæculi, evaſiſſe aquas rerum tranſitoriarum, & in portu Religionis pedem fixiſſe, ſed præterea ad volandum nos diſponere debemus, & alas noſtras ſiccandas, deſideria, inquam, noſtra ad radios ſolis juſtitiæ expandere; quin imò indies nos magis oportet elongari à concupiſcentiis rerum mundanarum, & mentem ad cæleſtia & æterna inceſſanter elevare; nam hoc ſolummodò modo poſſumus adaptari, & diſponi ad volandum ſuper omnia creata in Deo. Eccè hîc iterùm datur modus aſſequendi cordis munditiam, ac mediante hâc munditiâ in ſpiritu proficiendi, nimirum alas cordis ſiccare, mundare, & expedire ab omni inquinamento peccati, ab omnibus ſordibus malorum affectuum, ab omnibus, quæ animam aggravare, & à jugi mentis in Deum elevatione retardare poſſunt.

Non ſufficit mundum deſeruiſſe re, ſed oportet & affectu.

Quòmodo ad cæleſtia volare oporteat.

Quomodo alæ animæ præparandæ.

CAP.

CAP. XXXV.

Qualiter animam ab omnibus terrenis immunem ſervare oporteat.

Inſidiæ aucupum in bacillis viſcoſis.

FOrtaſſis aliquandò vidiſtis, qualiter aucupes conſueverint bacillos aliquos viſco linire, & juxta ſemina granorum exponere, ut aves de ſurſum volantes, & ibi pedes figentes animo quieſcendi, vel grana colligendi, infixæ & captæ maneant, non valentes avolare, dum vellent. Hunc luſum ſeu fraudem frequenter etiam videre eſt inter homines; ſiquidem ſpirituales aucupes, ſeu animarum deceptores, nempè, caro, mundus & diabolus, ſæpè nobis proponunt bacillos glutine linitos, viſco, inquam, rerum terrenarum obductos, ut anima noſtra affectu adhæſivo illis innitatur, ſeducatur, & capiatur. Heu quàm multi hîc decipiuntur, qui putant ſe requiem poſſe invenire in carnalibus voluptatibus, in bonis terrenis, in honoribus temporaneis, ſed eheu! innituntur bacillis viſco obductis, quibus tam fixè ad-

Aucupes animarum.

Terrena ſunt viſcus.

Digitized by Google

adhærent, ut poſteà ſeſe vix extricare & in libertatem filiorum Dei aſſerere queant! Verùm quidem eſt ſępè contingere, quòd tales ſubindè videantur habere optima deſideria ad exercitium orationis omni ſollicitudine, fervore, & attentione cordi habendum, ac ſeſe ſoli Deo diligendo impendendos; ſed conqueruntur ſe non habere devotionem nec ſtabilem attentionem conſequi poſſe, variis ſe ſollicitudinibus ſemper æquè agitari, ſe manere aridos in intellectu, tepidos in voluntate, frigidos in charitate, inſenſibiles in ſpiritualibus, fragiles in omnibus; hæ ſunt querelæ & lamentationes multorum; at quid mirum? ſunt velut aviculæ captæ inſidentes bacillis viſcoſis, id eſt, inhærentes affectu inordinato rebus temporalibus; undè fit, ut ſemper maneant, æquè imperfecti, ſemper ligati, nec aſſequantur unquàm veram libertatem ſpiritûs, nec purè, nec ſincerè ad Deum per ſimplicem intentionem volent; quamquàm ſubindè bonam ad hoc videantur habere voluntatem, ut libertate filiorum Dei potiantur, ac puro affectu Deo ſervire incipiant. Laudent Deum, qui ejus gratiâ animati & con-

Multi per terrena decipiuntur, ut aves per viſcum.

Querela indevotorum.

Affectus ergà terrena eſt cauſa indevotionis.

fortati bacillos iſtos viſcoſos, renunciando mundo, reliquerunt; benedicant Dominum, qui ab ipſo vocati renunciârunt omnibus, quæ poſsidebant, & vitæ Religioſæ nomen dederunt.

CAP. XXXVI.

Non in creaturis, ſed in ſolo Deo quieſcendum eſt.

Aquilæ volant in alto ſolem contemplantes.

VErùm quid facto opus, ut hîc non circumveniamur, ut non obliviſcamur noſtri in vanâ & noxiâ quiete in viſco bonorum temporalium? imitemur aquilas; hæ ſunt talis naturæ, ut plerumque volitent in mediâ regione aëris, & ſolâ neceſſitate coactæ ad infimam aëris regionem, ſeu ad terram deſcendant, continuò de cætero contemplantes radios ſolis, in iiſque ſe oblectantes; quin imò ex teſtimonio naturaliſtarum, aquilæ dum neceſſitate cogente eſcam quærunt, acutis oculis piſciculos in aqua perſpectos, uſque ad aquas deſcendendo, & volitando arripiunt, & glutiunt, ſicque ſtatim rurſus in altum evolant, abſque eo quòd pedes in terrâ figant, vel à volando quieſcant: has aquilas imitari oportet;

Volando eſcam ſumunt.

Digitized by Google

tet; debemus ſemper ad cæleſtia ſpiritu ſublevari, habentes converſationem in cælis; tota noſtra recreatio debet eſſe in contemplatione ſolis, id eſt, in fideli obſervatione divinæ in animâ illuſtrationis; imò taliter hîc occupari convenit, ut nè quidem pro corporali neceſſitate de re aliquâ terrenâ cogitare lubeat: quin imò fide & Charitate tanquàm duabus alis ità in altioribus & divinis ſemper volitare deberemus, ut dum neceſsitas cogit, acuto quaſi oculo diſcretionis veluti de longè expiſcemur & exploremus, quid, & quantum naturæ neceſſarium ſit, & nil ampliùs; ità tamen, ut neceſſaria ſumamus volitando, id eſt, tenendo mentem in Deo elevatam; abſque eo, quòd pedes in terrâ figamus, vel alas aquâ fluminis humectari ſinamus, id eſt, abſque eo, quòd affectum in guſtu ponamus; vel in deliciis mundanis, quæ velut aquæ tranſeunt, volutemur, & inquinemur. Verùm, ad hoc magnâ induſtriâ & habilitate opus eſt, nimirum ut ex veloci fluvio hujus mundi ſola neceſſaria expiſcemur, & nil plus, idque volando, ut dictum eſt.

Qualiter aquilæ imitanda.

Qualiter neceſſariis utendum.

Verè hic modus optimus eſt acquirendi & conſervandi puritatem cordis; quo

Uti tanquam non uti.
1. Cor. 7.

B. Magd. de Pazzi nunquam adhæſit ulli creaturæ inordinatè.

quo qui utuntur, perfectè exequuntur conſilium Apoſtoli; *Qui utuntur hoc mundo, tamquàm non utantur.* Talis aquila myſtica erat Beata Magdalena de Pazzi, utpote quæ jugiter aſpirabat & volabat ad majorem perfectionem, ad cæleſtia & divina, non quieſcendo in ullâ re creatâ; ipſa tam benè nôrat ſervare puritatem cordis, ut toto tempore vitæ ſuæ non afficeretur ulli creaturæ, ſed ſoli Deo adhæreret; res ſanè mirabilis & ferè incredibilis, niſi ipſamet ſub finem vitæ hoc Sororibus teſtificata fuiſſet, dicens cum exuberante ſenſu gratitudinis ergà Deum, ſe non meminiſſe, quòd cor ſuum unquam vel pro modico tempore aliquam delectationem admiſiſſet, niſi in ſolo Deo; ac jam ferè agonizans addebat ſe nullâ ex rè magis quietari & confirmari, quàm ex hoc, quòd ſoli Deo ſemper intendiſſet. Ex quo claret, Beatam hanc Virginem uſque ad mortem, immaculatam ſervaſſe veſtem innocentiæ in Baptiſmo acceptam; ità ut puritas ejus, angelica potius fuerit, quàm humana; utpotè cùm ipſi per gratiam fuerit conceſſum in hac vita, quod Angelis competit per gloriam in cælo, nimirum in nullâ re, niſi in ſolo Deo delectari,

Digitized by Google

lectari, toto & continuo tempore vitæ. *B. Magd. de Pazzi in hoc imitanda.*
Reſpicite Chariſsimi hanc aquilam volantem, quæ nunquam in infimis quievit, ſed jugiter in ſublimitate divinitatis ſeſe libravit; quid dicam de acutiſsimo, quo viguit, fidei oculo, quo indeſinenter contemplabatur præſentem in omnibus ſolem juſtitiæ, adeò ut vix pro neceſsitate naturæ ſeſe ad aliquid creatum convertere poſſet? Hanc noſtram ſororem æmulari debemus in puritate cordis cordi habendâ.

Reverà ipſa mihi videtur fuiſſe veriſſima columba Arcæ Noë; quæ tempore diluvii dimittebatur ex Arcâ, *ſed non inveniens, ubi quieſceret pes ejus, reverſa eſt ad Arcam*, & pro ſecundâ vice dimiſſa, iterùm reverſa eſt *ad veſperam portans ramum Olivæ virentibus foliis in ore ſuo*: etenim eodem planè modo Beata noſtra Soror in conceptione ſuâ dimiſſa ex Arcâ divinæ omnipotentiæ diem hujus vitæ tranſegit volitando de unâ perfectione ad aliam, & non inveniens, ubi meritò quieſceret pes, ſeu affectus ejus in toto rerum univerſo, ſub veſperam hujus corporalis vitæ reverſa eſt ad Deum creatorem ſuum. A quomodò reverſa eſt? cum ramo Olivæ in

Ipſa eſt ſimilis columbæ Noë.

Gen. 8. v. 9.

V. 11.

in ſignum adepti triumphi ſempiterni pro inſignibus victoriis contrà mundum, contrà carnem, contrà diabolum reportatis: tales columbas nos eſſe decet; at, quod maximè dolendum eſt, plurimi ſunt ſimiles corvo, qui à Noë dimiſſus *non revertebatur*, quia nimirùm alicubi in aliquo putrido cadavere pedem fixerat, & eſcam immundam invenerat: ecce enim plerique mortalium à Deo miſſi in hunc mundum, incipiunt diligere ea, quæ in mundo ſunt, in illis pedem figunt inordinati affectûs, ibi rebus vilibus & inſtar fluentis aquæ tranſeuntibus delectantur & ineſcantur, ac obliti Domini Dei ſui, tardè, vel nunquam per veram cordis compunctionem & introverſionem ad ipſum revertuntur; verùm non ſic, ſed nuſquam niſi in arcâ, niſi in Deo tanquam in tuto, tanquam in centro quieſcendum eſt; omnia quæ in mundo ſunt, prætervolanda ſunt, tanquam aquæ decurrentes, quæ ſolidum fundamentum pedibus affectuum noſtrorum præbere nequeunt; quò ergò volandum? non fidentes nec adhærentes ulli rei creatæ, jugiter alas deſideriorum noſtrorum ad Deum expandamus, ad ipſum volemus, in ipſo ſolo unicè quieſcamus.

V. 7. Corvus Noë non revertebatur.

Mundani ſimiles corvo Noë.

In nullâ creaturâ quieſcendum.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXVII.

Alia media ad acquirendam & conſervandam puritatem cordis.

ALiquos jam modos curandi cordis munditiam ſuggeſſimus; ſed alios non minùs idoneos ex Sanctis Patribus colligere eſt. Audiamus præ cæteris melliſluum Bernardum, qui ſic loquitur; *Pone Chriſtum ſuper cor tuum: nam dum Chriſtus cor tuum cuſtodit, & eſt oſtiarius ejuſdem, ut per ipſum exeant & intrent omnes familiæ cordis, id eſt, cogitationes (de corde enim exeunt cogitationes) tunc ibi adſunt millia & millia Angelorum agentium excubias ad fores ſenſuum exteriorum; & noli cogitare, quòd peregrinus quiſpiam, id eſt, mala cogitatio perfringere audebit terribilem illam caſtrorum aciem, propter reverentiam oſtiarii, & vigilum Angelorum.* Ecce, Chariſſime, ſi vis cor habere mundum, *pone* Chriſtum, *ut ſignaculum ſuper cor tuum*; ac tanquam portarium ejuſdem; quod facilè fiet, ſi vitam Chriſti jugiter mediteris, & ejus ſpiritu paulatim imbuaris: ad idem plurimùm

Medit. 4. ſub finem

Chriſtus ut ſignaculum ſuper cor noſtrum.

rimùm tibi prodeſſe poterit, ſi procul à te abjicere ſtudeas omnem ſtrepitum diſtrahentium cogitationum, & ſolam vitam ac doctrinam Chriſti in mente habeas. Ad propoſitum nos hortatur devotus auctor Ioannes Lanſpergius; *Elige*, inquit, *id quod quietius & ſecurius eſt; non potes errare divertendo omnes cogitationes, præſertim tempore orationis, etiamſi & bonas rejiceres ac ferè neceſſarias, ex deſiderio & ſtudio puritatis, quæ te pro tunc ad alia conſideranda obligat.* Ex quibus iterum diſcere licet alium modum exercendi puritatem cordis, ſcilicet, rejicere omnes cogitationes, & ſimplici fidei intuitu mentem in Deo occupatam tenere; indubiè enim tali modo animam tuam mundam ſervare poteris; equidem ſic in te ceſſabit memoria injuriarum & moleſtiarum tibi ab aliis illatarum, evaneſcent omnes de mundanis cogitationes, omnes inordinatæ phantaſiæ & appetitus circa cibum, potum, divitias, honores & dignitates: non tam facilè ampliùs de aliis malè ſuſpicaberis, non temerariè judicabis, aut perverſè loqueris; evacuabitur cor ab omni rancore & amaritudine ergà proximum, &c. quo ſtrepitu imaginationum

Enchirid. mil. Chriſt. c. 46.

Omnes etiam bonas cogitationes aliquando rejicere oportet.

Puritas cordis per reſecationem multiplicitatis.

num & cogitationum ceſſante, magna indubiè in corde pullulabit puritas; tunc poſſidebis vas tuum in honorem; tunc cor tuum vacuum erit ab omni felle iniquitatis, & replebitur melle divinæ gratiæ; tunc, ſicut radii ſolares in ſpeculo reſplendent; ità in animâ tuâ radii divinæ veritatis ſcintillabunt.

CAP. XXXVIII.

Pauci intendunt veram cordis puritatem.

VErùm eheu! quàm procul abſumus à perfectâ hac cordis puritate! quàm multi exiſtimant ſuæ ſe ſatisfacere obligationi, dum à peccatis gravioribus ſe continent, de minoribus vitandis parùm vel nihil ſoliciti! plures non verecundantur diſputare de magnitudine peccatorum eâ intentione, ut ſcientes quandonam malitia eſt mortalis, liberiùs in venialibus voluntur; verùm tales attendant ad doctrinam Doctoris Angelici, dicentis, eum qui non habet firmum propoſitum vitandi peccata venialia, verſari in magno diſcrimine ſalutis. Aliqui ſubindè ad magnam cordis munditiam collimare

Nolentes vitare venialia ſunt in periculo ſalutis.

Digitized by Google

Multi ſimiles aviculis ligatis. mare velle videntur, deſiderantes mutare pennas, ut aquilæ, & ad cœleſtia volare; at facilè ab hoc propoſito reſiliunt, ad terrena affectu recidunt, & ſimiles efficiuntur aviculis funiculo ad bacillum ligatis; uti enim hæ aliquandò cernuntur in altum volare, alaſque ad volandum agiles habere, ſed poſtquàm aliquamdiu volârunt, rurſus per funiculum deorſum trahuntur; ſic multi reperiuntur, qui acquiſitâ aliquali cordis puritate, adepti videntur aliquam in Deo ſpiritûs libertatem, ut in ipſo volitent & quieſcant, ſed hæc volitatio eſt exiguæ durationis; facilè enim ſe ſinunt detrahi in priſtinas imperfectiones per inveteratam malam conſuetudinem, ſeu per pravos habitus, quibus velut funiculis quibuſdam ad mala trahuntur: de his & ſimilibus neſcio quid dicere, niſi quòd ſint volucres immundæ ad ſacrificia ineptæ, ac Deo odioſæ: quarè hoc? quia ſicut volucres ex naturâ ſuâ ad natandum & volandum inclinatæ, quales ſunt cygni, anates, &c. olim à ſacrificio arcebantur tanquàm immundæ; ita etiam qui volunt natare in voluptatibus hujus mundi, in fluentibus aquis concupiſcentiarum malarum, in ſenſualibus rebus, & ſimul

Mali habitus funiculi animæ.

Levit. 11.

Multi ſimiles avibus immundis.

Digitized by Google

ſimul benè vellent cœleſtia contemplari, ad divina ſpiritu ſublevari, reputantur coram Deo immundi, nec acceptabile illi de ſe poſſunt offerre ſacrificium: verumtamen non ſic chariſſimi; quin potiùs, renovetur, ut aquilæ, juventus noſtra, volemus & non deficiamus; conemur per veram conſcientiæ puritatem effici animalia munda, digna offerri Deo in juge holocauſtum, *in odorem ſuavitatis Domino*: in quem finem juxta monitum Apoſtoli, *emundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs*, id eſt, non ſolùm à ſordibus groſſioribus peccatorum, ſed etiam ab omni maculâ minorum imperfectionum. 2. Cor. 7.

CAP. XXXIX.

Ad cordis puritatem non ſufficit vitare peccata; quomodò cor mundum creetur.

FOrtaſſis dicet quiſpiam, confido me conſcientiam habere mundam, quia ſæpiùs illam abluo lavacro Sanguinis Chriſti in Sacramento Pœnitentiæ, imò indiès per ſacram Synaxim: gaudeo, quia mundus es, quia ablutus es, verùm audi

 Chri-

Chriſtum Principi Apoſtolorum dicentem, *qui lotus eſt, non indiget, niſi ut*
Ioann. 13. v. 11 *pedes lavet*, id eſt, qui à peccatis mundatus eſt, ad hoc niti debet, ut etiam affectus (his enim velut pedibus anima tendit, quòcumque vult) abluantur aquâ ſapientiæ ſalutaris; ad hoc debet allaborare, ut inclinationes animæ ab omni re tranſitoriâ alienentur, & ad Deum, ac ad ea quæ Dei ſunt, vel ad Deum conducunt, jugiter & totaliter ferantur. Videor audire quempiam reſpondentem & dicentem: quidquid facio, cor ita mundum ſervare non poſſum, quin experiar indiès pedes meos, ſeu affectus ſordeſcere, & quamdiu in carne vivo, carnis concupiſcentiæ ſum obnoxius vel
Leo ſer. 4. de Quadrageſimâ. invitus; & verò teſte Sancto Leone, *dum anima per hæc terrena graditur, neceſſe eſt de mundano pulvere Religioſa corda ſordeſcere.* Ad hoc reſpondeo: Chariſſime, verum dicis, nam durante hâc vitâ aſſidua lucta eſt inter carnem &
Sap. 9. ſpiritum, & *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*: hinc Regius Propheta probè cognoſcens non eſſe in hominis poteſtate cor pro voto purum cuſtodire, Dominum deprecabatur pro alio
Pſ. 50. corde, dicens, *cor mundum crea in me Deus,*

Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis; dans intelligi, non eſſe in ſuâ poteſtate acquirere cor mundum & ſpiritum rectum, niſi Deus manum creativam ſoli Deitati propriam ad hoc adhiberet. Equidem hoc ſcitu dignum eſt, quòd creare ſit aliquid de nihilo producere, quod ex communiori ſenſu Philoſophorum ſoli Deo convenit; adeò ut plures exiſtiment creare non poſſe convenire puræ creaturæ, ut cauſæ principali: atque hâc de cauſâ Propheta clamat ad Dominum; *Cor mundum crea in me Deus*, benè ſciens, quòd ſoli Deo proprium ſit, cor mundum creare.

Porrò hæc creatio mundi cordis diverſimodè contingit; primò mediante fide, conformiter ſacro textui; *fide purificans corda eorum:* aliquando purificatio cordis fit per aquas lacrymarum, undè Propheta dicebat: *Aſperges me Domine, & mundabor, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Vt verò tali modo Propheta opportunè mundaret cor ſuum, faciebat firmum propoſitum dicens: *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Ex quibus liquet cordis puri-

Qualiter cor purificetur.

Per fidem.

Act.17.n.6.

Per aquam lacrymarum.

Pſ. 6.

purificationem quàm optimè fieri per aquas lacrymarum; verùm adhuc multò meliùs per ignem charitatis, conformiter teſtimonio Prophetæ: *Emitte ſpiritum tuum*, utique; divini amoris, *& creabuntur*. Nonnè videre eſt, qualiter ignis purificet aurum? taliter etiam ignis divini amoris purgat corda noſtra, conſumens in illis omnem rubiginem & fœditatem vitiorum & malarum paſſionum; quocircà ſimiliter corde humili deprecemur, *cor mundum crea in me Deus*; ſuppliciter confitentes, quia propriis viribus Caſtitatem ſervare, & cor ab omni peccato ac imperfectione mundum cuſtodire non poſſumus, niſi Deus dederit, & cor mundum in nobis creaverit.

Pſ. 103. *Per ignem charitatis.*

CAP. XL.

Quinam apti ſint ad puritatem cordis.

VErumtamen Chariſſimi, hæc eſt vocatio noſtra, & omnium vitæ internæ amantium, cor mundum conſervare; hæc enim *eſt religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, imma-*

Jac. 1. v. 27.

maculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo; quod maximè locum habet in Carmelitis, & omnibus Theologiæ myſticæ ſtudioſis, utpote quorum vocatio ſit, Deum per fidem habere ubique præſentem, eique puriſſimo amore jugiter adhærere, quod utique ſolis iſtis competit, qui mundi ſunt corde: hoc optimè noverat Propheta David, in ſpiritu objiciens & ſolvens quæſtionem, *Quis aſcendet in montem Domini?* nimirùm ut videat Deum Deorum in Sion, hîc per ſpeciem, quaſi in ænigmate ac per amoroſam contemplationem, & poſteà per viſionem immediatam, facie ad faciem? nec mora, ab altero reſponſum non exſpectans, ipſe ſibi reſpondet; *innocens manibus & mundo corde*; quaſi vellet inſinuare, neminem ad montem contemplationis poſſe conſcendere per lumen vivæ aut nudæ fidei, atque ibi per internam converſationem coram Deo ſtare, niſi qui noverit omni loco puras ad Deum levare manus, niſi ex fide vivat, niſi omnia opera ejus ſint in fide, niſi Deus fide purificaverit cor ejus: ex quo liquet (ut alibi latiùs deducetur) quàm ſublimis ſit noſtra vocatio, ac quanta nobis incumbat obligatio tendendi ad ſummam cor-

Pſ. 23.

Soli mundi corde apti ad vitam myſticam.

cordis puritatem, utpotè ſine quâ finalem noſtram perfectionem conſequi non valeamus; patet etiam quàm felices ſint veri filii Prophetarum, Carmelitæ, & quivis ad vitam myſticam vocati, qui vitam vocationi ſuæ conformem inſtituunt; ipſi enim ſunt, de quibus pronunciat Salvator, *Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Quod dum attentiùs conſidero, non ſine ratione omnes iſti, ſpeciali modo videntur mihi eſſe amici & domeſtici Dei, ephœbi, & familiares æterni Regis, patris immenſæ Majeſtatis; talibus quippè proprium eſt ſemper Regi adeſſe, ac favorabili ejus familiaritate frui: tales practicè dicere queunt; *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*: in talibus complectur, quod olim Deus dicebat Patriarchæ Abrahæ, *Ambula coràm me, & eſto*, ſeu eris *perfectus*; verè enim tales acquiſitâ inſigni cordis puritate, proficiunt in omni gratiâ & virtute coràm Deo & hominibus.

Beati mundi corde.

Pſ. 15.

Gen. 17.

CAP.

CAP. XLI.

De delectationibus eorum; qui mundi ſunt corde.

VErùm quis exprimere condignè poterit internum & juge jubilum, delectationes ſpirituales & gaudia eorum, qui etiam in hac vitâ aſſecuti cordis puritatem, in ænigmate per fidem Deum ubique præſentem contemplari ſunt aſſueti? illi ſoli, qui ſunt experti favores & prærogativas divini amoris, quibus ſolent præveniri, qui filiali affectu coram Patre cœleſti jugiter nôrunt ambulare, in quorum cordibus Spiritus Chriſti clamat *abba Pater:* loquantur, quibus cum ſponsâ dicere licet, *Lectulus noſter floridus*, id eſt, cor noſtrum, in quo velut in lectulo cœleſtis Sponſus requieſcit ac animæ noſtræ amoroſè unitur, ornatum eſt ſuave-olentibus floribus omnis generis virtutum: audiantur illi, qui emundato corde ab omnibus, quæ illud aliquo modo maculare poſſent, cum veritate queunt dicere: *Ego dilecto meo, & ad me converſio ejus*: ſonet vox illius, qui audet dicere: *Expoliavi*

Filii Dei coram Deo ambulant.

Gal. 4.

Cant. 1.

Cant. 7. v. 10.

Mundi corde vox.

Digitized by Google

Cant. 5. *me tunicâ meâ, quomodò induar illâ? Lavi pedes meos, quomodò inquinabo eos?* id eſt, exui veterem hominem cum actibus ſuis, quomodò eum iterùm induam cum priſtinis imperfectionibus? purificavi omnes affectus animæ meæ ut nullum præter Deum amatorem admittam, nihil, quod extra Deum eſt, inordinatè diligam, nihil præter Deum intendam, quomodò iterùm eos inquinabo, aliquid extra Deum quærendo, vel affectando? equidem ſimiles abundè inſinuant firmiſſimam ſuam intentionem ac deſiderium conſervandi cordis puritatem etiam quoad minimas maculas imperfectionum: neque verò id faciunt ſine prælibatione ſpiritualis dulcedinis; ex abundantiâ enim gaudii interni unumquemque illorum loquentem audire videor: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* quid mirum? *inveni*, inquiunt, *quem diligit anima mea, tenui eum*, utique brachiis amoris, *nec dimittam*: ô quantum ſolatium iis, qui mundi ſunt corde, frui hac amorosâ unione & continuo ferè amplexu Dilecti! verùm ne quidem ipſi ſufficiunt explicare jubilum cordis ſui, pro-

Gaudia mundi cordis.
Pſ. 30.
Cant. 3.

prout illud experiuntur; audiatur tamen adhuc ſemel Regius Propheta, qui erat vir ſecundùm cor Dei. *Quàm bonus,* ait, *Deus Iſrael his, qui recto,* ſeu mundo *ſunt corde!* neque verò id mirum eſt, etenim ipſi ſunt de numero eorum, de quorum uno ait Salvator, *manifeſtabo ei meipſum.* Unicuique eorum dicit Dominus Deus, quod olim Moyſi, *oſtendam tibi omne bonum.* Ut quid hoc? quia *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* atqui Deus eſt omne Bonum; *nemo* enim *Bonus, niſi ſolus Deus;* ergò videbunt omne Bonum, ergò eis oſtendetur omne Bonum. Ex quo clarè colligere eſt, quantum gaudium, quantum ſolatium, quanta delectatio inundare debeat cor mundum; ſi enim ex fruitione alicujus boni minoris reſultet gaudium, quanta lætitia, quanta dulcedo non orietur ex contemplatione & fruitivâ poſſeſſione omnis boni?

Pſ. 72. Joann. 14. Exod. 33. *Mundo cordi oſtenditur omne bonum.* *Gaudium ex omni bono.*

CAP. XLII.

Quomodò anima conſequi poſſit gaudium mundi cordis.

PORrò ut ad hanc contemplationem, ad hanc omnis & ſummi boni fruiti-

vam poſſeſſionem etiam in hâc vitâ aliqualiter pertingamus, oportet conſcientias noſtras emundare ab omni inquinamento peccati; debemus purificare cor noſtrum imprimis ab omni carnali aut ſenſuali, aut purè naturali, ſeu mundano amore (hic enim obfuſcat in nobis imaginem Dei) deindè, quantum in nobis eſt, ab omnibus ſpeciebus creaturarum, & ab omni inutili cogitatione; præterea ab omni amaritudine animi, ex quâ ſolent pullulare plurimi defectus, complacentia, v. g. ſui, diſplicentia aliorum, rancor, dedignatio, indignatio, mala ſuſpicio, judicium temerarium, contentio, &c. Inſuper cor mundum ſervare oportet ab omni vanâ gloriâ, ab omni curioſitate intellectûs, ab omni affectatâ dulcedine voluntatis, ab omni impatientiâ, ab omni turbativo motu iræ; denique ab omni proprio amore, ab omni propriâ quæſitione, ab omni propriâ voluntate, uno verbo, ab omnibus, quæ aliqualiter animam maculare poſſunt; alioqui enim numquam ad amplexum amoris à Sponſo cœleſti admittemur; dum Sponſa aliqua leprâ eſt maculata, aut habet corpus ſcabie plenum, non admittetur à Sponſo ad

Emundatio cordis.

Sponſa ſcabioſa diſplicet.

ad amoroſam unionem, quin imò Sponſus à copulâ, ab amplexu abhorrebit; eodem planè modo, dum anima noſtra eſt plena imperfectionibus, quæ inſtar ſcabiei eam deturpant, cœleſtis ſponſus nullam cum eâ familiaritatem tenere deſiderat, quin potiùs eam à ſuo amplexu, ab unitivo amore arcet, ſeſe ab ipſa alienat, & quaſi faciem ſuam avertit. Dum oculi corporei ſunt pleni humoribus, lumen ſolis clarè videre nequeunt, imò claritas luminis illis moleſta eſt: ſimili modo pravæ habitudines, inordinati affectus, immortificatæ paſſiones obfuſcant oculum fidei, & impediunt, quo minùs anima Deum in omnibus præſentem contemplari queat; quocircà operæ pretium eſt emundare nos ab omni nævo peccatorum, ac ab omni inclinatione ſeu diſpoſitione ad illa. Fortè vidiſtis aliquando emblema; in quo exiguum animalculum omninò album ſedet in cavernâ, cujus aditum præcludit ſordida palus, ſic ut indè exire nequeat, niſi pedes maculet; ſed quia ex naturali inſtinctu adeò diligit munditiem, ut mallet mori, quàm ſe ſordidare, inferius habetur hoc elogium, *malo mori, quàm fœdari*: iſtud animalculum

Ita anima imperfecta.

Quid obſcuret oculum fidei.

Animalculum aliquod mavult mori quàm fœdari.

lum decet nos imitari, ac paulatim tàm firmâ reſolutione cordis puritati intendere, ut mallemus mori, quàm ſcienter & volenter aliquod etiam leve peccatum admittere; quod faciendo indubiè plurimùm proficiemus in vitâ verè ſpirituali, ad quam nos vocatos eſſe confidimus.

CAP. XLIII.

Qualiter S. Thereſia, & B. Magdalepa de Pazzi ad ſanctitatem pervenerint per puritatem cordis.

QUomodò putamus ſanctam Thereſiam ſpiritum Seraphicum fuiſſe aſſecutam? ipſa ſecundùm menſuram luminis fidei, quo à Deo erat gratioſè illuſtrata, & in quo coràm Deo aſſiduè & fideliter ambulabat, tanto ardore divini amoris flagrabat, ut illi ferendo non eſſet, nec illum occultare ullatenùs poſſet, quin etiam in membris corporis pateſceret; imò fert multorum opinio, eam inſtar Moyſis expiraſſe in oſculo Domini; pro quo oſculo ſæpius in vita ſolebat deprecari, canens cum Sponſâ, *oſculetur me*

Ardor amoris divini in S. Tereſ.

Moritur ex impetu amoris.
Cant. 1.

me oſculo oris ſui; hoc igitur oſculum divini amoris, hæc amoroſa unio fuit in ipſâ fortis ut mors, penetrans uſque ad diviſionem animæ; *fortis* enim *ut mors dilectio*: undè contigit, ut per vehementiam amoris potiùs, quàm per naturalem infirmitatem fuerit mortua. Undè tantus in illâ amor? quia per fidem exercitatam videbat Deum, omne & unicum bonum ſuum; quod quia vidit, adamavit: vidit autem, quia habebat cor perfectè mundum; *Beati* autem *mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: Matt. 5. Porrò hanc cordis munditiam acquiſiverat per punctualem obſervantiam Regulæ Carmeliticæ, reddens Deo votum Caſtitatis iſti Regulæ conforme, muniendo pectus ſuum cogitationibus ſanctis, ſumendo in omnibus ſcutum fidei, ac utendo gladio ſpiritûs, verbum Dei ſcilicèt, habendo ſemper in ore, ſemper in corde, quo ſic cordis puritatem aſſequeretur. Idem eſto judicium de Beatâ Magdalenâ de Pazzi; undè enim factum exiſtimamus, ut ferè ſemper eſſet in raptu, & in extaſi? undè tam mirabiliter igne divini amoris liquefiebat, & ſuaviſſimis ſponſi cœleſtis amplexibus ſtringebatur? non aliâ de cauſâ, quàm quia di-

Qualiter S. Thereſ. acquiſiverit cordis puritatem.

Cauſa divini amoris in B. M. de Pazzi viſio omnis boni.

Dilectus manifeſtabat ei ſeipſum, & oſtendebat omne bonum; quod ipſa fixo contemplationis oculo conſpiciens, non poterat non in ardentiſſimum ejus amorem rapi; hinc in ipſa tam admirandi exceſſus amoris divini; hinc tam amoroſa & aſſidua ejus cum Dilecto converſatio: porrò ei concedebatur ità clarè videre ſeu contemplari Deum, quia erat munda corde in ſummo gradu, ut alibi dictum eſt, ſicque ut alter Moyſes invenerat gratiam in oculis Dei: nihil aliud ſupereſt, niſi, ut ſequamur veſtigia ejus, omni cuſtodiâ cor noſtrum mundum ſervando omnibus diebus vitæ noſtræ: neque verò nobis perſuadeamus nos ſatisfacere vocationi noſtræ Carmeliticæ; niſi ſedulò conemur aſſequi hanc angelicam cordis puritatem: illa enim eſt ſcopus ad ſagittam, ad quem collimari oportet; cùm in eâ conſiſtat finalis perfectio Carmelitarum; quam nobis & omnibus vitæ internæ amatoribus largiri dignetur Agnus, Sponſus Virginum, *qui paſcitur inter lilia*, cujus *delicia* ſunt *eſſe cum filiis hominum*; qui ſit gloriosus & benedictus in ſæcula. Amen.

Concluſio tractatûs de Caſtitate.

Cant. 2.

De

De Paupertate Religioſâ in communi.

CAP. XLIV.

Paupertas eſt fundamentum perfectionis.

AXioma eſt inter Philoſophos, *turpiſsimè errat, qui errat in principiis*; exempli gratiâ, eſt turpis error in pictore, ſi neſciat miſcere colores, vel delineare; turpe eſt Philoſopho, errare in definitionibus, Poëtæ errare in quantitatibus Syllabarum, & ſic de aliis; quia ſimiles errant in principiis, quæ ante omnia callere deberent in ſuis reſpectivè artibus vel ſcientiis; eodem modo dicere licet in vitâ Religioſâ; turpiſſimè errat Religioſus, qui errat in principiis vitæ Religioſæ; v. g. turpe eſt Religioſo, immortificatum eſſe in paſſionibus, incuſtoditum in ſenſibus, diſſolutum in moribus; nam mortificatio paſſionum, cuſtodia ſenſuum, modeſtia in converſatione, abnegatio ſui &c. ſunt primæ litteræ alphabeti ſpiritualis, & principia vitæ

Turpe eſt errare in principiis artis.

Principia vitæ Religioſæ.

vitæ Religioſæ; quare Religioſus in iſtis errans, turpiſſimè errat; portò ne tales errores committantur, clara & dictincta iſtorum principiorum notitia eſt imprimis neceſſaria.

Paupertas præcipuum principium vitæ Religioſæ.

Vultis ſcire, quodnam ſit unum ex præcipuis principiis vitæ Religioſæ? illud eſt, Paupertas voluntaria, per quam Religioſus abdicat affectu & effectu omnia bona temporalia, quæ poſſidet vel poſſidere poſſet, abjectâ omni proprietate. Id nos docet D. Thomas, dum vocat Paupertatem fundamentum Religionis; ac proindè, ſicut fides, ſpes, charitas ſunt fundamenta vitæ Chriſtianæ; ita tamen ut fides ſit primum (nam *accedentem ad Deum credere oportet*) ita Paupertas, Caſtitas, & Obedientia ſunt quidem lapides fundamentales vitæ Religioſæ, ſed Paupertas eſt præcipuum fundamentum: huic ſenſui conformiter Beata Magdalena de Pazzi vocat Paupertatem lapidem fundamentalem Religioſæ perfectionis; quod idem ſentiens Salvator in ſermone ad Diſcipulos facto in monte, & volens in cordibus eorum ædificare turrim perfectionis, incipiebat ab hoc lapide fundamentali, dicens, *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum*

2. 2. q. 168. a. 3.

Hebr. 11.

Principia vitæ Chriſtianæ.

Paupertas fundamentum perfect.

Matt. 5.

rum

rum eſt regnum cœlorum: ſimiliter dum quidam ſcriba ad eum accederet, ut fieret ejus Diſcipulus, diceretque: Magiſter, *ſequar te quòcumque ieris*, reſpondebat illi Dominus, *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet*; quid enim ſibi vult hæc inexſpectata reſponſio? vult iſtum ſcribam docere, quòd, ut quis fiat verus Chriſti Diſcipulus, neceſſe ſit à paupertate & abdicatione rerum omnium incipere, ideoque pro primâ lectione illi proponit ſuæ exemplum paupertatis ad imitandum. Videte ergò, qualiter paupertas ſit fundamentum vitæ perfectæ. Eodem ſenſu quidam vitæ ſpiritualis ſcriptores vocant Paupertatem portam, per quam intratur in Religionem; cùm verò Religio ſit ſchola perfectionis; ſequitur Paupertatem eſſe principium & portam ejuſdem: hoc ut primò verum ſupponunt noſtræ Conſtitutiones dum dicunt: *Cum ſancta Paupertas Religioſæ profeſſionis ſit fundamentum &c.*

Matt. 8. v. 20.

Diſcipulus Chriſti à paupert. debet incipere.

Paupertas eſt porta ſcholæ perfectionis.

P. I. c. 10. §. I.

CAP.

CAP. XLV.

Paupertas eſt principium & Mater omnium Virtutum.

S. Ambr. l. 3. in Luc. *Paupertas mater virtutum.*

OPtimè ad rem loquitur S. Ambroſius, dum Paupertatem Spiritûs appellat matrem & nutricem omnium virtutum; ſi enim ſit mater, liquet, quòd ſit principium: at quo ſenſu Paupertas eſt mater reliquarum virtutum? hoc ſenſu, quòd eas pariat & producat: ſiquidem Paupertas Religioſa frangit concupiſcentiam, quæ quò magis & magis minuitur, eò magis creſcit amor Dei; porrò mediante divino amore Paupertas generat reliquas virtutes, quæ utique ſunt quædam genimina charitatis. Hac de cauſa Sanctus Ignatius præſcribebat ſuis diſcipulis, ut ſanctam paupertatem venerarentur, diligerent, & amplecterentur ut matrem; claré inſinuans id, quod hìc ſuſcepimus probandum, nempè, Paupertatem voluntariam eſſe principium vitæ ſpiritualis; cujus ulteriorem libenter dabo rationem: ſcitum eſt inter Philoſophos & experientiâ notum; principium formæ intro-

Paupertas generat virtutes.

S. Ign. p. 3. c. 1. conſt.

Principium formæ remotio contrariorum.

troducendæ in aliquam materiam, eſſe remotionem omnium, quæ formæ introducendæ contrariantur; v. g. principium formæ ignis introducendæ in materiam ligni, eſt remotio humiditatis & frigoris, quæ contrariantur proprietatibus formæ ignis, v. g. ſiccitati & calori; ac proindè remotio contrariorum eſt principium ignis in ligno. Chariſſimi, forma in animam rationalem introducenda, ac dans eſſe ſupernaturale filii Dei, aut perfecti Religioſi, eſt charitas ſeu gratia Dei: ac proindè remotio omnium, quæ charitati & gratiæ Dei contrariantur, eamvè à perfectâ informatione animæ impediunt, eſt principium charitatis & gratiæ Dei, ſeu vitæ ſupernaturalis animæ: & verò, quid in præſenti eſt remotio contrariorum? nihil aliud, quàm Paupertas Religioſa; quippè hæc nil eſt aliud, quàm voluntaria remotio, ſeu abdicatio omnium rerum terrenarum, quæ ut aquæ dilabentes, ſuo quaſi frigore & humiditate igni divini amoris contrariantur, illum impediunt, & exſtinguunt. Hoc ſenſu à Sanctis Patribus ſæpè dicitur, *meum & tuum, frigidum illud verbum*; quo datur intelligi, res mundanas non ſolùm cum pro-

Gratia Dei forma animæ.

Paupertas removet contraria charitati.

Terrena frigefaciunt charitatem.

Digitized by Google

proprietate poſſeſſas, ſed etiam verbis proprietatem ſonantibus expreſſas, eſſe frigidas & calori charitatis contrarias: hinc pro omnibus, qui volebant fieri Chriſti diſcipuli, ponit Chriſtus conditionem, ſine quâ non; *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus:* nec mirum; qui enim non renunciat omnibus, retinet in ſe impedimenta charitatis, ſine quâ nemo poteſt eſſe Chriſti diſcipulus. Ex quibus ſatis, ſuperque patet paupertatem eſſe principium perfectionis, ac fundamentum turris Evangelicæ; quocircà Religioſus, qui non eſt amator paupertatis, qui in omnibus propriam quærit commoditatem, nec vult ſibi quidquam deeſſe; errat turpiter, quia errat in principiis vitæ religioſæ: quem errorem ut evitemus, paulò fuſiùs de paupertate diſſeremus, agendo primò de ejus excellentiâ, ſecundò de ejus utilitate, tertiò de ejus ſuavitate, quartò, qualiter eam perfectiùs exercere conveniat & oporteat, denique de mercede ex ejus obſervantiâ ſperatâ.

Lucæ 14.

Qui non renunciat omnibus, cur nō poſſit eſſe Chriſti Diſcipulus.

Diviſio materiæ.

CAP.

CAP. XLVI.

Qualiter Chriſtus amaverit & æſtimaverit Paupertatem.

QVantùm attinet ad excellentiam Paupertatis, eam abundè colligere licet, tùm ex Scripturis, tùm aliundè; imprimis notum eſt, quòd quò res aliqua pluris ſit apud prudentes & expertos, eò majoris valoris & æſtimabilitatis eſſe cenſeatur; v. g. quò margarita aliqua ab experto & ſincero aurifabro magis commendatur, eò pretioſior æſtimatur, & minus periculum ſubeſt deceptionis; quarè, dum quis de valore alicujus Adamantis ſubdubitat, eum judicio periti aurifabri exponit: deindè quò celebris aliquis pictor plus æſtimat aliquam picturam, eò omnium judicio iſta pictura cenſetur pretioſior, & ſic de aliis; ex quibus ſequitur, quòd quò res aliqua à Deo pluris æſtimatur, eò certius ſignum ſit, rem iſtam eſſe tantò æſtimabiliorem ac excellentiorem; cùm enim Deus ſit increata & infinita Sapientia, *quæ in ſua diſpoſitione non fallitur,* cla-

Vndè rerum valor cognoſcatur.

Quæ Deus æſtimat, pretioſiſsima ſunt.

Digitized by Google

clarum eſt omne, quod ab ipſo æſtimatur, diligitur, eligitur, in ſe debere eſſe optimum & pretioſiſſimum; atqui æterna æterni Patris Sapientia, Filius Dei unicè adamavit paupertatem ſpiritûs; nam ejus amore dignatus eſt naſci de paupere Matre, reclinari in præſepio, animalium halitu calefieri, in ſeptennali exilio in Ægypto partim cibo emendicato paſci, partim ex labore manuum victitare; imò tantam paupertatem elegit, ut non haberet ubi caput reclinaret: ipſe, *per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil*, voluit nudus in Cruce mori, & ſumptibus alienis (cùm propter nos planè factus eſſet egenus) in alieno ſepulchro poni: attendite igitur Chariſſimi, quanti Filius Dei æſtimaverit Paupertatem, eligens vivere & mori in tantâ egeſtate. Apoſtolus hunc increatæ Sapientiæ ergà Paupertatem affectum benè teſtatur dicens: *Cum eſſet dives, propter nos factus eſt egenus*; idem inſinuans Regius Propheta, ait in perſona Chriſti: *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute mea:* reverà exemplum Chriſti deberet ſufficere, ad nos efficaciter animandos ad æſtimationem & amorem paupertatis. Quidem om-

Deus adamavit Paupertatem, & egeſtatem.

2. Cor. 8. v. 9.

Pſ. 87.

omnes, qui Religioni nomen dedimus, Pauperes dici volumus, utpote Paupertatem ſolemniter profeſsi; ſed pauci cum Chriſto volunt fieri egeni: ipſe interim *propter nos factus eſt egenus*, nobis donans exemplum, ut ſequamur veſtigia ejus, ſi fortè contingat nos ſubindè aliquam penuriam pati.

CAP. XLVII.

Chriſtus amavit Paupertatem ut ſponſam; ipſa amanda etiam ut nutrix.

AT quali amore Chriſtum putatis dilexiſſe Paupertatem? quali affectu nos decet eam amplecti? Beata noſtra Soror Magdalena de Pazzi vocat Paupertatem ſponſam Chriſti, inſinuans amorem Chriſti ergà Paupertatem fuiſſe ſicut Sponſi ad chariſsimam ſponſam; quocircà hæc Beatiſsima Virgo nos volens inſtruere, quanto amoris affectu nos oporteat Paupertatem proſequi, eam vocat nutricem ſponſarum Chriſti. Quare ſi cupitis certum habere ſignum, quòd animæ veſtræ ſint ſponſæ Chriſti, attendite, an tam tenero affectu ergà Pau-

Paupertas à Chriſto dilecta ut ſponſa.

Paupertas nutrix ſponſarum Chriſti.

per-

pertatem feramini, ſicut lactentes ſolent ferri ergà nutricem: infantes videatis nutricem amplecti, oſculari, ac ſemper ad ejus ubera anhelare, ad quæ dum eis jacêre conceditur, plenam habent ſatisfactionem, ibi quieſcunt, ibi ſecurè dormiunt, nil aliud deſiderantes, quàm ibi ſuaviter paſci. Si itaque Paupertas ſit veſtra nutrix ſpiritualis, ipſam etiam ut talem amare debetis, rationabile ejus, ſine dolo, lac concupiſcentes, id eſt, *illam*, ut loquuntur noſtræ Conſtitutiones, *diligere, in ſuâ puritate conſervare, & juxtà omnium virtutum moderatricem diſcretionem, ejus effectus libenter experiri oportet*; quid enim hoc eſt aliud, quàm eam ut nutricem, ut ſponſam, ut dilectam avido & amoroſo amplexu excipere? Dum contingit fortè ſubindè vobis aliquid de neceſſariis deeſſe, tùm cogitandum, quòd ſugatis ubera optimæ hujus nutricis; unde ſummam ſatisfactionem habere & ibi quieſcere debetis nihil aliud prætendendo, quàm guſtare lac hujus nutricis, id eſt, effectum Paupertatis, cujus dulcedinem alibi explicabimus. Supereſt ſciendum, quomodò paupertas fungatur munere nutricis, quatenùs innoteſcat, eam ut talem

Quid ſit Paupertatis ubera ſugere.

P. 1, c. 10. §. 1.

Paupertas fungitur munere nutricis.

Digitized by Google

talem colendam & diligendam. Anima devota deſiderans fieri ſponſa Chriſti, ante omnia conari debet illi in omnibus aſsimilari, atque rejiciens quidquid illi diſplicere poteſt, debet procurare ornatum omnis generis virtutum, quo Chriſtus allici poſsit ad eam adamandam, & adoptandam in ſponſam: hoc autem ipſa potiſsimùm poteſt adipiſci adminiculo hujus nutricis; nam quantò quis plus guſtat paupertatis effectus, tantò ſimilior eſt Chriſto, qui fuit pauper & egenus in omni vitâ ſuâ; deindè anima Deo fidelis ſugendo ubera hujus nutricis, evacuatur ab omni malâ concupiſcentiâ rerum caducarum, quæ ſolæ animam efficiunt quaſi leproſam, ſeu ſcabioſam, ac proindè ineptam ad aliquam amoroſam cum dilecto unionem; deindè cùm anima rationalis eſſe non poſſit abſque aliquo amore ſive ergà Deum, ſive ergà aliquas creaturas, fit, ut quantùm ſe à creaturis abſtraxerit, tantùm ſe Deo conjunxerit, ac profecerit in converſione ad Deum ſeu in amore Dei; qui amor cùm ſit aſſociatus ſequelâ omnium virtutum, ſequitur, quòd paupertas ſaltem per accidens, quatenus nimirùm tollens omnia impedimenta

Paupertas cauſat amorem Dei ac eo mediante nutrit alias virtutes.

divini amoris, cauſet ſeu generet omnis generis virtutes velut ornatum Deo gratiſſimum, ad complacendum cœleſti Sponſo: ex quibus conſtat, quàm benè fundatâ ratione Paupertas appelletur nutrix ſponſarum Chriſti, ac proindè in quanto honore, æſtimatione & amore habenda ſit.

CAP. XLVIII.

Quantoperè Deipara Virgo Paupertatem dilexerit.

D. V. amavit Paupertatem.

Baſil. in inſtit. mon.

AD exemplum Filii Virgo Mater non potuit non amare Paupertatem: teſte Sancto Baſilio ex amore Paupertatis elegit deſponſari Sancto Joſepho carpentario minimè diviti, ut cum ipſo, nendo, vel texendo tenuem victum lucraretur; magna ejus Paupertas clarè innotuit, dum proficiſcebatur in Nazareth, & ob defectum peculii *non erat illi locus in diverſorio.* Audite qualiter S. Cyprianus deſcribat magnam paupertatem Sanctiſſimæ Virginis puerperæ tempore puerperii: *Non erat*, inquit, *ſpatioſa domus, ſed exiguus quieſcendi locus*

Bonav. in vit. Chriſt. c. 9.

Cypr. ſer. de nativ.

locus in ſtabulo, matri in fœno, infanti in præſepio; tale diverſorium elegit Creator mundi; tales deliciæ fuerunt in puerperio Virginis; quæ peperit, eſt obſtetrix, & devotum ſuo infantulo præſtat obſequium, divitiæ non permittunt pediſſequas aut ancillas; ex quibus & ſimilibus ſatis colligere eſt magnam inopiam Virginis Matris: deindè, dum in die Purificationis iret ad templum, præ inopiâ non poterat offerre agniculum, more divitum, ſed more pauperum ſolummodò offerebat par turturum: ſi fortè interroges, quid fecerit de muneribus ſibi à Magis oblatis; reſpondet S. Bonaventura his verbis. *Quid factum putatis de auro, quod erat magni pretii? annè Beatiſſima Mater ſibi reſervavit? an alicui in depoſitum commiſit? an fortè pro illo emit agros aut vineas? nihil iſtorum; ſed ipſa zelum habens & amorem ergà paupertatem, cùm percepiſſet beneplacitum Filii, omne aurum in pauperes erogavit; ideò dum ad templum venit, non habuit, unde agnum pro filio offerendum compararet, ſed emit duos turtures*: ſic S. Bonaventura; porrò ulteriùs quantam Dei-para Virgo ege-

Inopia D. Virginis.

Bonav. in vit. Chriſt. c. 19.

D. Virgo patitur inopiam.

ſtatem paſſa ſit unà cum Joſepho & Filio in fugâ in Ægyptum, in ſeptennali exilio, quo durante inter barbaros & idololatras morabatur ſine ullâ commoditate, aut propriis proventibus pro victu & amictu, non facilè quis conjiciet; poſt mortem verò Filii exiſtimat Venerabilis Beda eam à Sancto Joanne, cui à Filio fuerat commendata, eleëmoſynis fidelium fuiſſe ſuſtentatam, uſque dum in voluntariâ paupertate cum magnâ animi ſatisfactione uſque ad extremum vitæ perſeverans obdormivit in Domino. Ex quibus omnibus denuò colligere licet quantæ præſtantiæ ſit voluntaria propter Deum Paupertas, cùm eam Regina cœli & terræ ſemper ſummoperè æſtimaverit, & dilexerit. Noſtrum eſt eam imitari; vultis ſcire quomodò? Beata Magdalena de Pazzi, volens ſuas conſorores in hoc inſtruere, dicebat: tunc meritò vocaremur Sorores D. Virginis, dum laboribus fatigatæ, veſperi aliquem inveniremus, qui loco refectionis, aut quietis, nos malè tractaret, & verberibus exciperet: ô quantum bonum hoc eſſet, ſi dum menſæ accumbendum eſſet, nihil ſuppeteret ad manducandum. Dum quieſcendum, non haberemus, ubi caput

V. Beda in c. 19. Ioan.

Suſtentatur eleemoſynis.

Moritur in Paupertate.

M. de Pazzi Tract. 3. vit. c. 5.

Fratres D. V. debent amare Paupertatem.

caput reclinaremus &c. Ecce Chariſſimi, modus optimus, quo mereamur Fratres Beatiſſimæ Virginis appellari, nimirùm ejus exemplo in multis occaſionibus libenter inopiam & paupertatis incommoda pati: quin imò, quò plures ad hoc offerrentur occaſiones, eò magis oporteret nos gaudere; quò cibi, v. g. magis redolent Paupertatem, & veſtes vetuſtatem, eò nobis debent eſſe gratiores; uti enim optimè dicebat Beata Magdalena de Pazzi, Quò res monaſterii ſunt viliores & abjectiores, eò reputandæ ſunt pretioſiores, quia ſanctæ Paupertati conformiores.

Viliora in monaſterio magis æſtimanda.

CAP. XLIX.

Paupertas eſt acceptabile Deo Sacrificium omnium Creaturarum.

EX jam dictis aliquòuſque poſſumus cognoſcere excellentiam voluntariæ Paupertatis; nam ſi quid ſub cœlo fuiſſet melius aut præſtantius, increata Sapientia aſſumens humanam naturam, illud præ illâ elegiſſet, & nobis eligendum

Sapientia æterna elegit Paupertatē.

dum propoſuiſſet; ſed nec Sanctiſſima ac prudentiſſima Virgo Mater eam tantoperè adamaſſet. Quòd ſi tamen ejus dignitatem adhuc aliundè probatam velitis; ſatisfacere conabimur. Id, quod gratiſsimum Deo ſacrificium eſſe poteſt, valdè pretioſum & præſtans eſſe debet; alioqui enim quomodò res vilis & abjecta Deo ſervire poſſet in odorem ſuavitatis? atqui Paupertas voluntaria eſt holocauſtum acceptiſsimum in odorem ſuavitatis Domino, ergò Paupertas voluntaria eſt res maximæ præſtantiæ & dignitatis; eſt, inquam, holocauſtum, per quod ſine ullâ prorsùs exceptione omnia, quæ in mundo ſunt, quodammodò conſumuntur, & per cordialem renunciationem Deo offeruntur, nullius vel minimæ rei reſervatâ proprietate.

Paupertas offert Deo omnia.

Paupercula in Evangelio relata, offerens duo minuta corde devoto & liberali, plurimùm Deo placuit; dum quis in nomine Chriſti dat indigent vel hauſtum aquæ, non caret mercede ſuâ; Zachæus dimidium bonorum ſuorum erogans pauperibus declaratus eſt filius Abrahæ; qui aliquid dat Eccleſiæ, vel pauperi, offert Deo ſacrificium acceptabile; ſed non holocauſtum univerſale omnium quæ,

Minima etiam Deo oblata remunerantur: patet

In Zachæo.

quæ in mundo ſunt, quod ſoli pauperes ſpiritu Deo conſecrant per votum Paupertatis. Hoc holocauſtum in die religioſæ profeſsionis accenditur, & per totam vitam debet continuari, ſic ut Religioſus ſummè cavere debeat, ne quid huic ſacrificio detrahat, nè, inquam, alicui rei creatæ contra votum ſuum, affectum apponat, vel aliquid etiam minimum poſsideat ut proprium: porrò qui fideliter adimplet votum paupertatis, juge ſine interruptione Deo immolat ſacrificium: ex quo patet, quàm acceptabilis, quàm pretioſa in conſpectu Domini debeat eſſe Paupertas, utpotè per quam non una res, non una pars auri, non unum regnum, ſed omnia, quæ in mundo ſunt, ſive actu poſſideantur, ſive non, animo liberali alienantur, amore Dei renunciantur, & hoc ſenſu Deo immolantur, quantum eſt ex parte Religioſi.

Paupertas eſt holocauſtum.

Offert Deo omnia.

CAP. L.

De magnâ utilitate Paupertatis.

NVmmus profectò magni valoris, ac mirabilis pretii foret, quo emeretur

tur integrum regnum Hiſpaniæ vel Franciæ, pretioſiſsima reputaretur gemma, quæ æquivaleret toti mundo: imò ad multorum obſtupefactionem aliquandò auditum eſt, aliquos Monarchas habere Adamantem, qui ſeptemdecim Belgii Provincias pretio & valore ſuperaret; verè Adamas inſignis, verè gemma pretioſiſsima, verè nummus admirabilis valoris; ſed quid iſta omnia in comparatione gemmæ Paupertatis Evangelicæ? Audiatur Sancta Thereſia ad rem diſſerens: *Paupertas*, inquit, *eſt bonum omnia hujus mundi bona in ſe comprehendens; quod qui conſecutus eſt, plenario dominio poſſidet omnia bona, nihil habens, & omnia poſſidens*: eccè, hæc gemma Evangelica æquivalet toti mundo: nec mirum: quæcumque enim homines in mundo ſolent deſiderare, per Paupertatem animæ devotæ adveniunt: homines venantur honores; eos confert Paupertas Religioſis, hi enim ab omnibus honorantur, præterquam quòd ſummè ſit honorabile Chriſto, ejuſque Matri in Paupertate aſsimilari. Mundus æſtimat eos, qui ſunt divites, & nullius egent; Paupertas facit, ut quis pauciſſimis ſit contentus, nullius videatur indigere

S. Tereſ. l. 4. vit. c. 19.

Paupertas omne bonum complectitur.

Confert honores.

Divitias.

digere

digere & vilipendat, quidquid Deus non eſt. Homines ſolent magni facere amicitiam multorum, præſertim potentium; pauperes, utpotè nullius indigentes, facilè habent omnes amicos. Rem totam experientiâ doctâ diſertè explicat S. Thereſia: *Vera*, inquit, *Paupertas, quæ propter Deum voluntariè toleratur, adfert magnum honorem: Pauper nullius, niſi ſolius Dei indiget, & illicò, quia nemini moleſtus eſt, multos ſibi conquirit amicos.* Ecce, quantæ utilitatis ſit Paupertas: quod probè ſciens S. Gregorius, ajebat: *Pauperes ſpiritu non plus æſtimant divitias, quàm ſordes & lutum male olentis paludis*: quid ita? an ergò divitiæ mundanæ ſunt ſordes? an aurum & argentum ut lutum reputandum? immò; comparatione factâ ad bona, quæ à pauperibus ſpiritu poſsidentur. Hæc bona à Laurentio Juſtiniano recenſentur his verbis: *Pauper omnia perfectè poſſidet in Deo, qui eſt ipſi omnia in omnibus; tuta eſt Paupertas Chriſtiana, quia ei eſt conceſſum, ut in rerum univerſarum Domino omnia poſſideat*: ecce Pauperes omnia poſsident in Deo, non ſolùm mundana, ſed etiam cœleſtia; nam ut ait

Amicitiam.

S. Thereſ. ibid.

Greg. hom. 5. in Evang.

Laur. Iuſt. tract. de Paupert.

Pauper omnia poſſidet in Chriſto.

Ieron. Ep. ad Pamac.

ait D. Jeronymus, *Chriſtus eſt omnia (nam in ipſo omnes theſauri Sapientiæ & ſcientiæ ſunt abſconditi) ac ideò, qui omnia deſerit propter Chriſtum, omnia in Chriſto invenit, etiam bona æterna*: ideò veriſsimè dicebat Chryſoſtomus: *Pauperes maximos poſſident theſauros, non terreſtres, ſed cœleſtes, quos tinea non rodunt, nec fures auferunt: tantam poſſidet rerum abundantiam, ut totum mundum pro nihilo reputet, & quidquid in mundo eſt, æſtimat crepundia.*

Chryſoſt. hom. 47. in nativ.

CAP. LI.

Pauperes emerunt cœlum, velut theſaurum, qui continet omnia: Sanctorum exemplo Paupertas amanda.

NOn eſt mirum, tanta bona attribui Paupertati; pauperes enim ſpiritu paratâ quaſi pecuniâ emerunt cœlum, cui omnes mundi divitiæ comparatæ, ſunt quaſi nihil, aut velut luſus puerorum, ad quos adulti & homines intelligentes vel ſemel reſpicere non dignantur:

nantur. Vultis ſcire paratam pecuniam? voluntaria paupertas eſt iſta pecunia, quia ipſa eſt pretium, quo cœlum comparare licet; ideò Salvator ait, *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: Quarè enim ipſorum eſt regnum cœlorum, niſi quia illud emerunt paratâ pecuniâ Paupertatis? hinc ſicuti dum quis aliquid emit, v. g. inſignem equum, ac pro eo numeravit pecunias, dicere poteſt, iſte eſt meus equus, etſi traditio necdum ſit facta; ità qui per votum paupertatis renunciat omnibus, quæ poſſidet, conſenſit emptioni regni cælorum, ac veluti paratam pro eo numeravit pecuniam; ac proindè meritò dicere poteſt, regnum cœlorum eſt meum, etſi de facto necdum traditum. Ad hoc attendens Beata noſtra Magdalena: *Quis*, inquit, *emet paradiſum? ubi invenientur pecuniæ ad hoc ſufficientes? quid poſſumus dare tanto bono æquivalens? &c. pauperes ſpiritu habent tales pecunias in manibus ad emendum cœlum; talis enim theſaurus ſummo pretio paupertatis comparatur*; & quò anima pauperior eſt, eò ampliores theſauros Deus illi infundit, quibus poſtmodùm emit cœlum.

Paupertas eſt pecunia, quâ emitur cœlum.

Matt. 5.

B. M. de Paz. l. appar. c. 44.

Pecunia pro emendo cœlo in manu Pauperis.

Quis

Quis ergò Paupertatem non amabit, cùm eâ mediante tanta Deus dona hominibus largiatur? Ad propoſitum loquitur Auguſtinus hortans ad amorem Paupertatis: *Ne tibi diſpliceat Paupertas, nil enim illâ ditius; vis noſſe, quàm illa ſit locuples? eâ comparatur ipſum cælum.* Ecce quanta utilitas Paupertatis; quis ſimile de ipſâ ſuſpicaretur? verè ipſa eſt *theſaurus abſconditus in agro* Religionis, *quem qui invenit homo* à Deo ad Religionem vocatus, *præ gaudio illius* meritò *vendit omnia, quæ habet, ut emat agrum illum*; id eſt, per votum Paupertatis renunciat mundo, & omnibus, quæ in mundo ſunt, & facit profeſſionem vitæ Religioſæ. Eccè Chariſſimi, quotquot Deo in Religione militamus, occupamur in effodiendo iſto theſauro; at necdum debitè ac plenè cognoſcimus ejus pretium & valorem, ex quo venit, quòd tam ſegniter illi eruendo & guſtando invigilemus; Paupertatis, inquam, effectus non libenter experimur; oblatâ occaſione penuriam aliquam pati recuſamus, & nihil nobis deëſſe volumus. Alia exempla Paupertatis ſumere licet à ſanctis noſtris Patribus Eliâ & Eliſæo, qui nobis in ſanctâ Paupertate præ-

Aug. ſerm. 28. de verb. Apoſt.

Paupertas eſt theſaurus.

Elias & Eliſæus Pauperes.

præluxerunt; S. Chryſoſtomus hac de re diſſerens ſic loquitur. *Quid Eliâ Pauperius? ſed ideò omnia regna vincebat, quia pauper hic erat; ideò etiam in cœlum aſcendens, nihil aliud præter melotem diſcipulo dereliquit; ecce quomodò volat ad cælum, qui nullo pondere terrenæ cupiditatis gravatur.* Sic S. Chryſoſtomus; & de facto, S. noſter Pater, viduæ eleëmoſynis victitabat, ac dum eleëmoſynæ deficiebant, Deus pauperi nunc per corvum, nunc per Angelum neceſſaria providebat. Similiter Sanctus Pater noſter Eliſæus juxtà tenorem ſacri textûs paupertatem coluit, eleëmoſynis victitando. Horum veſtigiis inſtitit Sancta Thereſia, ſummè gaudendo, dum neceſſaria deficerent, vel tritiori habitu uti contingeret, vel incommodum ædificium pro manſione obtingeret. Non minùs in amore Paupertatis emicuit B. Magdalena de Pazzi; ipſi videbatur deberi vilior & tritior habitus totius conventûs; ipſa ſibi complacebat in colligendis pro ſuo victu reliquiis portionum & particulis panis; magna illi erat mortificatio, quòd non liceret panem oſtiatim mendicare; dùm aliqua neceſſaria deërant, ſummoperè gaudebat; dum

Chryſoſto. hom. 2. ad pop. Anti.

S. Thereſ. afficitur Paupertati.

Etiam B. M. de Pazzi.

dum ſufficienter miniſtrabantur dolebat, conquerens ſe Paupertatis effectus adeò parum experiri. Ecce Chariſſimi, quomodò iſti Sancti dilexerint Paupertatem, ſcientes ejus emolumenta: videte hîc exempla, quæ imitari oportet, nos exiſtimando felices, ac gaudendo, quaſi inveniſſemus theſaurum, dum aliqua Paupertatem experiendi offertur occaſio.

CAP. LII.

Suavis & quieta vita Pauperum ſpiritu.

JAm ſatis ſit de magnâ utilitate Paupertatis, præter ea, quæ poſteà adhuc dicentur de ſpeciali mercede Pauperum ſpiritu; nunc aliquid de illius ſuavitate dicamus. Suavis eſt vita, quæ eſt ſine ſollicitudine; ſic videmus infantes ſuaviſſimam ducere vitam; qui toti adhuc incuriis pendent ad ubera matrum, earum ſinu protecti, ibi dormiunt ſecurè, nullam ſibi difficultatem attrahunt, ac ideò notabiliter creſcunt & pingueſcunt: nec eſt mirum; ſunt enim immunes ab omni curâ; videtur ipſis, quòd nullus eis poſſit nocere, quamdiu matrum brachiis conſtringuntur. Idem dicere licet de Pau-

Infantes ſunt ſine curâ.

Pauperibus ſpiritu; nimirùm quòd ſuavem, utpote ab omni ſollicitudine & anxietate liberam degant vitam. Terrenæ ſollicitudines ſunt velut ſpinæ configentes corda divitum; ſunt velut amaræ pillulæ, quæ ſtomachum alterant, & os hominum mundanorum amaricant: verùm ab his ſpinis liberum eſt cor Pauperis; hoc fel amariſsimum non guſtant Pauperes ſpiritu; cùm enim voluntariè omnia deſeruerint, nec quidquam proprium poſſideant in hoc mundo, non debent eſſe ſolliciti pro bonis accumulandis, aut conſervandis. Pauperes ſpiritu perfectiſsimè practicant illam Chriſti lectionem, *Nè ſolliciti ſitis animæ veſtræ, quid manducetis, nec corpori veſtro, quid induamini*; ipſi in praxim redigunt, quod hortatur Pſalmiſta, *Iacta ſuper Dominum curam tuam, & ipſe te enutriet*: quia reverà omnia Deo committunt, & confidunt; ſunt in hoc mundo, quaſi non eſſent, ſunt incurii inſtar infantum, qui omnem ſollicitudinem matribus relinquunt, non inquirentes, undè neceſſaria proveniant; nec mirum, jacent enim nutriendi ad ubera divinæ gratiæ, quieſcunt in ſinu divinæ bonitatis, in brachiis divinæ Provi-

Pauperes ſpiritu ſunt ſine cura.

Matt. 6. v. 25.

Pſ. 54.

Digitized by Google

videntiæ : ideò confidunt nihil ſibi poſſe deeſſe & neminem ſibi poſſe nocere, quamdiu ibi manſerint ; quia nihil habent amittendum, qui nihil proprium poſsident : hinc eſt, quòd pauperes Spiritu non vereantur inſultationes dæmonum ; neque enim habent, undè ab illis teneantur, aut dejiciantur ; in Deo quieſcunt uti infantes in utero matris, qui ab omni injuriâ temporis, à frigore & æſtu ſunt protecti, nec facilè lædi poſſunt, niſi priùs læſo utero matris : at hæc veriùs quadrant pauperibus ſpiritu, cùm ipſi ab omni malâ rerum mundanarum cupiditate denudati, in vulvâ divinæ, & pluſquam maternæ bonitatis ac benignitatis conquieſcant, ibidem tuti ab omni malo, & extrà omne periculum ſecuri.

Pauperes ſpiritu in Deo quieſcunt.

CAP. LIII.

Pauperes nihil timent, & vivunt in omnibus & ubique ſecuri.

VUltis ulteriùs cognoſcere quietem & tranquillitatem ex Paupertate Spiritûs pullulantem? Dum Sanctæ Thereſiæ

reſiæ aliquandò promiſſa eſſent duodecim millia aureorum pro fundatione Cōventûs Toletani, ſed poſteà retractata, loquebatur lætabunda conſodalibus ſuis, *Chariſſimæ, quàm tuta & ſecura eſt jam noſtra peregrinatio; cùm omnipotens nobis abſtulerit idolum iſtud!* auditis qualiter Soror noſtra glorietur de Paupertate? ecce peregrinationem hujus vitæ ſolùm vocat tutam & ſecuram, dum eſt immunis à bonis temporalibus; quia nimirùm pauper peregrinus non habet, quòd timeat latrones, ſed benè dives. Tali ſenſu dicebat eadem Sancta Paupertatem eſſe murum & arcem Religionis, quæ per illam cuſtoditur & defenditur contra omnes inſultus inimicorum: dum aliquis pauper carpit viam prædonibus infeſtam, tutus incedit, ubi cæteri ſpoliantur: ſi mendicus quiſpiam ſub caſulâ lateat circa viam, per quam tranſit exercitus hoſtilis, intactus relinquitur in caſâ ſuâ, ubi aliorum domus vaſtantur aut comburuntur. Si petas, quid peregrinum iſtum illæſum cuſtodiat in periculoſo iſto itinere? nihil aliud, niſi ſalvus conductus paupertatis: hæc eum planè aſſecurat, quocumque perrexerit: ſi quæras, quid mendicum iſtum defendat;

Thereſ. l. fund.

Bona temporalia ſunt idola.

Paupertas eſt murus Religionis.

Pauper ubique tutus.

Paupertas eſt Salvus conductus.

dat; nihil aliud, quàm Paupertas; quia nempè nihil habet, & miſer reputatur, nullus eum impetit, omnes ipſum indemnem prætereunt: ſimile omninò contingit pauperibus ſpiritu; hi quippè durante peregrinatione vitæ mortalis, pergentes ad patriam cœleſtem, tuti manent ab hoſtibus animæ; quia Paupertas ſpiritûs illis ſervit pro ſalvo conductu in periculis: deindè licèt vita hominis ſit continua quædam militia ſuper terram, obſidentibus undique & infeſtantibus plurimis inimicis; pauperes tamen parùm vel nihil timent, quia Paupertas illis ſervit pro muro fortiſſimo: hoc ſuum munimentum ipſi benè ſcientes, ſemper manent tranquilli, & mente hilares; quamobrem ritè ſolebat dicere Beata Magdalena de Pazzi, eos qui Paupertatem amant, nunquàm triſti animo eſſe. Legitur in vitis Patrum de quodam paupere, quòd præ inopiâ magno frigori expoſitus ſibi ipſi læto corde diceret, Benedico Deum, quoniam liber ſum; quàm multi divites jam ligati & catenati jacent, ego autem ambulo, quocumque volo: taliter etiam dicere poſſent pauperes ſpiritu, quòd nimirum laudent Deum, corde hilari, quia liberi ſunt

Pauper ſpiritu ubique ſecurus.

B. Magd de Paz. Tract. 3. vit. c. 6.

Pauper ſemper lætus.

ſunt ab omni ſollicitudine terrenâ, quia vivunt ſine timore cum ſecuritate mentis, ubi tot divites ſemper anxiantur & timent.

CAP. LIV.

Paupertas comparatur Fornaci Babylonis, in quâ juſti manent illæſi.

Sanctus Chryſoſtomus nobis commendare deſiderans bona Paupertatis voluntariæ, eam ritè comparat fornaci Babylonicæ: quid ita? quia ſicut illa fornax conſumebat idololatras in eam immiſſos, & illæſos conſervabat veri Dei ſervos, Danielem cum ſociis, ignis enim illis non nocebat, nec capillos capitis illorum comburebat, eò quòd *Angelus Domini deſcendit in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, quaſi ventum roris flantem, & non tetigit eos omninò ignis*: eodem modo contingit in fornace Paupertatis; hæc enim conſumit & lædit eos, qui ſunt idololatræ bonorum temporalium (nam cupiditas eorum eſt idolorum ſervitus.) Equidem ſi contingat tales mitti in fornacem Pauperta-

Chryſoſt. Tract. de Paup. Chri.

Paupertas ſimilis fornaci Babylon.

Dan. 3. v. 49.

pertatis; ſi, inquam, Deo ſic diſponente, talibus fortuna contrarietur, ibi conſumuntur, incidunt in murmurationes & blaſphemias contrà Deum, in impatientiam, in triſtitias inconſolabiles, in deſperationem, & pereunt: econtrà hæc fornax nihil nocet illis, qui voluntariè ex vero Dei amore in illam deſcendunt, propter Deum omnia relinquentes; his enim ſervit pro refrigerio; ros enim divinæ gratiæ deſcendit in fornacem, ibíque plus & plus indiès exſtinguit ignem malæ concupiſcentiæ; deindè moderatur omnem moleſtiam, & facit, ut medium fornacis, id eſt, ut præcipuæ difficultates in ſtatu Paupertatis obviæ, ſit quaſi ventus roris flans & refrigerans; ſicque eſt apparentia inſtantis diei æſtivi in animabus Pauperum iſtorum, id eſt, eſt bona apparentia, quòd gratia Dei inſtar auroræ in illis creſcet & procedet uſque ad perfectum diem ſublimis perfectionis, in quo conſtituti anhelare incipiunt ad amoroſam unionem cum Deo, dicentes cum ſponſâ, *dic ubi cubes in meridie*, nimirùm ut te inveniam, ut unus tecum ſpiritus efficiar; equidem nemo ad myſticam cum Deo unionem eſt aptior, quàm pauperes ſpiritu: verùm hîc nonnihil

Avari & proprietarii in egeſtate murmurant &c.

Pauper ſpiritu in egeſtate gaudet.

Pauper ſpiritu aptus ad amorem unitivum.

Cant. 1.

nihil loquor extrà propoſitum, cùm de hoc poſteà latiùs ſit agendum.

Vt ergò ad propoſitum redeam; quomodò ſeſe gerunt Pauperes ſpiritu in fornace Paupertatis? De Daniele & ſociis ejus ſcriptum eſt: *& ambulabant in medio flamma laudantes Deum, & benedicentes Domino.* Simili modo Pauperes ſpiritu recreantur ſpiritualiter in fornace Paupertatis, ibi ambulant, id eſt, proficiunt de virtute in virtutem; dum contingit eos penuriam pati, inopiâ premi, incommodis affligi, tunc non comburuntur, neſciunt murmurare, aut impatienter agere, ſed laudant Deum, ac in omnibus benedicunt Domino. Hoc conſiderantes homines hujus ſæculi, aut etiam imperfectiores Religioſi obſtupeſcunt admirantes, quòd iſti adeò quietè vivant, quomodò tam modico tempore in virtute adeò profecerint, ambulantes in abſtinentiis, & voluntariâ egeſtate. Verùm ſi iſti benè attenderent, non ità mirarentur: viderent enim, quòd Pauperes ſpiritu non ambulent ſoli, ſed Angelus Domini cuſtos eorum, vel etiam gratia Dei eos comitatur, eos in omnibus adjuvando, ne vel in minimo capilli aut veſtes illorum

Dan. 3. v. 24.

Pauper ſpiritu inopiâ gaudet.

Pauper Angelos ſecum habet & gratiam.

rum attingantur, id eſt, nè vel minimum patiantur detrimentum in veſte nuptiali Charitatis Dei per ardorem malarum cupiditatum. Ecce Chariſsimi, quàm tutum, jucundum & ſuave ſit voluntariam ſequi Paupertatem; videte, quid de hoc ſentiat Chryſoſtomus, dum Paupertatem comparat fornaci Babylonis, idque non ſine fundamento in ſacrâ Scripturâ; Deus enim per Iſaiam loquens animæ electæ de loco ſuæ electionis, *elegi*, inquit, *te in camino*, ſeu fornace *Paupertatis*.

Iſaiæ 48. v. 11.

CAP. LV.

Pauperes Spiritu laudantes Deum in oratione facilè exaudiuntur.

Pſ. 73.

REgius Propheta de hoc agens, *Pauper*, inquit, *& inops laudabunt nomen Domini*: neque putetis eos fruſtrà laudare & deprecari Dominum: nam idem Propheta quaſi digito oſtendens Pauperem exauditum, ait, *iſte pauper clamavit, & Dominus exaudivit eum*. Quomodò clamare debet, ut exaudiatur? non eſt opus, ut clamet ore, nam *deſiderium Pauperum exaudivit Do-*

Pauper ſpiritu facilè exauditur.

Dominus; hac de causâ loquitur Propheta conſolatorium verbum; *videant Pauperes & lætentur*, quia nimirum, Pſ. 68.
etiam deſiderium Pauperum exaudit Dominus, *quoniam exaudivit Pauperes Dominus*: ô quantum ſolatium pro Pauperibus ſpiritu, habentibus tam certum indicium, quòd in orationibus à Deo exaudiantur! S. Chryſoſtomus videtur dare rationem, cur Pauperes ſpiritu tam facilè à Deo exaudiantur, dum ait, *Pauper coràm Deo aſſiſtit ſemper, numquàm enim illi occluditur porta, nec vivit ſicut homo, ſed ſicut Angelus*: Chryſoſt. hom. 47. in nativ.
Angeli enim adinſtar, nihil in hoc mundo proprium poſsidet, & contemplatur ubique Deum præſentem. Ecce Chariſſimi, hæc eſt ratio, cur Pauperes faciliùs exaudiantur. Principes hujus mundi faciliùs concedunt favores ſuis aulicis familiaribus, qui ſemper ipſis aſſiſtunt, & dum quis perſonaliter ſuam ſupplicam conſignare poteſt manibus Principis, citiùs expeditur; ità etiam Deus faciliùs favorabiliter apoſtillat orationes Pauperum, qui ab omni re creatâ ſe abſtrahentes nulli rei, niſi ſoli Deo adhærent, effundentes coràm illo corda ſua; meritò ergò *videant Pauperes & lætentur*.

Cur Deus facilè exaudiat Pauperem.

tur, quia *audit Pauperes Dominus:* Propheta David cupiens Deum efficaciter deprecari, non ſciebat illi proponere opportunius motivum ad exaudiendum, quàm ſuam Paupertatem ſpiritûs, quam conſervabat etiam inter regias divitias, & in rerum omnium abundantiâ, ideò

Pſ. 69. dicebat: *Ego verò egenus ſum & Pau-*

Pſ. 68. *per, Deus adjuva me*: & alibi rationem dans conceſſæ ſibi à Deo ſalutis; *Ego*, inquit, *ſum Pauper & dolens, ſalus tua Deus ſuſcepit me:* quaſi diceret, quia Pauper ſum ideò ſalvus factus ſum: *Videant*, igitur, *Pauperes & lætentur.* Quæ cùm ita ſint, quis Paupertatem non ex toto corde amplectetur, quatenus ejus dulcedinem poſſit deguſtare, & frui bonis ex eâ oriundis?

CAP. LVI.

Quomodò Paupertas amanda ſit, & in ſuâ puritate conſervanda.

Paupertas in ſuâ puritate ſervanda.

VIdemini mihi Paupertatis amore nonnihil ex dictis ineſcati, ac proindè exquirere, qualiter voto Paupertatis ſit ſatisfaciendum, quatenus aſſequi poſſitis bona ex Paupertate oriunda, de

de quibus partim jam actum eſt, & partim poſteà adhuc agetur: benè, optimè, mandate executioni, quæ hîc dicentur. Noſtræ Conſtitutiones optimum ſuggerunt modum exercendi Paupertatem, his verbis: *Monemus & obſecramus in Domino, ut eam omnes diligant, in ſuâ puritate conſervent, & juxtà omnium virtutum moderatricem diſcretionem, ejus effectus experiantur, Salvatoris exemplo, qui cùm eſſet dives, propter nos factus eſt egenus.* En hîc modella, ſecundùm quam Paupertati ſtudere nos oportet; primò eam debemus amare; ſecundò in ſuâ puritate conſervare; tertiò, ejus effectus experiri, penuriam patiendo exemplo Chriſti. Quantùm ad amorem illi exhibendum; B. Magdalena de Pazzi docet, *eam diligendam ut ſponſam, ut fidelem amicam, ut ſororem.* Experientia docet, quàm tenero amoris affectu mundanus quiſpiam adoleſcens ferri ſoleat in dilectam ſibi ſponſam: nulli parcit labori, ut illi complaceat; nullius ipſum tædet moleſtiæ pro ejus obſequio, modò illius frui queat converſatione cum ſpe aſſequendi ſuam cum eâ prætentionem. Eodem modo vult Beata noſtra Soror à

P. 1. conſtit. c. 10. §. 1.

M. de Paz. Tract. exercit. c. 3.

Paupertas amanda ut ſponſa.

nobis diligi Paupertatem, ejus amore nulli labori parcendo, nullas naturæ moleſtias recuſando in ejus exercitio, modò eam animæ noſtræ poſſimus inſerere, ejuſque ſuavi convictu frui: amanda etiam eſt Paupertas ut fidelis amica; amicitia alicujus ad alterum in hoc cognoſcitur, quòd unus alteri benè velit, & benè faciat; Paupertas autem nos alienando ſeu divertendo à creaturis, nihil aliud intendit, quàm nobis aditum aperire ad omne bonum, quàm nos ad puriſſimum Dei amorem convertere, Deo unire, & ad fruitionem æternæ gloriæ adducere: atque de facto hæc omnia operatur Paupertas in animâ eam poſſidente; ergò abundè probata eſt amicitia Paupertatis, & conſequenter ipſa meritò diligenda eſt, ut fidelis amica; imò ut chariſſima ſoror, cujus benevoli & ſororii favores nunquàm deſunt animæ eam amanti.

Paupertas ut fidelis amica diligenda.

Amicitia Paupertatis.

Non ſolùm Paupertas diligenda eſt modo jam explicato, ſed etiam in ſuâ puritate conſervanda; niſi enim ſic cum omni diligentiâ, & ſollicitudine ſervetur, ſuos ſuaviſſimos fructus & favores communicare nequit ut ſponſa, ut amica, ut ſoror. Vis ſcire quo modo in ſuâ pu-

Paupertas quomodo in puritate conſervanda.

Digitized by Google

puritate conſervanda ſit? omnem affectum proprietarium etiam ad minimam reculam ex corde tuo eliminando, etiam quoad res neceſſarias: in hoc nos optimè inſtruunt noſtræ Conſtitutiones, dum dicunt: *Nullus fratrum quidpiam eorum quæ ad uſum ſibi conceſſa fuerint, audeat poſſidere ut proprium, vel quidpiam minimum, puta, roſarium, imaginem, vel aliquid ſimile datum accipere, retinere, dare vel cum alio fratre permutare, ſine ſcitu & licentiâ Superioris.* Obſerva ſolummodò hanc inſtructionem, & Paupertatem in ſuâ puritate conſervabis; hanc obſervabat quàm optimè noſtra Beata Magdalena, atque ideò ſumma illi erat lætitia, dum ei aliquid de neceſſariis deficiebat; quandò verò nihil illi deërat, non videbatur ſibi ſervare Paupertatem: ut Paupertatem in ſuâ puritate conſervaret, frequenter diſcutiebat cellulam ſuam, ejiciens, quidquid non planè videbatur neceſſarium; ſolebat etiam ſibi ſubditis commendare, ut ſingulis ſaltem menſibus examinarent ſe, an alicui rei nimis afficerentur, an nihil ſuperfluum haberent, quò ſic ſtatim illud tollerent: dum ali-

P. 1. conſt. c. 10. §. 3.

Praxis & inſtructio B. M. de Pazzi quoad Paupertatem.

Digitized by Google

quandò in extaſi eſſet totaliter abſorpta in amore Paupertatis, pergens ad cellam ſuam, indè ejiciebat lectulum, ſolùm retinens paleaceam, & de ſuo altariolo omnia auferebat præter Crucifixum & librum Evangeliorum. Similis nobis modus ſervandus eſt in exercitio Paupertatis: præſertim cùm ſanctus Spiritus in Sacrâ Scripturâ nobis id inculcare velle videatur exemplo Sancti Patris noſtri Eliſæi, in cujus cellâ nihil inveniebatur, niſi lectus, menſa, ſedes & candelabrum; ut ſciamus, nihil in cellis noſtris tolerandum, niſi quod neceſſitas poſtulat: prætereà pro puritate Paupertatis conſervandâ oportet cavere, nè quid ad uſum conceſſum cum proprietate, ſeu cum affectu adhæſivo poſſideamus; in quo plurimi turpiter errant, qui quidem ſibi cupiunt cavere à rebus ſuperfluis, ſed nimio adhuc affectu feruntur in ea, quæ ſibi exiſtimant neceſſaria. S. Gregorius ſuggerit aliquod indicium unde affectum iſtum adhæſivum cognoſcere licet; imprimis, ſi turberis, vel triſteris, dum aliquid tibi aufertur, eſt ſignum inordinatæ adhæſionis; quod enim ſine proprietate poſſidetur, id ſine dolore amittitur; emplaſtrum non fixè ad-

Supellex cellæ Eliſæi.

S. Greg. l. 3. mor. c. 8.

Indicia inordinati affectûs ad aliquid.

adhærens, ſine pœnalitate detrahitur: quòd ſi etiam nimiùm timeas re aliquâ privari, aut cum Superiore pro eâ retinendâ contendas, ſignum eſt, quòd illi nimiùm afficiaris. Attende igitur Chariſſime, an ex talibus indiciis non deprehendas in te inordinatum affectum etiam ad neceſſaria, quem ſi deprehenderis, ſtatim exſtirpare coneris; quia eſt valdè nocivus & venenum divini amoris. Ad propoſitum adfert S. Bonaventura hanc ſimilitudinem; uti ſignum eſt æſtivi caloris, dum quis corpus refrigerandi gratiâ, abjicit veſtimenta aut tegumenta, ea non valens ſufferre præ nimio calore; & econtrà, ſignum hiemalis frigoris, non contentari ordinariis tegumentis, ſed aliena inſuper arripere; ita inſignis divini amoris indicium eſt, ſi rejicias omnia terrena, quorum affectu velut indumento tegebaris, eligens magis nudus nudum Crucifixum ſequi: econtrà, quò quis magis afficitur rebus aliquibus tranſitoriis, eò evidentiùs ejus in divino amore tepiditas innoteſcit; ideò quippè illis afficitur, iiſque ut veſtibus involvitur, quia frigore conſtringitur defectu ignis amoris Dei; tales ſunt, qui frigus ſuum ſpirituale produnt

Proprietas venenum divini amoris.

Bonav. l. de pur. vit. c. 4.

Proprietas eſt ſignum frigidæ charitatis.

frigidis iſtis verbis, *meum ac tuum*, quæ utique frigida ſunt ſignificativè, ſive in ſignificando, inſinuantia magnum in animâ defectum divini amoris; qui ſi animam accenderet, indubiè ad quælibet ſuperflua abjicienda compelleret: ex quibus patet, quanto ſtudio omnem ad creaturas inordinatam adhæſionem exterminare oporteat, cùm ſit indicium ſpiritualis frigoris, languoris & infirmitatis.

CAP. LVII.

Quàm ſit nociva proprietas, & quomodò creaturis utendum ſecundùm Paupertatem.

MVlta adducuntur ad nobis incutiendum horrorem proprietatis; S. Gregorius ſolebat dicere. *Proprietarius cor monachi non habet, nam proprietas illud abſtulit, & abſque ſpiritu reliquit*, quaſi vellet dicere, Religioſum, qui cum proprietate aliquid poſſidet, eſſe quaſi corpus ſine animâ; quocircà ſicut cadaver generat vermes, & corruptiones plurimas; ita (prout benè notat S. Bernardus) tales Religioſi velut cadavera producunt fœtidos vermes murmuratio.

S. Greg..

Proprietarius ſine corde.

rationum, contradictionum, & alias animæ per multa peccata corruptiones. Dum Giezi Sancti Eliſæi diſcipulus ſine ſcitu ſui magiſtri animo proprietario à Naaman Syro acceperat duo talenta argenti, & aliquas veſtes, *Egreſſus eſt ab Eliſæo leproſus quaſi nix*: eodem planè modo Religioſi contrà votum Paupertatis aliquid proprium habendo de aliquo diſponendo, aliquid dando, retinendo contrà vel præter conſenſum Superioris, fiunt ſpiritualiter leproſi, id eſt, maculantur plurimis vitiis, & peccatis, ſuntque Religioſâ congregatione indigni. Idem ſentiebat noſtra B. Magdalena dicens, Religioſum proprietarium eſſe vitandum velut leproſum; aliàs in extaſi clamabat, væ Religioſis aliquid cum proprietate poſſidentibus!

Quaſi cadaver.

4. Reg. 5. v. 27.

Proprietarius eſt leproſus.

B. Magd. de Pazzi.

Quomodò ergò Religioſus ſe geret in uſu creaturarum? reſpondeo, ſicut olim filii Iſraël ſe gerebant in uſu mannæ; comedebant de die, quod manè collegerant; quod ipſis ad neceſſitatem ſupererat, putrefiebat, & vertebatur in vermes: ita etiam Religioſis non licet aliis rebus uti, quàm à Deo & Superioribus pro neceſſitate conceſſis; quidquid enim prætereà retinent, indubiè putrefiet,

Superflua neceſſitati putreſcunt.

Digitized by Google

fiet, & convertetur in vermes imperfe-ctionum, in vermem inquietæ & ro-dentis conſcientiæ. Theodoretus optimè ad propoſitum advertit, nullum ex quinque millibus hominum, quos Chriſtus in deſerto miraculoſè pavit, fuiſſe auſum, aliquid ex fragmentis reſiduis ſibi reſervare, etiamſi in eſu panis mirabilem guſtum experti fuiſſent; hinc enim Salvator mandabat Diſcipulis, *colligite fragmenta, nè pereant*: ut Religioſi indè diſcerent, non licere ſibi aliquid ſupra neceſsitatem retinere, ſed omnia rejicienda, etiamſi fortè appetitui arriderent, & delectationem ſenſualem ingererent.

Theodoret.

Matt. 14.

CAP. LVIII.

Omnis proprietas abjicienda per exercitium Paupertatis.

SAnctus Bernardus nos seriò exſtimulare volens ad reſecandam omnem proprietatem, & amplectendam Paupertatem, hanc comparat alæ: *Si*, inquit, *Paupertas ſit ala, ad volandum ad cœleſtia & divina: quid eſt aliud cor tuum terrenis & ſuperfluis nimiâ ſo-*

Bern. ſerm. 4. de adv.

ſollicitudine apponere, quàm tantùm luti & tot ſordes alæ adjicere, ut impediaris volare: ex quo oportet nos diſcere, quanto ſtudio ſpiritualem hanc alam, Paupertatem ab omnibus terrenis, non planè neceſſariis; liberam, & ad volandum expeditam conſervare deceat, quandoquidem aliter nulla ſpes affulgeat proficiendi in contemplatione & dilectione rerum divinarum. Sanctus Dorotheus cernens aliquando Diſcipulum ſuum Doſitheum affectum alicui cultro, dicebat illi: *Vis eſſe ſervus hujus cultri, vel Chriſti?* Inſinuans inordinatum affectum ad rem exiguam nos facere mancipia ejuſdem, ac impedire, nè Chriſto perfectè poſsimus ſervire: neque verò hoc adeò mirum eſt, quippè inordinatus amor ad aliquid eſt quaſi catena, & compedes; quibus anima alicui rei, magnæ vel parvæ alligatur, ac velut mancipatur; & verò quid refert, an anima hâc catenâ alligetur parvæ rei, an magnæ, cùm equidem per hoc amittat ſuam libertatem & quaſi captiva teneatur? hinc meritò noſtræ Conſtitutiones cavent, ut *Nullus audeat aliquid vel minimum poſſidere, ut proprium*; volentes omnem omninò proprietatem à

Paupertas eſt ſpiritualis ala.

S. Doroth.

Proprietarius eſt mancipium.

Reformatione noſtrâ eliminare. Ad quod non parum exſtimulat viſio Beati Leonis, Socii Sancti Franciſci: is quodam tempore in raptu mentis, videbat rapidum & profundum fluvium; qui onuſti per illum tranſibant, ſine ullo remedio ſubmergebantur; qui verò ab oneribus liberi erant, tranſibant ſine periculo. Chariſſimi, vita noſtra eſt inſtar rapidi & celeriter labentis fluvii: quarè ſi nolitis aquis rerum tranſitoriarum ſpiritualiter immergi & perire, attendite, nè onuſti incedatis affectu rerum ſuperfluarum. Pleno habitu quiſpiam indutus non facilè ſe fidet aquis ad natandum; ſic etiam, qui in ſtatu Religionis vult ſupernatare undis rerum mundanarum & pervenire ad portum deſideratæ beatitudinis, nullam omninò proprietarii affectûs veſtem retinere debet, ne ſubmergatur & pereat; quin potiùs ab omni malâ & ſuperfluâ cupiditate creaturarum nudus contrà fluxum corruptæ naturæ ad Deum contendere debet.

Viſio B. Leonis ſocii S. Franciſci.

Proprietarius eſt in periculo ſubmergendi in mari hujus mundi.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LIX.

Oportet Paupertatem libenter experiri, ut ſimus immunes à multis imperfectionibus & inquietudinibus.

NOn ſolùm omnis ſuperfluitas cavenda, ut perfectè ſimus pauperes; ſed etiam juxtà monitum Conſtitutionum noſtrarum, oportet ſecundùm diſcretionem, Paupertatis effectus libenter experiri; v. g. ſpontaneè ac voluntariè aliquam penuriam vel incommoditatem patiendo: quod nobis inculcant Conſtitutiones, ſubdentes: *Salvatoris noſtri exemplo, qui cùm eſſet dives, propter nos factus eſt egenus,* etiam in rebus neceſſariis; neque enim habebat, ubi caput reclinaret: ex quo diſcendum eſt, non ſufficere, Paupertem vitam profiteri, niſi etiam libenter aliquam ſubindè inopiam patiamur; in quo plurimos clarum eſt errare, qui quidem fatentur ſe Paupertatem profeſſos, ſed (quantum ex modo ipſorum agendi colligi videtur) ſub conditione, quod nihil

Penuria libenter toleranda.

P. 1. c. 10. §. 1.

Error eorum qui profeſſi Paupertatem eam experiri renuunt.

Digitized by Google

nihil unquàm eis deerit : undè venit, quòd ſint facilè malè contenti, & obmurmurent, dum omnia non ad guſtum coctaſunt, dum portio ipſorum appetitui non arridet, dum aliquid fortè negatur &c. in infirmitatibus ſunt moleſtiſſimi, accuſantes omnes de exiguâ Charitate, vix contentabiles, dum non omnia in abundantiâ ſubminiſtrantur: verùm talibus ſciendum eſt, quòd voto Paupertatis debitè ſatisfacere nequeant, niſi exemplo Chriſti diſcant libenter egeſtatem pati, & experiantur, quid ſit Paupertas. Noſtra Beata Magdalena ſolebat dicere, quòd Religioſus ſive ſanus, ſive infirmus, planè aliter ſe gerere debeat, quàm ſæculares, ac ſemper & ubique pro exercendâ Paupertate eſſe ſollicitus: *Quia*, inquit, *Paupertas ſpiritûs diſtinguit monaſterium à ſæculo, & facit monaſteria domos Dei:* ideò volebat etiam & dicebat Paupertatem debere eſſe notam omnium operum Religioſorum; ſicut enim homines hujus mundi, ut agnoſcantur eorum opera, apponunt illis ſua inſignia: ità etiam, ut opera Religioſorum dignoſcantur, neceſſe eſt ea inſigniri aliquo ſigno Paupertatis. Ex quibus notare licet,

Religioſus ſanus & infirmus Paupertatem amet.

B. Magd. de Paz. Tract. nov. c. 5.

Paupertas inſignia Religionis.

cet, quantùm errent iſti Religioſi, qui Paupertatem tam parùm aut nihil volunt experiri.

Sanctus Thomas Aquinas tales ſic inſtruit: *Religio eſt ſtatus pœnitentiæ, cùm igitur unicuique juxtà ſtatum ſuum vivendum ſit, convenit Religioſum ſemper eſſe addictum auſteritati vitæ, & quærere ubique viliora in amictu, lecto, manſione, in cibo & potu.* Optima ſanè lectio, cui ſi nos conformaverimus, felices erimus; nemo enim felicior, quàm qui paucis contentus eſt; hic facilè ſatiatur, ipſe adhuc nimium putat, modicum quod ipſi fit; econtrà qui Paupertati non afficitur, cui multa deſunt, ipſi ſatisfacere vix quiſquam poteſt: quidquid ipſi fit, ſemper aliquid deeſt, omnibus moleſtus eſt, ibi terit tempus ſuum quærendo id, quod ſibi putat deëſſe; ſi ad votum non inveniat, quod quærit, labitur in plurimas malas ſuſpiciones, & temeraria judicia contrà confratres ſuos, & Superiores; ibi loquitur vana, iſtîc murmurat, illic ſeduci ſe ſinit aliquâ eſcâ ſenſualitatis, uno verbo, multis vitiis & imperfectionibus eſt obnoxius, vanis ſollicitudinibus implicatus, & anxietatibus

D. Th. 1. 2. q. 167. a. 6.

Pauperes facilè contenti.

Proprietarius plenus imperfectionibus.

Digitized by Google

tibus cruciatus ; à quibus omnibus Pauperes ſpiritu manent immunes. Sanctus Bonaventura ad propoſitum loquens dicit, quemlibet hominē habere duo horrea, in quibus meſſem congreget ; nimirùm unum horreum cupiditatis, ſpacioſum & amplum, quod nunquàm ſatis repleri poteſt, alterùm neceſſitatis valdè parvum & anguſtum, ac proindè facilè replebile, quia natura paucis contenta: porrò Pauperes ſpiritu clauſo horreo cupiditatis ſolùm ſunt ſolliciti pro horreo neceſſitatis, ideoque paucis contentantur ; econtrà oſores Paupertatis, ſemper ſatagunt implere horreum cupiditatis ; quia verò vix intentum aſſequi poſſunt, ſemper ſunt malè contenti, nunquàm ſatisfacti, nunquàm ſatiati ; ſatiùs ergò eſt amare Paupertatem, ejuſque effectus libenter experiri. Quidem Sanctus Bernardus Paupertatem vocat martyrium, ac proindè inſinuat eam eſſe arduam, eò quòd ejus effectus ſint amari, putà, fames, ſitis, nuditas, æſtus, frigus &c. ſed dum quis virtutem Paupertatis conſecutus eſt in perfecto gradu, tunc patitur ſine pœnâ ; quia nihil aliud deſiderat, habetque magnam pacem cum Deo ; cum hominibus, cum ſeipſo.

S. Bonav.

Horreum amplum cupiditatis. anguſtum neceſſitatis.

Paupertas ſuave martyrium.

CAP.

Digitized by Google

CAP. LX.

De mercede Pauperum in hac vitâ.

HActenùs dicta ſufficiant de modo, quo Religioſa Paupertas obſervanda eſt; at ne quid deſit, quod nos ad ejus amorem & praxim exſtimulare poſſet, aliquid dicendum ſupereſt de remuneratione, quam Pauperes ſpiritu tum in hac vitâ, tum in futurâ præſtolantur. Salvator incipiebat divinum iſtum ſermonem in monte, his verbis: *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*: quid putas intelligi per regnum cœlorum? non ſolùm intelligitur cœleſtis gloria, quam ſuprà oſtendimus à Pauperibus emi paratâ pecuniâ, ad quam proptereà ex nunc actionem habent; ſed etiam regnum Dei intra nos; de quo ſcribit Apoſtolus, *Regnum Dei eſt juſtitia, & pax & gaudium in Spiritu Sancto.* Equidem Pauperes ſpiritu hoc regnum Dei plenario jure poſſident: in ipſis enim reſidet juſtitia, id eſt, complexio omnium virtutum,

Pauperes Beati in hac vitâ.

Rom. 14. v. 10.

Habent regnum Dei intra ſe.

tutum, in ipſis invenire eſt ineffabilem pacem animæ, ex quâ in ipſis oritur ſupermagnum gaudium & animi delectatio in Spiritu ſancto; quocircà verè beati ſunt quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum; quæ omnia ſatis patent ex ſuprà dictis.

Deus habet curam pauperum.

Ps. 39.

Matt. 6. v. 26.

Aug. apud Bon. tr. de Paup. Chriſti.

Deindè Pauperibus ſpiritu nil deeſt, quia Deus eorum curam gerit, ſic ut poſſint dicere, *Dominus ſollicitus eſt mei*: de his videtur poſſe intelligi illud Salvatoris, *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, ſed Pater veſter cœleſtis paſcit illa*: hæc enim in ſenſu myſtico intelligendo, per volatilia cœli, nulli alii intelligendi ſunt, quàm Pauperes ſpiritu; utpote qui ſine pondere affectuum terrenorum velut aves exiguum corpus, ſed multas pennas habentes, volatiles, inquam, ſpiritualibus alis Fidei & Charitatis continuò ad altiora aſpirant, & puriori amoris affectu ad Deum & in Deo volant, quærentes converſationem in cœlis; tales verè, quæ ſurſum ſunt, quærunt, quæ ſurſum ſunt, ſapiunt, non quæ ſuper terram: his volatilibus proſpicit divina Providentia de omnibus neceſſariis; quippè quantò

Pauperes ſunt volatilia cœli.

Digitized by Google

tò homo pro ſe minùs eſt ſollicitus, jactans ſuper Dominum curam ſuam, tantò Deus illius magis eſt ſollicitus. Vultis ſcire, quomodò Deus id faciat? facit, ut Pauperibus communicentur reliquiæ divitum: ſicut enim agricolæ ità meſſem colligunt, ut non poſſint honeſtè prohibere, nè Pauperes vel ipſis invitis, hinc indè ariſtas relictas accipiant, & volucres grana ad eſcam inveniant: ità mundani totaliter bonis temporalibus intenti, etiam inviti hinc indè aliquid relinquunt pro ſuſtentatione Pauperum, ſingulari Dei providentiâ illos ad hoc inſpirante. Vt Paupertati Sancti Patris noſtri Eliæ ſuccurreret Dominus Deus, *Corvis*, inquit, *præcepi, ut paſcant te*: Idem adhuc facit reſpectu Pauperum in ſe confidentium; diſponit enim omnia ità fortiter & ſuaviter, ut etiam qui inſtar corvorum, ſunt rapaces & tenaces, ſubindè moveantur ad aliquid Pauperibus elargiendum. Hoc non eget aliâ probâ, quàm quotidianâ experientiâ, præſertim in Religioſis familiis: hinc verè & benè dixit Beata Magdalena de Pazzi, qui amant Paupertatem ut ſponſam, ut amicam & ſororem, à Deo in ſuis neceſſitatibus nunquam derelinquentur: quid

Quomodò Deus provideat Pauperibus.

Mundani etiam inviti dant eleëmoſynam.

1. Reg. 16.
Avari etiam Deo ſic diſponente.

B. Magd. de Paz.

quid mirum? Deus paternam pro eis gerit ſollicitudinem, Deus regit eos, & ideò non minuentur omni bono; atque hæc dicta ſufficiant de mercede Paupertatis in hac vitâ.

CAP. LXI.

De mercede Paupertatis poſt hanc vitam.

QUantum ad remunerationem Pauperibus faciendam poſt hanc vitam; Pauperes ſpiritu videntur remunerandi ſpeciali laureolâ, prout Doctores communiter docent de Virginibus; de ſpeciali enim iſtâ laureolâ intelligi poteſt illud Salvatoris: *Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, ſedebitis in generatione iſtâ ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael:* ex quo datur intelligi Pauperes ſpiritu, qui propter Deum omnia reliquerunt, pro ſpeciali mercede, in die judicij, dum omnes tremebundi aſtabunt ante tribunal Chriſti, eſſe collocandos & inſtituendos judices ſuper omnes gentes: ubi operæ pretium eſt advertere, duo genera hominum

Laureola Paupertatis.

Matt. 19.

Pauperes in judicio judicabunt alios.

minum ventura eſſe ad judicium, unum eorum, qui ambulaverint communem viam mandatorum Dei; alterum eorum, qui conſiliis Evangelicis morem gerentes Paupertatem voverint & ſervaverint; atque hi velut judices ſecuri ſedentes pro tribunali, alios judicabunt; conformiter ad id, quod Job dixit in ſpiritu: *Tribuit Pauperibus judicium*; porrò in hac prærogativâ conſiſtit ſpecialis laureola Paupertatis, aliis non concedenda; quòd nempè Pauperes ſpiritu tunc erunt abſque timore, cojudices Chriſti, dum cæteri omnes cum timore & tremore ſententiam exſpectabunt: hoc tamen ſciendum eſt, hanc prærogativam ſolùm concedendam ferventibus Paupertatis amatoribus; neque enim tepidi Religioſi habent hîc partem, ſed ſolummodò, qui toto corde renunciant omnibus, quæ poſsident; quare qui ſolo nomine Pauperes ſunt, nolentes experiri effectus & moleſtias Paupertatis, non erunt participes iſtius prærogativæ. Iob. 36.

Videte nunc Chariſſimi, an per ea, quæ hactenùs de Paupertate diſſeruimus, necdum moveamini ad eam ambabus manibus amplectendam; videte, an vos ad hoc non allicient excellentia, utilitas, ſua- *Concluſio.*

ſuavitas, & merces tam temporalis, quàm æterna, eaque ſpecialis ejuſdem. Vtinam Deus illuminet cor noſtrum, ut comprehendere poſſimus magnos theſauros in Paupertate concluſos! ſi enim eos ingenio aſſequeremur; indubiè ad illos avidiùs anhelaremus, ejus excellentiam pluris faceremus, ejus utilitatem vehementiùs concupiſceremus, ejus ſuavitatem ampliùs ſitiremus, ſpe promiſſæ remunerationis ejus effectus libentiùs experiremur, ſicque omni prorſùs abdicatâ proprietate in verâ Paupertate ſpiritûs ſtudioſiùs proficeremus: quod nobis concedere dignetur, qui cum eſſet dives, propter nos egenus factus eſt, Ieſus benedictus in ſæcula. *Amen.*

De Paupertate ſpiritûs quæ Carmelitas & omnes vitæ internæ amatores decet.

CAP. LXII.

De perfectâ Paupertate ſpiritûs; qualiter eam Chriſtus docuerit.

HActenùs egimus de Paupertate, quatenùs omnibus Religioſis communi

muni; ſed cum Dei gratiâ hîc nonnulla adjiciemus circà illam, prout veris Carmelitis, vi ſuæ profeſsionis, imò omnibus vitæ internæ ſtudioſis propria, & neceſſaria eſt; monemus tamen hanc ſpiritûs Paupertatem, quantumcumque ſit perfecta, non eſſe finalem ipſorum perfectionem, ſed medium efficaciſſimum & proximam diſpoſitionem ad illam aſſequendam. Vt ergò incipiamus de illâ aliquid diſſerere: Propheta Moyſes canebat olim de Deo; & nos poſſumus etiam canere de Chriſto Salvatore noſtro: *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos & ſuper eos volitans*; Et quidem meritò ſic de ipſo canimus: reverà enim, quoties nos præceſsit in exercitio alicujus virtutis, toties provocavit nos ad volandum. Nonnè ſic provocabat, dum dicebat, *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ità & vos faciatis?* nonnè ad idem intentum volitabat ſuper nos, dum hortabatur, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde?* Item dum inculcabat, *Hoc mando vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos*, quid aliud fecit, niſi nos diligendo volare, ut nos doceret ſimiliter volare? ſimiliter ad in ſublime

Deuter. 32. 11.

Chriſtus nos provocat ad virtutem ut aquila.

Joan. 13.

Matt. 11.

Ioan. 15.

vo-

volandum nos pelliciebat, dum monebat; *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter cœleſtis miſericors eſt; eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtis perfectus eſt*, & ſic de aliis. Quantum verò ſpectat ad propoſitum, auribus noſtris inſonare videtur vox cœleſtis noſtræ Aquilæ per os Prophetæ canentis, *Pauper ſum ego, & in laboribus à juventute meâ*; per quæ verba indubiè nos inſtruit, ut ipſum in perfectâ paupertate ſpiritûs fideliter imitemur; nobis enim & hâc *Exemplum dedit, ut ſequamur veſtigia ejus*: quia autem optimè ſciebat homini eſſe innatum deſiderium quoddam beatitudinis, dum Paupertatis ſtudium commendaret, declarabat, in eâdem ſitam eſſe beatitudinem: dicens, *Beati Pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum*.

Luc. 6.

Pſ. 87.

Chriſtus cōmendat Paupertatem ſpiritûs.

Diviſio materiæ.

De hac perfectâ Paupertate ſpiritûs dicemus, primò, in quo conſiſtat; ſecundò, quomodò exercenda; tertiò, quibus motivis ad eam colendam invitemur.

CAP.

CAP. LXIII.

In quo conſiſtat perfecta Paupertas Spiritûs, ad quam Carmelitæ vocati ſunt?

VT breviter eam deſcribam, Paupertas Carmelitica, ſeu perfecta nihil aliud eſt, quàm voluntaria renunciatio omnium, quæ Deus non ſunt, excluſo omni ad quamvis creaturam affectu non Deiformi, tanquàm ad aliquid proprium, ſeu non in Deo, aut ſecundùm Deum poſſeſſum: porrò hæc renunciatio requirit, ut homo nihil affectatè poſſideat, ad nihil aſpiret, in nullo quieſcat, ſe ab omni creatura denudet: ut quodam ſenſu maneat in Deo, ſine velle, ſine ſcire, ſine intelligere, ſine ſentire alicujus rei creatæ, etiam divinorum chariſmatum; quatenùs ſcilicet aliquid proprium, ſive pro propriâ extra Deum ſatisfactione in ſimilibus intendere, vel admittere poſſet; ità ut anima libenter careat omni ſolatio, omni experimentali delectatione in virtutibus aut Dei donis, nihil deſiderans, nihil

Paupertas ſpiritûs deſcribitur.

Pauper nil vult, nil ſcit &c. quo ſenſu?

Perfecta renunciatio omnium creaturarum.

hil affectans, nihil cum adhæſione poſſidens, qualiſcumque demùm res fuerit, nec gratias, nec virtutes, neque terrena, neque cœleſtia, neque naturalia, neque ſupernaturalia: ratio autem, cur tam integra renunciatio omnium requiratur, eſt, quod quævis creaturæ, quantumcumque excellentes, impediant immediatam animæ cum Deo unionem, dum cum adhæſione ſeu proprietate poſſidentur; quocircà ſi anima velit admitti ad cubiculum Sponſi cœleſtis, ad lectulum floridum Dilecti, ad unionem myſticam, neceſſe eſt, ut ſe ab omni adhæſivâ ad quamcumque creaturam affectione nudam & ſpoliatam cuſtodiat; quamdiu enim ab omnibus non eſt denudata, cum Deo eſſentialiter, ſeu immediatè uniri nequit.

Omnis affectus adhæſivus creaturæ mediat inter Deum.

Quid ſit eſſentialiter Deo uniri.

Ad hanc perfectam Spiritûs Paupertatem tendere debent omnes veri Carmelitæ: cùm enim eorum vocatio ſit cum Deo amorosè jugiter converſari, & vinculo perfectæ Charitatis ei ſpecialiter uniri; idoneis ad hoc remediis uti tenentur, inter quæ præcipuum eſt deſcripta paupertas Spiritûs; quin imò mihi perſuaſum habeo, verum Carmelitam eò niti debere, ut paulatim diſcat ità inter

Carmelitarum obligatio ad Paupertatem perfectam.

crea-

Digitized by Google

creaturas vivere, quaſi non eſſent: imaginemur, qualiter eſſet affectus homo aliquis creatus & conſtitutus extrà & ſuprà ſuperficiem ſupremi cœli, cum cognitione ſolius Dei, ſed nullius rei creatæ in cœlo, vel in terrâ: indubiè ejus affectus circa nihil aliud, quàm circa Deum eſſentialiter ſeu immediatè poſſet verſari, niſi fortè ad ſe ipſum, amorem perperàm converteret; nihil autem aliud amaret, neque enim poſſet amare, quod non cognoſceret, nam *Amor non fertur in incognitum:* undè ſine dubio talis haberet perfectam abſtractionem ab omni aliâ re creatâ, eſſet denudatus ab omni eo, quod Deus non eſt; foret in actuali carentiâ omnium, ac proindè in verâ paupertate ſpiritûs. Chariſſimi, talis eſt Paupertas Carmelitica, & ad vitam myſticam proximè diſponens, cui proindè omnem operam navare oportet; ipſa quippè ſummoperè conducit ad finalem noſtram perfectionem, ad amoroſam & immediatam, atque hoc ſenſu eſſentialem cum Deo unionem.

Homo creatus extra cælum quid amaret.

Digitized by Google

CAP. LXIV.

Paupertas ſpiritûs proximè diſponit ad immediatam cum Deo unionem.

1. Cor. 6, 17. SCriptum eſt, *qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt cum eo*: hanc adhæſionem conſequi licet per Paupertatem ſpiritûs, utpotè per quam anima ab omni creaturâ ſit expedita; cùm enim anima neceſſariò vel in Deo quieſcat, vel in creaturis, dum à creaturis per Paupertatem ſpiritûs eſt ſequeſtrata, neceſſe eſt, ut ad Deum convertatur; & ulteriùs, cùm per Paupertatem illam fiat, ut nihil mediet inter Deum & animam, fit, ut ſequatur eſſentialis ejus cum Deo unio, & ipſa fiat unus ſpiritus cum Deo. Dum nihil mediat inter duas partes aquæ, illicò uniuntur inter ſe; dum unus aër immediatè appropinquat alteri, coadunantur; ita etiam dum anima rationalis, quæ utique ſpiritus eſt, immediatè in Deo eſt, qui ſimiliter ſpiritus eſt, fit anima unus cum Deo ſpiritus; ſi vas aquæ jaceat in mari, & poſteà effundatur, aqua iſta fit una cum aquâ marinâ, in eâque quaſi per-

Ablatâ omni proprietate anima fit unus cum Deo ſpiritus.

Digitized by Google

perditur : ſic etiam anima adhuc plena amore proprio, vel affectu ad creaturas, quidem fluctuat in mari divinæ eſſentiæ, ſed non immediatè, mediat enim amor proprius, mediat affectus adhæſivus ad creaturas, quam tollit perfecta Paupertas ſpiritûs, ſicque animam ad immediatam cum Deo unionem diſponit. Talem Paupertatem conſecuta erat Sponſa, dum dicebat; *Expoliavi me tunicâ, quomodò induar illâ?* Omnia creata ſunt quædam quaſi veſtes, quas anima Deum amans exuere debet, ſi cupiat ad amorem unitivum pervenire: benè ergò ait Sponſa, *exſpoliavi me tunicâ*, id eſt, denudavi me ab omni cupiditate creaturarum, ut immediatè frui poſſim Dilecto meo, quomodò iterùm potero me ad creaturas convertere? At quis juverat Sponſam in exſpoliatione iſtâ? *Tulerunt*, inquit, *pallium meum mihi cuſtodes murorum*, id eſt, boni Superiores, quibus incumbit cuſtodire muros Religionis, id eſt, manu-tenere obſervantiam regularem, præſertim votorum eſſentialium, ac imprimis Religioſæ Paupertatis; iſti ſunt, quorum adminiculo animæ ſubditorum multùm proficiunt in perfectione vitæ, in vera re-

Amor proprius mediat inter Deum & animam.

Cant. 5. v. 3.

Affectus creaturarum eſt veſtis.

V. 7.

Boni Superiores juvant ſubditos in Paupertate.

rum omnium renunciatione, dum illis auferunt omnia ſuperflua, ac ipſi ex ſuâ parte ſe libenter ſpoliant ſuâ tunicâ, id eſt, vanâ ſollicitudine rerum neceſſariarum: quo facto contingit illos invenire Dilectum ſuum, ſic ut dicere poſſint;
Cant.6.v.2. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.*

CAP. LXV.

Deſcribitur ulteriùs Paupertas ſpiritûs; quæ adducit regnum Dei in animâ.

Deſcribitur perfecta Paupertas.

Verùm redeamus iterùm ad deſcriptionem Paupertatis ſpiritûs: hæc nihil eſt aliud, quàm totalis abdicatio ſeu exinanitio cordis ab omnibus ſive terrenis, ſive cæleſtibus, ſive naturalibus, ſive ſupernaturalibus, in tempore, & æternitate; uti enim corporaliter is verè eſt pauper, qui nihil habet, nec vult habere, quod ei ad certam ſuſtentationem poſſet ſervire, ſed totum debet & vult exſpectare à benevolentiâ hominum, aliquandò habens, quod comedat, aliquandò non; ſubindè inveniens diverſorium ad dormiendum, ſubindè non; nunc habens, quo ſe contrâ frigus,

Vera Paupertas corporis.

gus, vel æſtum muniat, nunc non: ità ſpiritualiter is verè Pauper eſt, qui nè vel minimum cum adhæſione poſſidet, nec affectat nimis ſollicitè, quod illi ad ſuſtentandam vitam ſpiritualem conducere poſſet; ſed vivere deſiderat de benignitate & munificentiâ Dei, aliquandò participans de reliquiis menſæ Domini, id eſt, de gratiis fortificantibus & perceptibilibus, aliquandò non, aliquandò in Deo inveniens locum quieſcendi per ſimplicem Spiritûs influxum, aliquandò non; ſic ut neceſſitas eum cogat quaſi extra manere ſub dio in pluvia, vento & tempeſtate tentationum, malarum cogitationum, pravorum motuum, afflictionum, ariditatum, derelictionum animæ &c. aliquandò experiens operationes ferventioris Charitatis contra ſpirituale frigus acediæ; aliquandò non. Hîc jam videndum eſt, an talem paupertatem ſpiritûs aſſecuti ſitis: ſi ità; delectamini in Domino, *Beati* enim tales *Pauperes Spiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum:* ſin autem, eam aſſequi conemini; neque enim ſine illâ veſtrum unquam erit regnum cœlorum; cùm Chriſtus aſſerat, *Qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non*

Vera Paupertas ſpiritûs.

Matt. 5.

Luc. 14.

Regnum Dei in Pauperibus. Luc. 17. *poteſt meus eſſe diſcipulus*: Porrò ad perfectè Pauperes dico confidenter: *Regnum Dei intra vos eſt*. quid ità? quia iſti ex puriſſimo amore Dei renunciant omni creaturæ naturali, & ſupernaturali, omni certitudini in tempore & æternitate: ideò Deus ſeipſum eis manifeſtat, & donat in partem hæreditariam, eiſque notificat, quomodò ipſe in illis maneat, & quieſcat tanquam in ſuo throno, ſine impedimẽto in ipſis regnans per internam directionem in omnibus: atque tunc tales animæ plenariâ potiuntur ſatisfactione in ſolo Deo; neq; enim ullæ deinceps creaturæ eas delectare, aut earum ad ſe affectum trahere poſſunt; Deus quippè tunc eſt unica earum poſſeſſio cum habituali, imò & actuali abſtractione & affectûs alienatione ab omnibus nõ ſolùm creatis, ſed etiam poſſibilibus.

CAP. LXVI.

Quomodò Paupertas perfectiſsimè exercenda; & Deo immediatè adhærendum.

FOrtaſſis ſcire deſideratis, quomodò Paupertatem ſpiritûs perfectiſſimè exercere oporteat; benè, optimè; diſcite praxim: tenete vos ſemper in verâ liber-

libertate ſpiritûs, nulli rei creatæ alligati; quieſcentes in Deo, ſimplici intuitu ipſi ſoli intendendo, & conſequenter ſimplici dilectionis amplexu eum conſtringendo; in quem finem, denudate vos ab omni creaturâ, manentes ſemper in perfectâ indifferentiâ, ſine propriâ electione, ſine propriâ voluntate, contenti ſemper & in omnibus, quæ Deus vobiſcum, in vobis, per vos, vel circumcircà vos operari, vel permittere dignatur, quòd ſi Deus trahat vos ad ſenſibilem devotionem, ad ferventem amorem ſui, ad intimam quietem, ad audiendum Verbum Dei intùs loquentis, ſequimini fideliter, & in auditu auris internæ obedite illi; cavete tamen vel leviter adhærere: ſi ſimiles Benedictiones dulcedinis, illuſtrationes, & intimæ tractiones ſubtrahantur, ſic ut à Deo videamini derelicti, ſine experientiâ ſenſibilis Dei operationis, ſine fervore, ſine ſpeciali illuſtratione, ne turbemini indè, ſed vos ad Deum introvertite, ſolâ ejus voluntate contenti, cum cordiali abnegatione & voluntariâ carentiâ omnium; nec ad quidpiam vos convertite, niſi ad Deum ſolum: & verò, hinc diſcite, an ſitis perfectè Pauperes ſpiritu;

Praxis perfectæ Paupertatis.

Indifferentia ad omnia.

Digitized by Google

Pauperes ſpiritu nullâ carentiâ inquieti.

quippè ſi nihil cum proprietate poſſideatis, omnibus ſine difficultate aut mœrore carebitis; ideò ne quidem ad minimam feſtucam vel capillum extra Deum affectum convertere licet: alioquienim cœleſti ſponſo perfectè placere non poteritis; nec ipſe ad vos liberum habebit acceſſum; nam ipſe totum cor poſſidere deſiderat. Sponſus in canticis conquerebatur de aliquali imperfectione adhuc ſuperſtite in ſuâ dilectâ: *Vulneraſti cor meum in uno crine colli tui:* eo quòd, nimirum, adhuc reſtaret aliqua parva imperfectio; & reverà etiam aliquid vel minimum impedit ſimplicem animæ ad Deum converſionem. Dum viſum directè dirigimus ad muſcam vel feſtucam pendentem in aëre, directè cœlum aſpicere non poſſumus, muſca enim vel feſtuca iſta mediat inter cœlum & oculum; ſed ſi muſcam illam vel feſtucam inadvertenter tranſeamus, nec obtutum in illâ figamus; directè cœlum reſpicimus; ſic etiam quantumcumque exigua res ſit, dum ad eam reflectendo affectum inordinatum apponimus, ponit medium inter Deum & animam; at ſi nec reflexionem, nec affectum ſcienter & volenter affigamus, per-

Cant. 4.

Etiam minima imperfectio.

perindè ac ſi non eſſet, poſſumus Deum ſine medio contemplari, & contemplando diligere.

Atque in hoc conſiſtit eſſentialis, ſeu immediata unio cum Deo, de quâ aliqui loquuntur; dum nimirum ad Deum nos convertimus ſecundum eſſentiam ejus, ſeu prout eſt in ſe, & non ſecundùm quod nobis communicat ſua dona; dum ipſum purè diligimus ſecundùm ſe, ſeu prout eſt in ſuâ eſſentiâ, & non in quantum nobis bonus & benevolus oſtenditur; dona enim Dei ſunt accidentia divinæ eſſentiæ; undè quantum divina eſſentia tranſcendit omnia accidentia & communicationes ad extra, nimirum infinitè, tantum ſimplex intuitus ſimplicis & nudæ Dei eſſentiæ, ac conformis ejuſdem dilectio nobilitate tranſcendunt omnes alias animæ circa communicatas Dei perfectiones & dona, occupationes, contemplationes, dilectiones, nimirum quodammodò infinitè, ex parte objecti: id quod profectò maximo ſolatio eſſe debet omni animæ Deum amanti, dum à Deo videtur derelinqui, eò quod nullum Dei in ſe experimentum, aut guſtum ſentiat, nec habeat intellectum illuminatum, aut vo-

Eſſentialis unio cum Deo.

Immediata unio quàm præſtans.

Immediata unio eſt facilior in ariditate.

luntatem tenero ergà Deum affectu accenſam: ut quid enim anima tunc triſtaretur? nihil illius refert, modò Dilecto ſuo eſſentialiter poſſit adhærere, immediato & ſimplici fidei intuitu Deum contemplando, & impermixto amore eum amplectendo: nonnè præſtat ab omni ſenſibili illuſtratione, & teneriori amore eſſe liberum? ſanè ſponſus quiſpiam mavult ſponſam amplecti, non multis veſtitam, quàm auro & argento undique indutam; ſic etiam, quò anima minùs affectat ſenſibilia Dei dona, quo minùs veſtita eſt adhæſione ad aliquam creaturam, eò Sponſus cœleſtis libentiùs ei unitur. Cùm ergò anima in Paupertate ſpiritûs, in ariditate & derelictione, Deo ſit propinquior, quàm in ſtatu conſolationis, & ſenſibilis operationis Dei, eò quòd tunc minus ſubſit periculum inordinatæ adhæſionis ad aliquid extra Deum, & de facto ordinariè tunc anima impermixtiùs & puriùs Deo adhærere poſſit & ſoleat; meritò debet eſſe ſecurior & quietior in carentiâ omnis creaturæ etiam donorum Dei quoad experiri, quàm in ſuavi eorum fruitione, & guſtu.

Eſt etiam minùs periculoſa.

CAP.

Cap. LXVII.

Unio amoroſa cum Deo non debet eſſe ſenſibilis, & poteſt eſſe perfectior in ariditate.

NOlite tamen exiſtimare, quòd unio iſta fiet cum ſenſibili influxu in Deum, aut cum ſenſibili teneritudine, in ſtatu ariditatis; ſic enim (ſi affectaretur) iterùm mediaret aliquid inter Deum & animam, neque hoc eſſet Deo nudè adhærere: nam quamdiu aliquid, vel minimum etiam atomum extrà Deum quærimus, Deo immediatè uniri non poſſumus. Fortaſſis alicui mirum videbitur, quòd dicam animam perfectiùs poſſe Deo uniri, dum ipſa omni ſenſibili devotione, teneritudine amoris, intellectûs illuſtrationibus deſtituitur, & ſtat in extremâ inopiâ ſpiritûs; verùm deſinet mirari, ſi conſideret iſta omnia, quantumvis bona, equidem eſſe ſolummodò creaturas, quæ dum vel in minimo amorem noſtrum poſſident, neceſſariò nos à Deo mediant: porrò ſublato omni medio, in-impedibiliter fit unio in-

Affectus ad creaturas mediat inter Deum & animam.

inter duas res unibiles; nil autem nos à Deo mediat, niſi affectus & reflexio ad creaturas; quocircà, ſi puriſſimè Deum quærimus, lætabimur, dum à Deo in tali nuditate & carentiâ ſenſibili creaturarum, etiam divinorum chariſmatum ac virtutum conſtituimur, quia tunc minus periculum ſubeſt, alteri rei, quam ſoli Deo adhærendi, tunc omnem noſtrum amorem rationalem liberiùs in Deum fluere ſinimus, dum aliundè ad creaturas non pellicimur.

Paupertas melius exercetur in derelictione.

Deindè ſcire oportet, nos meliùs Paupertatem ſpiritûs poſſe exercere in derelictione, & carentiâ (quantùm ad ſenſibilitatem) gratiarum, piorum affectuum, divinarum illuſtrationum, quàm dum prævenimur in benedictionibus dulcedinis, & experimur ſpiritûs opulentiam; etſi enim videatur nobis, quòd nullam ad ea adhæſionem habeamus, & voluntate maneamus Pauperes, tamen Paupertatis puritas magis periclitatur; natura enim facilè in illis quieſcit, & conſervat aliquam certitudinem, in quâ vanè ſibi complacet: ac licèt ſeipſam actu abnegare videatur, facilè retinet aliquid, cui innitatur; cùm tamen in nullâ re, niſi in ſolo Deo quieſcere poſ-

In dulcedine ſpiritûs difficulter Paupertas exercetur.

fit

fit, *innixa ſuper dilectum:* quocircà ſi contingat vos à Deo quoad ſenſibilem experientiam, derelinqui in ſummâ ſpiritûs nuditate, nolite inquietari; ſi enim divitiæ ſpirituales quoad ſenſibilitatem affluerent, difficiliùs cor non apponeretis, & cum majori difficultate vos ab earum affectu expediretis; quod tamen omninò neceſſarium eſt; cùm non liceat illis cor apponere magis quàm ſi eas non haberetis. Si ſitis divites gratiis ſenſibilibus, laborandum eſt pro plenâ earum renunciatione, quaſi eas non haberetis, eas etiam referre oportet, undè veniunt, & vos ipſos ab illarum affectu exinanire, nè illis innitamini; at ſi relinquamini in Paupertate ſpiritûs, quoad guſtum partis ſenſitivæ, non eſt opus tali labore, ut vos ab omnibus expediatis; imò compendioſiore ſemitâ ad Deo nudè adhærendum, & in illo ſolo quieſcendum deducemini; ut quid quæreretis longiorem viam? ut quid inquam, affectaretis ſenſibilia dona Dei, quæ vos impedirent naturæ & creaturis mori, ac ſoli Deo vivere? ſanè pars ſenſitiva perfectè mori nequit, quàm diu reperit eſcam, & nutrimentum ad victitandum, id eſt, quàm diu alicui rei extra Deum affici-

In ariditate faciliùs.

Digitized by Google

ficitur, aut in ſe vel in aliquo extrà Deum delectatur.

Quin imò anima ſtare debet in tali nuditate ſpiritûs, in tam habituali abſtractione ab omni creaturâ, & ab omni propriâ ſatisfactione & certitudine, ut inconcuſſa & æquanimis maneat, etiamſi, Deo ità permittente, in tali derelictione poneretur, quoad ſentire & experiri, quaſi non eſſet Deus, nec unquàm ſe in ſpiritualibus exercuiſſet; in tantâ caligine mentis, in tantâ rerum divinarum oblivione, ac ſi nec intellectum, nec voluntatem, nec memoriam circà illa haberet; nam in tali conſtitutione tempus eſt exercendi perfectiſsimam Paupertatem: cujus utique indicium dabit, ſi æquanimitatem ſervet, nec aliud deſideret, quàm ſic denudata ab omnibus in Deo eſſentialiter requieſcere, aliquo ſenſu gaudens, eò quòd Deus eam dignetur ab omni guſtu & experimento creaturarum expedire, ſicque occaſionem tollere divertendi affectum ad aliquid præter vel extra Deum. Hîc plurimùm juvat cognoſcere, quòd perfectio non conſiſtat in extraordinariis illuſtrationibus, in ſapidâ rerum divinarum ſcientiâ & guſtu, ſed potiùs in perfectiſſimâ

Probatio Paupertatis.

Occaſio lætandi in Paupert.

ſimâ conformitate cum beneplacito Dei, & voluntariâ carentiâ omnium, quæ Deus non ſunt: hinc fit, ut anima perfectionis amans ſe reſolvat ad jugem mortem crucis, ad voluntariam penuriam omnium, benè ſciens ſe ſic majorem ergà Dilectum ſuum fidelitatem & amorem poſſe exhibere, quàm in ſenſibili devotione, & in ſtatu internæ illuminationis & dulcedinis; ſic enim ipſa puriſſimo & ab omni proprio intereſſe impermixto amore Deo inſervit, ubi econtrà in ſtatu dulcedinis Deus potiùs ipſi inſervit.

CAP. LXVIII.

Deus ſæpè ſubtrahit animæ omnem ſenſibilem gratiam, ad majorem ejus utilitatem.

VErumtamen nemo ſibi perſuadeat talem animam non indiès magis & magis locupletari ſpiritualibus divitiis gratiarum & virtutum; uti enim tutores alicujus prædivitis pupilli celant coràm eo ejus divitias & nobilitatem, quouſque adoleverit, & annos diſcretionis attigerit, nè dent ipſi anſam vanè abutendi, vel juventutem otiosè, delicatè & inerter tranſigendi; intereà tamen *Pauper ſpiritu inſenſibiliter diteſcit.*

tamen bona ipſius continuò lucrantur, novi cenſus coëmuntur, & majores theſauri etiam ipſo inſcio cumulantur; ſimili modo Pater cœleſtis prævidens quoſdam non fructum, ſed detrimentum relaturos ex ſenſibili guſtu divinorum chariſmatum, eis celat eorum virtutes, & divitias gratiarum, quas alioqui poſſident, ac ipſos relinquit in tali diſpoſitione, quaſi omni virtute & gratiâ eſſent deſtituti, quatenus ſic contineantur in humilitate, & vocationem ac electionem ſuam bonis operibus certam facere ſatagant: intereà verò gratiæ interiùs, & inſenſibiliter, eos fortificantes continuè creſcunt, fides firmatur, ſpes roboratur, efficitur in ipſis fortis ut mors dilectio, gratiæ actuales accumulantur, & opera meritoria aſſiduè multiplicantur, ſicque inceſſanter fœnorantur, abſque eo, quod ipſimet ſciant, aut ſibi perſuadere poſſint, donec tandem extra periculum vanitatis conſtituti, vel morti proximi veniant in notitiam theſaurorum ſuorum abſconditorum, de illis in æternum victuri: ex quo patet ſingularis Dei clementia ergà eos, quos ex tali paternæ ſuæ providentiæ diſpoſitione relinquit in tali inopiâ ſpiritûs, in

In ariditate ſæpè magis proficimus.

Ariditas ſæpè eſt donum Dei.

ari-

ariditate mentis, in carentiâ omnis conſolationis: parentes non confidunt pueris cultros, nè fortè cum illis ſeſe lædant; attendunt etiam ſollicitè, nè pueri venenum pro ſaccaro ſumant, nè etiam nimis multis dulcibus veſcantur, nè indè contrahant dolorem ventris; ſimiliter Pater noſter cœleſtis ſubtrahit nobis ſæpè etiam ea, quæ in ſe mala non ſunt, quia videt ea nobis non profutura ad profectum ſpiritualem, quia videt nos dulcedine ſuarum gratiarum abuſuros ad vanam delectationem, & quietem in creaturis: ideò nunquàm aſpirandum eſt ad ſenſibiles gratias; neque enim ſcimus, quid nobis magis conveniat. Jactemus ergò ſuper Dominum curam noſtram, & ipſe nos enutriet, non fortè ad guſtum noſtrum, ſed fortaſſis cibo ſolidiori & inſipido, quo nos decet contentari, ſcientes & confidentes nos eo melius confortandos, etſi non videamur experiri: etſi cibus alicui non ſapiat, non deſinit propterea prodeſſe; imò ſæpiſſimè, quod guſtui amarum eſt, prodeſt cordi.

Parentes ſubtrahunt pueris nociva.

Dulcedo non affectanda.

CAP.

CAP. LXIX.

Perfecta Paupertas ponit animam in Deo cum oblivione creaturarum.

SI velitis ulteriùs proficere in verâ Paupertate ſpiritûs, adeò unicè & abſtractè & ſolitariè in Deo vivere oportet, ut non attendatis, quid in vobis, vel inter creaturas agatu , non reflectentes, an ſitis in ariditate, diſtractione, tentatione, nec nè; an natura patiatur, nec nè; an ſitis in tenebris vel in luce, in conſolatione, vel deſolatione: Paupertas enim perfectè acquiſita, utpotè abſtractio ab omnibus, ſeu abdicatio habitualis omnis affectûs ad quaſcunque creaturas, facit, ut anima ad nihil ſimile notabiliter reflectat, quia nihil appetit, ad nihil aſpirat, ſed manet in ſummâ indifferentiâ omninò ſemper tranquilla; qui ſtatus eſt valdè perfectus: & verò quid vultis ità reflectere ad creaturas, an illas habeatis, an non? nonnè Deus vobis ſufficit? quid vobis cum creaturis? in Deo conſcendere oportet,

Abſtractio à creaturis.

Paupertas abſtractionem cauſat.

&

& volare ſuprà omne ſolatium, ſuprà omnem quietem & delectationem in creaturis; nec putetis malè tunc vobiſcum agi, dum non guſtatis nec ſapidè experimini divinas illuſtrationes, vel conſolationes: perfectus Pauper omnia ita inadvertenter præterire debet, quaſi nihil eſſet præter ipſum & Deum: quod dum anima aſſecuta eſt, tum velut immota ſemper manet in Deo, tranſvolans omnia, utpotè ab omnibus libera & ſoluta. Dum pluma munda eſt, & ab omni humore ſiccata, etiam vel minimo vento per aëra ſublevatur: ità etiam anima expedita & libera ab omni adhæſione ad creaturas, facillimè in Deo attollitur per ſibilum auræ tenuis, per minimam Spiritûs ſancti aſpirationem vel inſpirationem. Sollicitè igitur cavendum eſt, nè aliquid vel minimum nobis attrahamus, nè quidem virtutes & gratias, in quantum in illis aliquod proprium intereſſe, aut propriam ſatisfactionem quæreremus; quippè illæ etiam immediationem animæ ad Deum impediunt, ſi non puriſſimè in Deo exerceantur & conſiderentur.

Pauper ſpiritu facilè volat in Deo.

Etiam gratiæ affectatæ impediunt.

CAP.

CAP. LXX.

Status Derelictionis & Paupertatis magis homini convenit; ideò non conquerendum.

EX dictis clarè patet, quantâ fidelitate anima niti debeat ad perfectiſſimam Paupertatem: ad quam nos inducere poſſunt plures aliæ rationes; imprimis, quia nihilo noſtræ infirmitatis magis quadrat inopia ſpiritûs, quàm opulentia. Nonnè videre eſt, quomodò Pauperes ſint pudibundi aſſidere menſæ divitis vel alicujus Principis? mallent habere modicum in caſâ ſuâ, quàm ibi omnia in abundantiâ & delicatè accommodata; quarè hoc? quia ſibi perſuadent talem menſam non eſſe conformem ſuæ conditioni, neque ſe ad hoc eſſe natos, ut inter divites locum habeant; multò minùs inquietantur eo, quòd ipſis non contingat regnum Hiſpaniarum vel ſimile, ſed de his nec ſemel cogitant, ſed paucis contenti vivunt; quia ſimilia ſibi eſſe indebita probè ſciunt, & contrarium vel ſolùm cogitare,

Homini magis convenit inopia.

Pauper paucis contentus.

Digitized by Google

tare, inſaniam putarent. Chariſſimi, per peccatum facti ſumus planè abjecti, filii iræ, privati omnibus bonis ſupernaturalibus, & intereà non pudet nos prætendere conſortium & bonorum communicationem cum aulicis Regis Regum; inquietamur, eo quòd Deus nos non nutriat cœleſti manna ſuarum gratiarum omne delectamentum in ſe habente, volumus cibari pane Angelorum, prælibare, inquam, cœleſtes epulas; reverà deberet nos pudere attentâ noſtrâ abjectione. Quid nobis, quæſo, perſuademus? quid nobis convenit vel debetur, niſi derelictio, creaturarum ſubtractio, conſolationum privatio? annè habemus jus ad aliquid? ut quid ergò ſumus dejecti, & malè contenti, dum nobis ad guſtum non coquitur, dum carendum eſt illis, quæ nobis nullatenùs debentur? ſi quis ſua bona apud nos depoſita, vel commodata repetat, non ſolemus turbari, quia benè ſcimus, quòd ſolùm repetat id, quod ſuum eſt: pauper mendicus non triſtatur, aut murmurat, quia diadema Franciæ ejus capiti non imponitur, vel quia à rege non invitatur ad menſam; quippè novit ſe ad iſta non eſſe natum; ità etiam, dum Deus nobis ſub-

Per peccatum viles facti ad dona Dei jus amiſimus.

Injuſtè conquerimur in ariditate.

Ob negata Dei dona injuſtè murmuramus.

ſubtrahit ſua dona, & relinquit in penuriâ omnium deſiderabilium, nec nos ducit ad cellam vinariam, nec ad cubiculum genitricis, nec ad lectulum floridum quietis internæ, non habemus anſam conquerendi, vel nos ipſos inquietandi, quia Deus tantùm repetit ea, quæ nobis præter debitum gratioſè commodaverat, & negat, quæ nullatenùs nobis debentur; quocircà magna imperfectio eſt, ideò inquietari, & eſt ſignum, quòd aliquid proprii in illis nobis arrogemus contrà omne jus. Nonnè malè caperemus, ſi quis non ſine difficultate & egrè nobis vellet reſtituere id, quod ipſi ad tempus pro ſuâ utilitate intereà faciendâ gratioſè mutuaſſemus, vel commodaſſemus? indubiè; quippè crederemus ipſum noſtro favore abuti, noſtra bona ſibi velle appropriare, ac proindè ſimili ipſum benevolentiâ judicaremus indignum: eodem procul dubio, modo plurimùm Deo diſplicemus, dum ejus dona ut propria poſſidemus, nec eis, dum ipſi viſum fuerit, deſtitui volumus ſine contradictione, ſine dolore aut murmuratione. Si Rex alicui reo dediſſet vitam & inſuper eum præveniſſet honore, & divitiis cumulâſſet abſque ullis ejus meritis,

Deus repetit quod ſuum eſt.

Diſplicet Deo, dum in ariditate inquietamur

Digitized by Google

tis, idque ſolùm, quàm diu ſibi viſum eſſet, annè faceret ipſi injuriam, ſi poſt multos annos ipſum honore & divitiis deſtitueret? Chariſſimi, ſcimus nos fuiſſe reos æternæ mortis, ſed Deus clementer nobis vitam donavit, nos conſtituendo in honore, & ditando muneribus gratiarum præter, imò contra debitum; quid nî ea nobis, vel eorum guſtum nobis auferre poteſt, dum ipſi libuerit, & quarè, dum aufert, inquietamur? certè adeò ſumus inconſiderati, ne dicam, inſani, ut audeamus conqueri, dum à Deo non in omnibus pro voto prævenimur, vel non ità, ſicut alios opinamur præventos: ſanè intolerabilis hæc videtur audacia, maximus defectus humilitatis, & notitiæ propriæ abjectionis & vilitatis.

Deus commodat nobis ſua dona.

CAP. LXXI.

Humilis nunquam conqueritur in derelictione internâ; ſed potiùs, dum à Deo prævenitur.

E Contrà nos decet admirari, dum Deus aliquid aliud nobis immittit, quàm derelictionem, deſolationem, & inopiam ſpiritûs; quia nihil aliud de jure nobis debetur; quocircà dum libera-

Pauper ſpiritu miratur Deum ſibi ità favere.

Digitized by Google

beralitatem ſuam nobis adeò indebitam ergà nos oſtendit, nos præveniendo in benedictionibus dulcedinis, cibando nos pane Angelorum, potando vino compunctionis, vel introducendo in cellam vinariam divinæ Charitatis, deberemus humiliter & amorosè ad exemplum Sanctæ Thereſiæ cum Deo expoſtulare, & rogare, quid moveat Dei ergà nos charitatem, adeò ſui obliviſci, ut ipſe propter nimiam charitatem ſuam ſe nobis familiarem & ità munificum exhibeat, cùm ſimus viliſſimi terræ vermiculi, omniq́ue favore & gratiâ indigni: certè, ſi eſſemus verè humiles & vilitatem noſtram debitè inſpiceremus; hæreremus obſtupefacti, conſiderantes patientiam & dignationem Dei nobiſcum; quomodò nimirum dignetur vel in minimo eſſe memor noſtri; ſanè, ſi eſſemus verè Pauperes ſpiritu, paucis contentaremur, & etiam minima Dei gratia nobis nimia videretur, conſideratâ noſtrâ indignitate.

S. Thereſ. conqueritur quaſi Deus nimiùm ipſi faveat.

Dicetis fortaſſis vos jam diu jejunaſſe, & ſub dio manſiſſe, ac nudos in frigore, abſque eo, quòd guſtaveritis micas, quæ cadere ſolent de menſà amicorum Dei, ubi fercula ſunt gratiæ, & potus deliciosiſſimum vinum dilectionis; abſque eo,

Querelæ eorum, qui in ariditate relinquuntur.

eo, quòd invenire potueritis locum quietis in Deo, vel in creaturis; abſque eo quòd ad ignem fervidi amoris accedere licuerit: verùm, eſto; quid habetis conqueri? neque enim ulla vobis fit injuria, cùm nil aliud vobis debeatur; nam cum filio prodigo diſſipaſtis ſubſtantiam veſtram; non eſtis coôperati gratiis ſæpè conceſſis: verumtamen, ſi corde humili redieritis ad Patrem cæleſtem, non ità eſt, ſicuti dicitis; neque enim benigniſſimus ille Pater ſinit accedentes ad ſe fame perire. Jactate ergò ſuper ipſum curam veſtram & ipſe vos enutriet; imitabitur tamen bonam aliquam matrem, quæ novit infantem ſuo tempore ablactare, nè maneat ſemper lactens, ſed aſſueſcēdo ſolidiori cibo fortis evadat & robuſtus: ſiquidem eodem modo Deus avellit chariſſimos ſibi filios ab uberibus ſpiritualis dulcedinis, quatenùs efficiantur ſpiritu robuſti, duri ad labores, patientes tribulationum, nec affectum ſuum in ullâ re figentes: hinc eſt, quòd animæ perfectæ dulcedinem ſenſibilis devotionis, fervorem amoroſæ contemplationis, ſaporem rerum divinarum reputent ut lac, vel crepundia puerorum, quibus puderet eos, cor apponere; ſicut adultum pudet ubera affectare, quin potiùs in hoc gloriari ſolet,

Deus neminem ſinit fame perire.

Imitatur matres in fovendo electos.

Senſibilis devotio &c. ſunt crepundia reſpectu perfectorum.

quòd dulcibus non delectetur, nec luſibus; ſed cordialibus cibis, & rebus ſerioſis.

CAP. LXXII.

In quo conſiſtat perfectiſsima Paupertas Spiritûs.

Pauper de victu ſecurus.

Diſcamus ergò eſſe Pauperes ſpiritu, atque in hac Paupertate magis adhuc conemur proficere; nimirùm nec dulces & delicatos cibos, nec ſolidos & duros affectando, ſed omnia omninò abdicando: quod benè fiet, ſi non imitemur eos, qui quidem Paupertatem diligunt, ſed ſunt de victu, amictu, & aliis neceſſariis ſecuri, contenti quotidianâ, etſi tenui, refectione, nec appetendo ſuperflua; tales enim Pauperes plurimos eſſet invenire: ſed libenter ſimus de numero Pauperum iſtorum, qui nè bolum quidem panis certum habent, nec de miſerâ caſâ ſunt ad quieſcendum ſecuri; id eſt, de numero illorum, qui nè vel in minimâ re affectum ponunt, nullam certitudinem in ſpiritu quærunt, nullâ vanâ ſpe lactantur, in nullâ re creatâ quieſcere volunt; ſed omnem curam ſuper Dominum projiciunt, viventes ſine anxiâ ſollicitudine, perindè ac ſi de

Pauper incertus de victu.

de mundo non eſſent, ab affectu omnium rerum evacuati, creaturis mortui, & ab omnibus perfectè abſtracti, exſpectantes miſericordiam Dei, ſicut aliqui Pauperes exſpectant gratiam hominum, aliquandò aliquid recipientes, aliquandò non; aliquandò benè, aliquandò malè.

In tali Paupertate nobis ſuo exemplo præluxit Salvator; undè de ſe dicebat; *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*: cujus exemplo debemus niti ad perfectiſſimam Paupertatem, & potiùs optare omnem derelictionem; quatenùs ſic magis aſſimilemur humanitati Chriſti, qui aſſiduè verſabatur in extremâ Paupertate, interiùs & exteriùs, ac in omnimoda renunciatione propriæ voluntatis; imò ſubindè in tantâ agonizabat derelictione quoad partem ſenſitivam, quaſi fuiſſet purus homo, id quod apertè inſinuabat in Cruce pendens, dicendo æterno Patri: *Deus meus, Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Cùm ergò tota noſtra felicitas ſit Chriſtum imitari, ac juxta prædeſtinationem Dei Patris *Conformes fieri imaginini Filii ejus*: ad hoc omni ſtudio nitamur per voluntariam, eamque perfectiſſimam Paupertatem ſpiritûs, libenter carentes omni conſolatione, nec aliter

Chriſtus pauperrimus.

Luc. 9.

Chriſtus quo ſenſu à Deo relictus.

Rom 8.

cupiẽdo tractari, quàm ipſe tractatus fuit; ſiquidem ſi ipſum intendamus habere in ſponſum animarum noſtrarũ, ſimilis cum eo cõditionis eſſe debemus, quò ſic amor inter ipſum & nos magis aſſecuretur.

Epilogus.

Ecce Chariſſimi, delineavimus hîc aliquouſque Paupertatem Carmeliticam, ſeu ad vitam myſticam omninò neceſſariam; ſupereſt, ut aſſueſcamus eam perfectiſſimè exercere, ad eamque in nobis deſiderium excitare, tanquàm ad medium finali noſtræ perfectioni acquirendæ convenientiſſimum; neque enim jugem, internam, & familiarem cum Deo converſationem conſequi poterimus, niſi abdicaverimus omnem propriam quæſitionem, omnem propriam ſatisfactionem, omne proprium intereſſe in quibuſvis creaturis in cœlo, & in terrâ, in tempore & æternitate: ubi verò ſic perfectè omnibus renunciaverimus; ſine impedimento, atquè hoc ſenſu, immediatè Deo uniri, ac ipſo frui licebit, hîc per amorem unitivum inchoatum, & poſteà per amorem beatificum conſummatum; quod nobis largiri dignetur Pater & Filius & Spiritus Sanctus per interceſſionem Matris amabilis, Amen.

Perfectè pauper immediatè adhæret Deo.

Finis primæ Partis.

TRA-

Digitized by Google

MARIA.

TRACTATVS SECVNDVS

Introductionis in terram

CARMELI.

SEV

De duplici ſpiritu Carmelitarum

ET

De æſtimabilitate Regularum Monaſticarum in communi; & in particulari

CARMELITARVM.

Introduxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus.

Jerem. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATVS II.

Introductionis in terram Carmeli,

SEV

De duplici ſpiritu Carmelitarum, ac æſtimatione Regularum Monaſticarum, præſertim Carmelitarum.

PROLOGVS.

IN primò Tractatu hujus opuſculi egimus de tribus votis Obedientiæ, Caſtitatis, & Paupertatis, quæ vocantur vota eſſentialia Religionis, eò quòd dent eſſe ſtatui Religioſo, & ſtatus Religioſus abſque illis nullatenùs eſſe poſſit; poſtquam etiam de illis ut omnibus Religioſis communibus tractavimus, adjunximus poſt ſingula, ea, quæ Carmelitis ſeu omnibus vitæ internæ cultoribus quoad

illa videbantur propria : verùm nunc deſiderantes iter noſtrum in terram Carmeli proſequi, volentes, inquam, magis appropinquare perfectioni in veris Carmelitis requiſitæ, incipiemus detegere & oſtendere bicipitem montē Carmeli, id eſt, duplicem ſpiritū Sanctiſſimi Patris noſtri, Prophetæ Eliæ, contemplativum, ſcilicèt, ut principalem; & activum, ut minùs principalem : ac deindè in lucem proferemus dignitatem ſeu æſtimabilitatem Regularum Monaſticarum in communi; deinde, Carmelitarum in particulari; ut earum dignitate & ad propoſitū noſtrum convenientiâ conſideratâ, per punctualem earumdem obſervantiam, tanquàm per ſemitam planiſſimam & compendioſiſſimā ad verticem Carmeli, ſeu ad perfectionem Propheticam alacriter curramus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. I.

In quo conſiſtat perfectio Carmelitica, ſcilicèt in puritate cordis, & in familiari converſatione cum Deo.

NEmo aggreditur aliquod iter, niſi ſciat, quò vadat; nullus pictor fricat aut parat colores, antequàm cogitaverit, quid velit pingere; nauta non remigat, niſi ut navim ad portum dirigat; uno verbo, omne agens agit propter aliquem finem vel à ſe, vel a naturâ, ſeu Auctore naturæ intentum. Ex quo potiore jure colligere eſt, quàm ſit æquum, & juſtum, ut quilibet Chriſtianus, Religioſus, Carmelita, per omnia ſua opera intendat aliquem finem honeſtum: Chriſtianus quidem per punctualem obſervantiam mandatorum Dei & Eccleſiæ ad finem legis, qui eſt dilectio Dei & proximi; Religioſus verò præterea per ſtrictam trium votorum eſſentialium, Obedientiæ, Caſtitatis & Paupertatis obſervationem ad omnium virtutum perfectionem; undè & Religio dicitur, & eſt ſtatus perfectionis,

Omne agens agit propter finem.

Finis Chriſtiani.

Finis Religioſi.

Finis Carmelitæ. Converſatio cum Deo & puritas cordis.

ctionis; Carmelita autem inſuper ad finem ſublimiorem: ad quem finem? ad particularem, nempè ad jugem & familiarem converſationem cum Deo, ac ad perfectam cordis puritatem; quippè quid eſt aliud eſſe Carmelitam, quàm per rigoroſam Regulæ & Conſtitutionum cuſtodiam ad talem converſationem & puritatem tendere? Id nos docent noſtræ Conſtitutiones, dum pluribus in locis declarant potiſſimam inſtituti noſtri partem eſſe, vacare Deo.

Converſatio cum Deo & puritas cordis vadunt ſimul.

Si quæras, cur addam puritatem cordis? reſpondeo, quia unum ſine alio non ſubſiſtit, & utrumque, ſcilicèt converſatio cum Deo & puritas cordis inſeparabiliter invicem comitantur; quocircà quandoquidem vacare Deo ſit finis ſeu intentum Carmelitarum, ſequitur, quòd etiam puritas cordis ſit ſcopus eorumdem: Porrò clarum eſt, quòd familiaris cum Deo converſatio comitetur perfectam cordis mundiciem. Id nobis inſinuat Salvator dicens: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; utique per lumen fidei in hac vitâ, & per lumen gloriæ in alterâ: quâ enim conſequentiâ declararet beatos mundos corde, eò quòd Deum videbunt, niſi foret

neceſſaria

Digitized by Google

neceſſaria quædam connexio inter mundiciem cordis, & viſionem ſeu contemplationem Dei? Deindè dicebat olim Dominus: *Non videbit me homo, & vivet:* Exod. 33. ut ſciremus hominem cum Deo ambulare, eumque coràm contemplari non poſſe, quàm diu non habet cor per exercitium mortificationis mundatum, quàm diu vivit in amore proprio vel creaturarum: eccè igitur, quàm neceſſarium ſit cor mundum non ſolùm ab omnibus ſordibus peccatorum, ſed etiam ab omni nævo affectûs inordinati, ad hoc, ut Deum defæcato oculo fidei videre, & per amorem ei vacare liceat. Cùm igitur ad ſic Deo vacandum ſpecialiter vocati ſimus, quotquot Sacro huic Eliano & Mariano Ordini ex ſingulari Dei vocatione nomen dedimus, conſtat conſequenter nos unà vocatos ad prædictam cordis mundiciem, utpotè ſine quâ in fide & charitate Deo vacare non poſſimus. Ad propoſitum ſervit illud Sancti Auguſtini: Sicut, inquit, niſi ſponſa aliqua munda ſit ab omni ſcabie & leprâ, ſponſus ab eâ averſionem habet, & ſe continet à familiari cum eâ converſatione, & amoroſis amplexibus: ità niſi anima pura ſit ab omnibus peccatis etiam venialibus, & ab aliis imperfectio-

Homo immortificatus non poteſt contemplari Deum.

Auguſt.

perfectionibus, quæ ipſam velut quædam ſcabies inficiunt, & maculant ut lepra, Sponſus cæleſtis ab eâ ſe præbet alienum, nec amoroſos miſcet amplexus, nec conſequenter ipſa cum illo familiarem poteſt habere converſationem; attamen hæc amoroſa cum Deo converſatio eſt finalis Carmelitarum perfectio.

CAP. II.

Finalis hæc Carmelitarum perfectio eſt valdè excellens, & inchoata beatitudo.

Mundus æſtimat amicitiã magnatum.

SUblimis ſanè hæc eſt perfectio, deſiderabilis planè cum Deo converſatio: equidem ſi homines ſoleant ſummè aſpirare ad amicitiam & familiaritatem cum magnatibus hujus mundi, & de eâ acquiſitâ plurimùm glorientur; quis vocatus, non feſtinabit omni ſtudio, & affectu ad amicabilem, familiaremque converſationem cum Deo? Hæc felicitas offertur omnibus ad hunc Sacrum Ordinem à Deo vocatis; ſic ut ipſis ſpecialiter dictum videatur, id quod olim Patriarchæ Abrahæ: *Ambula coram*

Deo,

Deo, & eſto perfectus. Ad hoc optimè reflexerat venerabilis & doctus noſter Thomas Waldenſis, dum dicebat: *Veniat nunc Sanctus Benedictus, & creſcat in aſſiduâ cuſtodiâ clauſtri; reſplendeat ſanctus Dominicus in cœleſti doctrinâ; Sanctus Franciſcus in nuditate, & contemptu mundi; accedat legifer noſter Sanctus Albertus cum ſuis Carmelicolis, & creſcat in ſilentio, in ſolitudine cellæ, & in aſſiduâ meditatione in lege Domini:* quaſi pius hic & doctus Pater vellet dicere; Glorientur aliorum Ordinum Religioſi in ſuis reſpectivè inſtitutis, magis tamen Carmelitæ in ſuâ vocatione, quæ eſt, die ac nocte in lege Domini meditari, & in orationibus vigilando jugem cum Deo converſationem habere. Hanc noſtri inſtituti æſtimationem ſugere licet ex verbis Chriſti Domini ad Beatam Magdalenam de Pazzi: *Tanti,* inquit, *facies vota tua, Regulam & Conſtitutiones Ordinis tui, quanti volo ut me ipſum facias, conando omnibus inculcare ſuavem odorem tuæ vocationis, & æſtimationem tuæ Religionis.* Ex quibus profectò liquet, quàm felices nos reputare debeamus, qui confidimus nos ad tam ſublimem perfectionem

Wald. de ſacr. tit. 9. c. 84. n. 7.

Regula Carmel. quãti ſit æſtimanda.

Chriſtus B. M. de Pazzi.

Digitized by Google

fectionem vocatos, quandoquidem ipſemet Chriſtus vocationem noſtram tantoperè commendet: & meritò; quippè ſumma perfectio, ad quam juxtà exigentiam noſtræ vocationis aſpirare oportet, nihil aliud eſt, quàm inchoata beatitudo: uti enim Beatitudo conſummata civium ſupernorum conſiſtit in clarâ Dei viſione, & in amore beatifico; ità Beatitudo inchoata viatorum, nihil eſt aliud, quàm frui Deo per lumen fidei, eique per amoroſam familiaritatem jugiter adhærere: Porrò ad hanc inchoatam Beatitudinem omnes veri Carmelitæ vocati ſunt. Quid reſtat aliud, quàm per congrua media initium iſtius Beatitudinis, ac finalē noſtram perfectionem procurare in hac vitâ, quatenùs poſteà pro lumine fidei nobis contingat lumen gloriæ, & Beatitudo conſummata; quā nobis largiri dignetur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Perfectio Carmelit. eſt inchoata beatitudo.

CAP. III.

Exemplum Sancti Patris Eliæ docet finalem noſtram perfectionem eſſe converſari cum Deo.

NOn dubito, quin præ gaudio exultet cor veſtrum, dum auditis & intelligitis ſublimem & verè felicem vocationis

cationis veſtræ ſcopum: & verò nónne ferventi deſiderio eum attingendi cor veſtrum ardens erat in vobis? ſed ardeſcet adhuc magis, ſi pauló clariùs demonſtretur, internam, amicabilem cum Deo converſationem eſſe ſcopum, ad quem omnes Carmelitæ collimare debent; quarè operæ pretium fuerit id pauló clariùs probare. Ordinariè dicitur; *Bona parentum, hæreditas filiorum*; cùm filii ſuccedant in poſſeſſione eorum, quæ parentes in morte relinquunt: deindè eſt communis doctrina in jure, fundata in ratione naturali, quòd filii ſint aliquid de ſubſtantiâ Patris; ob quam etiam rationem non datur ſtrictum jus inter Patrem & filium; Pater enim & filius cenſentur unus, jus autem ſtrictum eſt ad alterum: hæc doctrina etiam habet locum inter Patrem ſpiritualem & Filios ſpirituales; atqui veri Carmelitæ ſunt filii ſpirituales magni illius & zeloſi Prophetæ Eliæ; ergò bona ipſius ſunt bona Filiorum Carmelitarum; & cùm certo modo Pater & Filii cenſeantur unus, ſequitur, finalem perfectionem Patris eſſe etiam finalem perfectionem Filiorum. Quæ erant bona Sanctiſſimi Patris noſtri Eliæ, quæ nobis hæreditanda reliquit? quæ fuit finalis ejus perfectio?

Bona parentum hæreditas filior.

Etiam in ſpiritualib.

Digitized by Google

Duplex ſpiritus Eliæ hæreditas Carmelit.

fectio? Bona ipſius erat duplex ſpiritus illius, nimirùm gemina Charitas, Dei & proximi, vita contemplativa, & activa in zelosè procurandâ ſalute animarum. Cōtemplare Sanctum Patrem Eliam in torrente Carith, & in vertice Carmeli, & videbis in eo vitam contemplativam; audi

3. Reg. 19. eum dicentem: *Zelo Zelatus ſum pro Domino Deo exercituũ*; item, *vſquequò*

3. Reg. 18. *claudicatis in duas partes? ſi Dominus ipſe eſt Deus, ſequimini illum* &c. & reperies vitam activam; attende ipſum in his

3. Reg. 17. omnibus dicentem; *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto hodiè*, & invenies optimam utriuſque vitæ mixturam, ad noſtrum exemplum. Porrò duplicem hunc Spiritum Sanctus Pater in hæreditatem reliquit præcipuo ſuo diſcipulo, S. Eliſæo, dum ad cœlum aſcendens in hujus hæreditatis ſignum ipſi ſuum pallium dimiſit: à S. autem Eliſæo duplex iſte Spiritus in omnes veros Carmelitas ſemper fuit derivatus, ut ſucceſſio hæreditaria. Quarè ſi conſequenter petas, quę ſit finalis Carmelitici Ordinis perfectio? eſt eadem, quæ viguit in Patre; utique nihil aliud, quàm in interiori animæ, familiari per fidem & charitatem cum Deo converſatione frui, prout ipſe feliciſſimè fruitus eſt; hinc

Finalis Eliæ perfectio etiã in Carmelit. deſideratur.

erat,

Digitized by Google

erat, quòd toties in hæc verba prorumperet: *Vivit Dominus, in cujus cõſpectu ſto.* Ad hanc finalem perfectionem noſtrum Sanctum Patrem pertigiſſe clarè nobis teſtatur Abbas Neſtorius apud Caſſianum his verbis: *Novimus Eliam & Eliſæum valdè familiariter Deo adhæſiſſe per ſilentium ſolitudinis*: & profectò, exiſtimo, quòd, cùm teſte ſacrâ Scripturâ, *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus* ſit *cum eo*, ſpiritus zeloſiſſimi noſtri Patris per jugem illam adhæſionem, & cum Deo converſationem unus cum divino fuerit effectus, à quo proindè in omnibus perfectè fuit directus. Vide igitur, quomodò interna cum Deo converſatio ſit finalis noſtra perfectio, cùm fuerit finalis perfectio noſtri Patris.

Collat. 4.

Elias unus cum Deo ſpiritus.

CAP. IV.

Solitudo, ſilentium, & Mortificatio in Regulâ noſtrâ ordinata, evincunt finalem noſtram perfectionem eſſe converſationem cum Deo, & mundiciem cordis.

Finis cognoſci ſolet ex mediis illi ſubordinatis, & proportionatis; cũ enim media fini debeãt proportionari, ut per ea finis attingatur, certum eſt, quòd ex cognitione

Ex mediis cognoſcitur finis.

nitione mediorum devenire oporteat ad cognitionẽ finis. Exempli gratiâ, ſi quem videam ſolvere aurigæ uſq; Antverpiam, & cum curribus diſcedere, colligo finem hujus ſolutionis & diſceſſûs eſſe ingreſſum in civitatẽ Antverpienſem, & ſic de aliis; atqui in Sacro Ordine noſtro à Sanctis Patribus noſtris relicta & ordinata ſunt media aptiſſima ad aſſequendam familiarem & jugem cum Deo converſationem; ergò hæc eſt finis noſter & ſcopus, ad quem per iſta media nos oportet tendere. Hæc concluſio clara eſt ad intentum: at quæ ſunt iſta media? ea facilè colligere licet partim ex noſtrâ Regulâ, partim ex etymologia dictionis *Carmelita*; atque inter alia, hæc tria videntur mihi præcipua, nimirùm ſolitudo, ſilẽtium, & totalis hominis interioris & exterioris mortificatio.

Reg. Carm. c. 6.

Ac imprimis, Caput ſextum Regulæ noſtræ præſcribit ſolitudinem his verbis: *Maneant ſinguli in cellulis ſuis &c. niſi juſtis occaſionibus occupentur.* Et verò ubi dat Deus audientiam, niſi in ſolitudine? undè Deus cupiens dignari animã devotã familiari ſecum colloquio, *Ducam*, ait, *eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus*: ad quod attendens Sponſa in canticis, dicebat: *Similis eſt dilectus meus caprea,*

Solitudo ad vacandum Deo aptiſſima.

Oſeæ. 2.

Cant. 2.

prea, hinnuloq; cervorum; inſinuans eum inſtar capreæ abhorrere publicũ, & amare ſecreta ſolitudinis. Ad propoſitum monet Magiſter omnis perfectionis: *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum tuũ, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito*; quomodò enim Salvator animę orationi & cum Deo cõverſationi conſecratę clariùs commendare potuiſſet ſolitudinis utilitatẽ & neceſſitatem? niſi fortaſſis plus credere libeat exemplo Chriſti, quàm ejus verbis; de ipſo teſtantur ſacra Evangelia, quod aliquandò fugerit in montem, *ſolus orare*, aliàs *erat* in monte, *pernoctans in oratione Dei*; aliàs agebatur *à ſpiritu in deſertũ*, quo ſic intimiùs cũ æterno Patre ageret; non quia ipſi ſolitudo exterior in hoc adminiculo eſſe poterat, vel multitudo ab hoc impedire, ſed ad noſtrã inſtructionem ſelegit ſolitudinem tanquam medium maximè opportunum ad internam cum Deo familiaritatem: porrò hoc mediũ nobis in Regulâ ordinatur, & à S. noſtris Patribus exemplo monſtratũ eſt.

Matth. 6.

Chriſtus docet in ſolitudine orandum.

Joan. 6.

Luc. 6.

Luc. 4.

Quantùm ad ſilentium, præterquam quòd ſit individuus ſolitudinis comes; Regula noſtra multa eſt in ejus commendatione, unde ait: *Commendat autem Apoſtolus ſilentium, cùm in eo præcipit ope-*

Silentium juvat ad vacandum Deo.

Cap. 16.

operandum &c. *ideò ſtatuimus, ut dicto Completorio ſilentium teneatis uſque ad Primam dictam ſequentis diei* &c. *& ſilentium, in quo cultus juſtitiæ eſt, diligenter & cautè unuſquiſque ſtudeat obſervare.* Bene, optimè; ecce medium convenientiſſimum ad internam & jugem animæ in Deo occupationem, conformiter ad illud Jeremiæ: *Sedebit ſolitarius & tacebit, & levabit ſe ſuprà ſe,* utique dum mediante ſolitudine & ſilentio in meditatione exardeſcit ignis divini amoris animam ſuper omnia creata in Deum elevans.

Tren. 3.

Mortificatio eſt neceſſaria.

Quoad mortificationem; ea indubiè eſt medium planè neceſſarium ad finalem noſtram perfectionem, cùm perfecta cordis munditia non aliter acquiri poſſit, quàm per ablutionem omnis impuritatis; quæ ablutio nihil eſt aliud, quàm jugis mortificatio, ſui abnegatio, renunciatio omnium, quæ cum affectu poſſidentur: de quibus nos admonens Salvator, *ſiquis*, inquit, *vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam quotidiè, & ſequatur me.* & alibi; *qui non renunciat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Ad mortificationem ut fini noſtro ae-

Puritas cordis per mortification. acquiritur.

Luc. 9.

Luc. 14.

acquirendo omninò neceſſariam nobis abundè hortatur Regula noſtra in Capite 14. de armis ſpiritualibus; de quibus, uti & de ſolitudine & ſilentio, alibi Deo dante latiùs: & verò ad quid ſerviunt tot jejunia, tot abſtinentiæ, cingulum caſtitatis &c. niſi ut diſcamus mortificare membra noſtra, quæ ſunt ſuper terram, & Chriſti mortificationem in corporibus noſtris circumferamus omni loco & tempore? Ad hanc jugem mortificationé nos exſtimulat ipſum, quo gloriamur, nomen: quid enim ſignificat dictio *Carmelita*? certè ſi *Carmel*, aut *Carmelus* idem eſt ac cognitio circumciſionis, profectò *Carmelita* nil aliud ſignificat, quàm eum, qui practicè cognoſcit circumciſionem, id eſt, mortificationem: videndum ſupereſt, an concordet vita cum nomine, utrùm habeamus practicam notitiã circumciſionis ſpiritualis; an, inquam, ſimus circumciſi cordibus, id eſt, in omnibus mortificati: ſi ità, gaudeamus; nam ſi uſi fuerimus mediis nobis ordinatis ad aſſequendam finalem noſtram perfectionem, refugiendo, quantum poſſumus, ad ſolitudinem, exactè ſilentium ſervando, & mortificationem Jeſu in corporibus noſtris ſemper circumferendo, Deus ſine dubio unger

Reg. Carm. c. 14.

Regula Carmel. hortatur ad mortification.

Item, nomen Carmelita.

Carmel cognitio circumciſionis.

unget nos unctione gratiæ ſuæ, quatenùs perfecti imitatores facti ſanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſei, eorum ſpiritum hæreditare poſſimus, & per fidem cum Deo jugiter ambulare, quæ eſt finalis noſtra perfectio.

CAP V.

Vita activa eſt etiam juxta propoſitum Carmelitarum, ſi benè exerceatur.

Perfectio Carmelit. inchoata beatitudo. l. de Inſtit. prim. mon. c. 2.

IN antecedentibus oſtendimus, quomodò Carmelitæ tendere teneātur ad puritatem cordis, & ad jugem cum Deo converſationē, quâ fiat, ut juxta mentem Ioannis 44. Patriarchæ Ieroſolymitani *Carmelita non ſolum in morte ſuâ, ſed etiam in hac mortali vitâ aliquouſque poſſit corde prægustare, & ſpiritu experiri virtutem divinæ præſentiæ, & dulcedinem æternæ gloriæ in cœlis.* Verùm etſi hæc ſit præcipua pars inſtituti noſtri Prophetici; alia tamen eſt minùs principalis, nempè unà cum contemplativâ exercere etiam vitam activam: adeò, ut ſicuti qui in Ordine noſtro intenderet ſolùm exercere vitam activam, quæ conſiſtit

Vita activa minùs principalis pars Carmelit.

Digitized by Google

ſtit in converſione vel inſtructione animarum, in operibus charitatis proximo exhibendis, in occupationibus externis, &c. non eſſet verus Carmelita, utpotè cui deficeret pars principalis, quæ eſt puro corde interiùs vacare Deo; itâ etiam, qui profeſſionem faceret ſolius vitæ contemplativæ, nolens ſe exercere ullatenùs in activâ, non eſſet adæquatus Carmelita, ſed potiùs eremita, vel cœnobita; quia ipſi deeſſet vita activa, quæ eſt partialis, etſi minùs principalis inſtituti noſtri pars.

Quod concernit fratres laicos, certum eſt, quòd pars propoſiti ipſorum debeat eſſe vita activa, cum Conſtitutiones noſtræ aſſerant illos in eum finem recipi, ut *corporalibus obſequiis occupentur, & clericis, cùm opus fuerit, inſerviant*; quamobrem *mandatur* ibidem *Superioribus Conventuum, ut fratres laicos per ſanctæ obedientiæ meritum moneant, & inducant, ad ſemper aliquid operandum*: ſimiliter Clerici ſeu Sacerdotes tenentur habere propoſitum vitæ activæ, nedum contemplativæ; id quòd nobis inſinuat Innocent. 4. in declaratione Regulæ capite 11. *Dominicis quoq; diebus, vel aliis, ubi opus fuerit; de cuſtodiâ ordinis & animarum ſalute tractetis*, utique

Laici profitentur vitam activam.
P. 1. c. 7. §. 1.
§. 6.
Etiam Clerici.
Reg. c. 11.

Digitized by Google

que concionando, confeſſiones audiendo, peccatores ad pœnitentiam adhortando, infirmos viſitando, & alia opera charitatis proximo exhibendo, prout opus fuerit, & obedientia permiſerit; hoc enim eſt agere *de ſalute animarum*: quæ proindè verba meritò ab illo Pontifice adjecta fuerunt, poſtquàm ad operandum in vinea Domini ex deſertis tranſlati ſumus: quocircà dum Carmelita ex obediētiâ in ſimilibus occupatur; vel etiam ſtudiis operam navat, ut ſe ad ſimilia capacem reddat, ſatiſfacit parti ſuæ vocationis, & conformiter exigentiæ illius. Nemo igitur in hoc fallatur, falsò ſibi imaginando ſuam vocationem ſolummodò exigere, ut ſemper ſolitarius in cellâ maneat in angello cum libello, vel ſemper cum Magdalenâ ſedeat ad pedes Domini: licèt enim cum ipſâ optimam hanc partem elegerimus, quæ non poteſt auferri à nobis; attamen etiam elegimus bonam partem Marthæ, ut ei conformiter, dum charitas exigit, vel neceſſitas urget, vel obedientia permittit, aliquandò non pigeat exterioribus operibus occupari. Quarè ad hanc partem inſtituti noſtri etiam maturè reflectendum eſt; neque quis aliquid contra vel præter exigentiam ſuæ vocationis fieri exiſtimet, dum

Agere de ſalute animarum eſt vita activa.

Carmelita ſit etiam ad activ. vit. paratus.

Digitized by Google

dum ex ordinatione Superiorum externis exercitiis contigerit impediri.

CAP. VI.

Exemplum Patrum noſtrorum docet partem inſtituti Carmelitici eſſe vitam activam.

SI deſideres ulteriorem probam eorum, quæ diximus de parte minùs principali inſtituti noſtri; attende ad visam Sanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſæi, & invenies eos cum vitâ contemplativâ conjunxiſſe vitam activam, prout clarè innoteſcit ex ſacrâ paginâ, in quâ Spiritus Sanctus perfectè ſatis expreſſit & dictavit vitam horum Sanctorum; ibi audimus Sanctum Patrem noſtrum dicentem: *Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum*; quo modo? convertendo populum idololatrantem, eumque inſtruendo in lege Domini: de his copioſè tractat tertius & quartus liber Regum; & Sapiens verbo tangens, *Elias*, inquit, *dum zelat zelum legis, receptus eſt in cœlum*: idem eſt de Sanctiſſimo Propheta Eliſæo; ac proindè clarè innoteſcit ex ipſorum exemplo, quid nobis ſit faciendum, ſi imitatores illorum

3. Reg. 19. *Vita activa Eliæ.*

Eccl 48.

eſſe volumus, ſicut filii chariſſimi: ad rem teſtatur Joſephus Antiochenus de aliis Patribus noſtris: *Surrexerunt viri ſtrenuiſſimi coadjutores perfectorum militum Christi Apoſtolorum, viri ſolitarii, contemplationi dediti, ſequaces Sanctorum Prophetarum Eliæ & Eliſei, qui deſcẽdentes de monte Carmelo* &c. Certum autem eſt Sanctos Apoſtolos unà cum vitâ contemplativa ſtrenuè exercuiſſe vitam activam; ac conſequenter eorum coadjutores, Patres noſtri in hoc ipſos fuerunt imitati. Iſto fortaſſis motivo ſummi Pontifices nos ad publicum eccleſiæ famulatum, agrique Domini culturam tranſtulerunt, Ordinemque noſtrum inter Ordines mendicantes aſſerverunt, ut primis noſtris antiqui & novi teſtamenti Patribus aſſimilati, eſſemus adjutorio populo Dei: id hoc ultimo ſæculo non ignoravit Seraphica Virgo Thereſia, quæ etiam zelo zelata pro Domino Deo exercituum, ſæpiùs amoroſè expoſtulabat coram Deo, eo quòd cùm eſſet fœmina, zelum ſuum exequi non poſſet in hæreticis ad fidem, ſchiſmaticis ad unitatem eccleſiæ, in peccatoribus ad pœnitentiam convertendis; quæ tamen ut aliquatenùs præſtaret, filias ſuas fervidè ſolebat

Ioſeph. ant. l. de perfect. mil. prim. Ecc. c. 12.

Vita activa Carmelit. tẽpore Apoſtol.

Cur ordo Carmelit. ſit factus de mendicantibus.

S. Thereſia cordi habit vitam activam.

Suadet orari &c. pro ſalute animarũ.

lebat exhortari, ut ſuas orationes, jejunia, vigilias, & alias auſteritates in iſtum finem Deo offerrent: neque adhuc cum hoc contenta, iſtâ intentione inſtituit congregationem Patrum Diſcalceatorum, ut quod ipſi per ſe & per filias ſuas non licebat, per ipſos fieret. Quid nunc dicitis Chariſſimi? an necdum videtis bicipitem montem Carmelum? an necdum cernitis propoſitum veſtrum debere eſſe duplex, nempè tum ad vitam contemplativam, tum ad activam? & quidem propter hoc in Domino gloriandum: glorientur Carthuſiani ſtrictâ ſuâ clauſurâ & ſilentio, quibus conantur aſſequi jugem cum Deo converſationem; glorientur alii Ordines magis de vitâ activâ, ſed nos de utrâque; iſti delectentur ſpirituali quiete Mariæ, hi fatigentur in ſollicitudine Marthæ, membris Chriſti ſerviendo, ea fovendo, vivificando, vel confortando piis operibus & bonis exhortationibus: at nos fruamur quiete Mariæ, nec tamen nos pigeat ſollicitudinis Marthæ: ità eligamus partem optimam, ut non negligamus minùs principalem. Unum tamen hîc eſt neceſſarium, ſcilicèt quærere & invenire modum duplicem hanc vitam ſine mutuo præjudicio cõnectendi, ſcien-

Vita mixta Carmelitis propria.

tes nihilominùs ſemper, quia *Vacare Deo, eſt pars Carmelitarum optima.*

CAP. VII.

Modus vitam activam connectendi vitæ contemplativæ per Charitatem &c.

DE mediis ad finem noſtrum principalem opportunis, parùm ſuperiùs egimus, & alibi cum Dei gratiâ latius agemus: ſupereſt hîc aliquid tangendum (præter ea, quæ alibi fortè proſequemur) de mediis ad finem minùs principalem conducentibus, & unà oſtendendum qualiter utrique parti vocationis noſtræ poſſimus ſatisfacere ſine detrimento unius vel alterius; quò ſic obviemus querelis plurimorum, quibus valdè difficile, nè dicam, impoſſibile videtur, ſimul interius jugiter vacare Deo per contemplationem, & unà vacare proximo per actionem.

Modus conjungendi opera per cæmēt. ſpirituale.

Sanè dum maturè perpendo & quæro aliquem modum iſta duo conjungendi, videor à cæmentariis edoceri; uti enim ipſi volentes altum exſtruere murum multos lapides inter ſe, vel etiam cum aliis

aliis materialibus connectunt, itâ tamen, ut inter ſingulas partes cæmentum miſceant, nè etiam pauci lapides ſine cæmento conjuncti muri ruinam cauſent; eodem modo, ſi deſideramus multa opera uni & alteri fini noſtro conformia ac proportionata ſimul connectere, tanquàm multos lapides ſervientes ad promotionem ædificii ſpiritualis; ſi cogitemus ex multis virtuoſis exercitiis ædificare turrim Evangelicæ perfectionis, cujus culmen ad cœlum vſque pertingat; opus habemus cæmento ſeu bitumine, vinculo, inquam Charitatis; opus eſt, ut omnia opera noſtra intermiſceantur exercitiis internæ dilectionis, opus eſt juxta monitum Apoſtoli, ut *Omnia noſtra in charitate fiant*: abſque Charitate enim ſunt velut lapides ſimul juncti ſine cæmento, nec ſerviunt niſi ad confuſionem.

Cæmẽto charitatis opera noſtra in ædificio ſpirituali connecti debent.

Vultis videre praxim hujus rei? v. g. ſi certo tempore & ab obedientiâ conceſſo ſtudemus, aut diſcendo cantu occupamur, aut aliis operibus manualibus vacamus; noſtrum eſt inter ſtudendum, inter diſcendum cantum, inter operandum ſæpiùs elicere actus fidei circa præſentiam Dei, credentes nos divinâ eſſen-

Praxis miſcendi cæmentum charitatis.

tiâ undique eſſe circumfuſos, imò pluſquàm intimè penetratos; deindè præter actus fidei, exercendi ſunt actus dilectionis ergà Deum, ipſi v. g. ſic loquendo: O *utinam te debitè amarem Deus meus & omnia*! vel, *diligam te Domine, fortitudo mea*; vel, *benedic anima mea Dominum, & omnia, quæ intra me ſunt, laudent nomen Domini*; vel, *in omni loco dominationis ejus benedic anima mea Dominum*: vel, *hîc quæſo Domine mecũ operare* &c. Si ſtudia & alia opera, quantumcumque externa intermiſcerentur ſimilibus actibus fidei, & charitatis, plurimùm indubiè conducerent ad propoſitum noſtrum: deindè dum ſumimus neceſſarium corporis alimentum, conformemus nos Angelo Tobiæ, qui tantùm *Videbatur* comedere, ſed veſcebatur *Cibo inviſibili* divini beneplaciti, vel verbi Dei intus loquentis; ſi cum aliis alicui interſimus recreationi, delectemur intereà in Domino, cavendo ab omni effuſione naturæ in aliquâ vanitate; quin potiùs ſpiritus Deo unitus frœnum injiciat naturæ, non ſinendo eam longiùs evagari vel effundi, quàm dilectio Dei permiſerit: ſi cum proximo converſemur, penſemus nobis agendum cum illis, qui ad imaginem

Quo ſpiritu manducandum.

Tob. 12.

Quomodò recreandum.

Digitized by Google

nem Dei creati ſunt, ut nobiſcum hæreditatem capiant ſalutis; uno verbo, *Omnia noſtra in charitate fiant*; nec dubitemus, quin omnia nobis ſervient ut media optimè proportionata ad finalem, quam Deus à nobis exigit, perfectionem.

Quomodò cũ proximo converſandum.

1. Cor. 16.

CAP. VIII.

Modus faciendi exteriora opera ſine impedimento interiorum, per fidem divinæ præſentiæ, aut per obedientiam.

LIcet etiam dicere, quòd cæmentum, quo omnia opera noſtra in Deo adunari debent, ſit exercitium divinæ præſentiæ; quo ſi paſſim utamur in ſumendâ refectione, in aliis operibus neceſſitatis, charitatis, & obedientiæ, omnia iſta ſimul connectentur & ordinabuntur ad finem noſtrum principalem, nimirùm ad aſſiduam meditationem in lege Domini, & occupationem animæ in Deo, Quòd ſi quis non benè capiat, quomodò opera, quæ ex naturâ ſuâ nec bona ſunt, nec mala, vel etiam diſtrahentia, adaptare debeat perfectioni Carmeliticæ, modum diſcat ab iis, quorum opus eſt condire; hi etiam

Digitized by Google

Condiuntur etiam amara. ea, quæ de ſe ſunt inſipida, vel amara, ut ſunt nuces immaturæ, aliquo condimento ſapida efficiunt, ac idonea ad ſanitatem recuperandam vel conſervandam; eodem modo, etiamſi aliqua opera, ut diſcere cantum, ſtudere, in populo converſari, & ſimilia, ex ſe videantur ſpiritui inſipida, amara, à Deo alienantia, & animum diſtrahentia; omnia tamen iſta condienda ſunt ſaccaro obedientiæ, ac condimento divinæ voluntatis & amoris Dei; ſicque ſapida fient Spiritui ſancto, ac plurimum conducent ad noſtram & aliorum ſalutem, proximum erudiendo, conſolando, vel alio modo ædificando. Dicetis fortaſſis, immaturam quidem nucem poſſe cõdiri, ſed equidem ſemper retinere aliquam amaritudinem, cum equidem non mutet naturam; ac ſimiliter dicetis opera quidem exteriora jam mentionata poſſe fieri bona modo dicto, manere tamen imperfectiora, cùm non habeant bonitatem ità intrinſecam; quocircà conſultius videri, ſi condimento obedientiæ, amoris, aut voluntatis Dei condiantur opera ex ſe bona, & ſpiritum magis ad Deum elevantia, v. g. piæ lectiones, meditationes & ſimilia: ſed præterquam quòd iſta non ità quadrent conditura utili ad ſalutem proximorum

Operæ externa ſpiritualiter cõdiri debent, ut animæ proſint.

Opera interna melius condiuntur, ſed non ad ſalutem aliorum.

morum procurandam, ad charitatē exercendam, ad neceſſitati ſubvenieudum (quę tamen ſunt pars inſtituti noſtri) attendite ad ea, quæ in ſequenti capite afferuntur.

C A P. IX.

Modus etiam exteriora opera perfectè faciendi, & accendendi igne Charitatis.

ALius adhuc, iſque optimus, ſupereſt modus condiendi ſeu perfectionandi omnia opera, qualiacumque ſint; illum diſcite ab agentibus neceſſariis: de his eſt axioma inter Philoſophos; *Omne agens agit, ut aſſimilet ſibi paſſum*, ſeu ut producat ſibi ſimile, vel in ſe convertat; ſic experientia docet, quòd ignis agat, ut lignum in ſe convertat, & ferrum ſeu metallum ſibi aſſimilet, adeò ut nulla appareat differentia inter ignem & ferrum candens: ad rem noſtram, efficiendum eſt, ut forma animæ noſtræ ſit ignis divini amoris, quo igne mediante debemus conari omnia opera noſtra etiam de ſe indifferentia accendere, & quaſi in ignem Charitatis convertere, imò etiam opera, quæ inſtar terræ vel inſtar ferri ſpiritum videban-

Omne agen aſſimilat ſibi paſſum.

Ignis facit metallum ſibi ſimile & lignum in ſe cōvertit.

Ignis Charitatis omnia opera etiam indifferentia in ſe convertet ſi omnia imperet.

videbantur frigefacere; quod fiet, ſi omnia opera noſtra ſint actus ſaltem imperati à virtute Charitatis: ſicque cum ferventi amore, ac amoroſo fervore & diligentiâ opera noſtra faciendo, ea in ignem amoris Dei commutabimus, adeò ut omnia eâdem hujus divini ignis formâ informata, ejuſdem fermè meriti & dignitatis ſint futura, abſque eo, quòd differentia poterit notari. Tali modo, ex directione ſcilicèt, & imperio Divini Amoris, faciebat omnia ſua Beata Magdalena de Pazzi, quæ adeò ſemper occupabatur in externis operibus obedientiæ, humilitatis & fraternæ charitatis, ut plus operaretur ſola, quàm quatuor aliæ Sorores ſimul; abſque eo tamen, quòd per illa impediretur ab immediatâ converſatione cum Deo: nunc ſerviebat infirmis cum magnâ earum ſatisfactione; nunc juvabat in culinâ; nunc lavabat linteamina, & ſic de aliis, ſine alienatione aut tepefactione ſpiritûs: nec mirum; nam *Hæc omnia operabatur unus atque idem Spiritus*, utique divini amoris, aut potius Spiritus Chriſti, qui eam dirigebat. Hinc etiam fiebat, ut Sancta Thereſia non obſtantibus tot occupationibus in fundandis

B.M.de Paz. etiam externa opera informabat igne charitatis.

1. Cor. 9.

S. Thereſia omnia ſua in charitate faciebat.

Digitized by Google

dis novis monaſteriis, ac in inſtituendâ novâ in Ordine noſtro reformatione, omnes tamen ſuas ſollicitudines, omnes itinerationes, & cum hominibus commercia divino amore tàm benè condiret, ut jugem cum Deo unionem poſſet conſervare per amoroſam cum eo converſationem; adeò ut ideò appellari meruerit Virgo Seraphica. Sic credimus ſe geſſiſſe Sanctum noſtrum Petrum Thomam, qui in tot à Sanctâ Sede ſibi commiſſis legationibus, etiam in bello ſacro Reges & Principes conſilio adjuvando, ſalutaria militibus monita dando, omnes ad generoſitatem in juſtiſſimo bello exſtimulando, læſos animando &c. novit ſe in Deo recollectum ſervare, ac omnia iſta in fervore Charitatis faciendo Sanctitatem adeò ſublimem eſt aſſecutus: idem nobis faciendum eſt, ut nimirum etiam vilia & externa exercitia ſatagamus per fervorem amoris in ipſum velut amorem commutare; ſic ut amor Dei ſimul ſit principium, & quaſi forma omnium noſtrorum operum: atque hoc modo, quidquid fecerimus intus vel extra, quàm optimè erit proportionatum finali noſtræ, quam intendere debemus,

S. Pet. Th. legationes &c. condiebat igne divini amoris.

Omnia etiam vilia opera in amorem commutanda.

per-

perfectioni, quæ eſt jugiter cum Deo ambulare in fide & charitate non fictâ: ſic fiet, ut Maria & Martha optimè conveniant, abſque eo quòd Martha conqueretur, quòd Maria relinquat ipſam ſolam miniſtrare; nam Maria ubique cum ipſa manum operi admovebit, nec Martham ſolam relinquet: ſimiliter Dominus non arguet Martham de nimiâ circà plurima ſollicitudine, & turbatione, cùm unum ſit neceſſarium; nam hanc multiplicem ſollicitudinem ope Mariæ temperabit, & ad ſimplicitatem redigere ſataget, ac vix reflectens ad iſta plurima, omnia in uno Deo, & unum Deum in omnibus inveniet. ô, qui hoc benè conciperet, & opere compleret, quàm perfectus foret iſte Carmelita! quàm pretioſum templum Sanctitatis, in quo Maria & Martha ſic unanimi conſenſu Domino miniſtrarent, & audirent Verbum Dei ad intus, vel per Superiores ad extra loquentis! hic eſſet verus Iſraëlita, dico, Carmelita, in quo dolus non eſſet.

Quomodò Maria & Martha invicem debeāt juvare.

Multa in charitate fiūt unum.

CAP.

CAP. X.

Omnia opera conformanda ſunt Regulæ rectæ intentionis.

NEque tamen hîc ſiſtendum eſt; non enim ſufficit, & non ſolùm neceſſarius eſt modus omnia opera connectendi tanquàm lapides Sanctuarii in ædificationem templi Dei, quod ſumus nos, eaque omnia in ſpiritu faciendi modis dictis; ſed inſuper neceſſaria eſt regula, ſeu bolis ad ea rectiſſimè facienda: uti enim cæmentarii continuè bolidem habẽt ad manum, ut poſtquam unum lapidẽ poſuerunt, videant, an rectâ lineâ operentur, nè fortè aliqui lapides extra lineam poſiti dent occaſionem ruinæ; ità etiam, qui cogitat turrim perfectionis ædificare, quæ inſtar turris Babylonicæ pertingat, & ipſum deducat uſque ad cœlos, ſic ut poſt obitum, uno, ut ſic dicam, paſſu cœlum intrare queat: qui, inquam, multas virtutes acquirere, & ad finem uſq; vitæ perſeveranter exercere deſiderat, ſemper ad manum habere debet bolidẽ, quâ omnia ſua opera rectificare poſſit: vis ſcire, quæ ſit hæc bolis? nil aliud, quàm recta intẽtio, quâ quærimus ſoli Deo placere, omnem propriam laudem

Cæmentarii ad ſingula utuntur bolide.

In ædificio ſpirituali neceſſaria eſt bolis rectæ intentionis.

Digitized by Google

laudem & complacentiam evitare, ac omne proprium intereſſe, omnemque propriam quæſitionem etiam in donis Dei planè excludere, & ſolum beneplacitum ac gloriam Dei in omnibus & per omnia intendere. Porrò hæc rectiſſima intentio omnia opera noſtra debet præcedere, cõcomitari & ſubſequi, cum hac bolide omnem vitam noſtram regulis perfectionis oportet conformare: neque verò facilè tibi perſuadeas hæc vel iſta opera minùs vocationi tuæ convenire; omnia enim optimè conveniunt, quæ ex obedientiâ fiunt in charitate, & cum rectâ ad Deum intentione.

Recta intẽtio debet ubique comitari.

CAP. XI.

Praxes rectæ intentionis in operibus habendæ; de intentione Chriſti, & Beatorum, &c.

ANhelabis fortaſſis ſcire in particulari, quænam intentio ſit optima, ac in omni vitâ formanda? multas reperire eſt valdè bonas; generaliter autem loquendo, ad propoſitum nos hortatur Apoſtolus: *Sive mãducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*: in particulari verò intentio Chriſti optima eſt, per quam omnia opera fiunt

1. Cor. 10.

câ

eâ intentione, quam Chriſtus habuit in ſuis operibus; clarum enim eſt Chriſtum ſemper habuiſſe ſimpliciſſimam, puriſſimam ac perfectiſſimam in omnibus intentionem, ergò talis intentio nobis ad manum eſſe debet, ut optima. De tali intentione loquitur S. Bernardus, dum ait: *Deiformis intentio aut dilectio nihil relinquit in animâ, quod ad Deum nõ ordinet;* id eſt, nullum relinquit locum proprię quæſitioni in tempore vel ęternitate: atque hæc eſt ſimplex intentio, quæ non ſinit animam quieſcere, niſi in ſolo Deo; excludendo omnem aliam intentionem: v. g. non præcisè permittit hominem jejunare, ut acquirat ſobrietatem, ſed directè, & immediatè, quia ſic exiſtimat Deo placere, & ſic in omnibus aliis. Ad propoſitum ſervit illa multorum devotorum directio in omni actione vel paſſione, v. g. *Vado, ſto, comedo, hoc patior in unione meritorum Chriſti in eundo, ſtando, comedendo, patiendo &c. hanc afflictionem offero æterno Patri in unione pæſſionis Chriſti*: ſic loquebatur devotus auctor Bloſius; *Commendo*, inquit, *tepidum & diſtractũ meum officium emendandum & perfectionandum puriſſimo cordi tuo, ô bone Ieſu, ac illud tibi offero ad ſalutem omnium*

Optima eſt intentio Chriſti.

Bern.

Intentio Deiformis.

Nõ ſinit quieſcere niſi in ſolo Deo.

Praxis bonæ intentionis.

Bloſ. monil. cap. 3.

omnium hominum in unione perfectiſſima illius attentionis, quâ tu Patrem oraſti & laudaſti in terris.

Inventio laudandi Deum, quātum omnes Sancti ſimul.

Alii non ſunt contenti, deſiderando, ut Deũ in omnibus ſuis operibus poſſint ità laudare, benedicere, & glorificare, eiq; per omnia ità placere, ſicut actualiter faciunt omnes chori Angelici, ac omnes SS. Dei; ſed inſuper toto cordis affectu exoptant Deum per omnes ſuas potẽtias, per omnia membra, per omnes actiones tãtùm poſſe honorare & laudare, quantùm honoratur, laudatur, & benedicitur ab humanitate Chriſti; imò quantum honoraretur, laudaretur, & benediceretur ab innumeris, iiſque perfectiſſimis creaturis rationabilibus, ſi omnes exſtarent, & alicui perſonalitati divinæ forent perſonaliter unitæ, ſicut humanitas Chriſti perſonalitati Verbi unita eſt: certũ autem eſt, omnes & ſingulas Chriſti actiones fuiſſe infiniti valoris & meriti; adeò ut per ſingulas illarum Sanctiſſima Trinitas infinitè fuerit honorata & glorificata: quid ergò fieret de tot infinitis operibus tot perfectiſſimarum, & innumerabilium creaturarum, perſonalitati divinæ unitarũ, quæ ſunt poſſibiles, ac divinæ Sapientiæ notæ, & à divina voluntate amabiles?

Quantum humanitas Chriſti.

Quantum infinitæ creaturæ Verbo unitæ.

CAP.

CAP. XII.

De Deiformi intentione, quam habet SS. Trinitas in omnibus operibus.

Intentio SS. Trinitatem laudandi & glorificandi quantum ipſa ſe glorificat.

DIvinus amor alios adhuc exceſſus operatur in aliquibus, facitque eos optare, ut SS. Trinitas in omnibus eorum operibus, dictis, & cogitationibus tantùm honoretur & laudetur, quantum honoratur & laudatur à ſe ipſâ per ſuas operationes: eo fine tales conſiderant omnia ſua opera, dicta & cogitationes ſolummodò in quantum proveniunt à tota SS. Trinitate, cujus opera (ut loquuntur Theologi) ad extra ſunt indiviſa; in quantum verò ſic à Deo per concurſum ſimultaneum principiantur, (non attendendo, quòd etiam principientur à naturâ ipſorum) ea omnia Sanctiſſimæ Trinitati offerunt eâ intentione, quam ipſa in tali concurſu ſimultaneo habet: porrò ſimilis intentio pullulans ex ferventi & puro amore Dei, eſt procul dubio ſummè meritoria, Deo placens, hominemque quodammodò in Deum transformans; ad quales proindè illud dici poſſet, *ego dixi Dii eſtis*; quippè opera eorum à divino

In intentione, quam SS. Trinit. habet in concurſu cum creaturis.

vino ſpiritu exercita Deiformi intentione, ſunt verè divina, & ut talia Deo gratiſſima.

Opera Deiformia & divina.

Vtinam talem vel ſimilem bolidem omnibus & ſingulis noſtris operibus, dictis & cogitationibus appendere aſſueſcamus! quàm rectam & ſublimem turrim perfectionis exſtrueremus! reverâ (ut diſcurſui de rectâ intentione alibi adhuc reſumendo finem imponamus) ad talem intentionē nos Carmelitæ, ac omnes vitæ myſticæ cultores aſpirare debemus; neque verò timendum, nè de præſumptione nimiâ arguamur, prout olim illi, qui turrim Babylonicam machinabantur uſque ad cœlum; eſt enim turris myſtica, de quâ loquimur; de quâ Salvator ait: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius ſedens computat, ſi habeat ſumptus ad perficiendū, nè cum inceperit, & non potuerit conſummare, incipiant ei illudere dicentes, quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Hæc igitur eſt turris altiſſimæ perfectionis, ad quam exſtruendam (ut ſupra monſtratum eſt) omnes Carmelitæ vocati ſunt: quocircà cùm jam manum operi adhibere cœperimus, conemur perſeverare in omni opere bono,

Gen. 12.

Luc. 14.

Turris Evangelicæ perfectionis.

atten-

attendendo imprimis, ut omnes lapides, id eſt, opera noſtra fixè connectantur cæmento ſeu glutine Charitatis, & rectificentur juxta regulam Deiformis intentionis, nè in vanum laboremus; ne de aliquo noſtrûm in die judicii in veritate dici poſſit; *quia hic homo cœpit ædificare* ædificium perfectionis in tali ordine, & *non potuit conſummare*: quin potius ità providè & proficuè in ædificio pergamus, ut omnia nobis coôperentur in bonum modis anteà allatis, qui indubiè optimè quadrant ad noſtrum propoſitum, nempè ad perfectum vitæ contemplativæ, ſimul & activæ exercitium; quò ſic bicipitem Carmelum feliciter conſcendere, ac duplicem Sancti Patris Eliæ ſpiritum hæreditare liceat. *Quomodò ædificanda.*

CAP. XIII.

De excellentia Regularum monaſticarum in communi.

DEteximus jam & vidimus bicipitem Carmelum, agendo de duplici ſpiritu Sanctiſſimi Patris Eliæ ab omnibus veris Carmelitis imbibendo; ac proindè meritò ſpem concipimus, quòd brevi introducemur in terram

terram Carmeli fluentē lacte & melle divinarum Benedictionum. Sed nè nimium feſtinandò, ante tempus laſſemur, & per ſaltum velimus promoveri in itinere noſtro; duci nos oportet per vias convenientes; per punctualem, inquam, obſervantiam Regulæ noſtræ nobis à S. Alberto Patriarchâ Ieroſolymitano traditæ: ad quam viam fideliter ineundam & ſemper tenendam, ut faciliùs inducamur, non erit abs re ejus, in quantum monaſtica eſt, ac deindè, in quantum Carmelitica ſeu Carmelitis accommodata eſt, excellentiam & dignitatem propalare: quatenùs de eâ, uti & de æſtimabilitate Conſtitutionum regulariū (quæ ſunt velut quædam Regulæ fuſiores) ritè informati, earum praxi libētius operā demus, & infatigabiliter inſudemus: dicemus ergò primò de dignitate Regularum in communi, deindè de æſtimabilitate Regulę noſtræ in particulari.

Obſervantia Regularis eſt via ad terram Carmeli.

Tria præſertim homines animare ſolent ad æſtimationem alicujus rei, nimirùm bonum honeſtum, bonum utile, & bonum delectabile, ſeu honeſtas, utilitas & delectabilitas ejuſdem; ſic ambitioſi venantur dignitates, & officia honorabilia propter bonum honeſtum; quo motivo mira faciunt, nec ſibi, nec labori, nec pe-

Bonum honeſtum, utile & delectabile allicit homines.

Ambitioſi trahūtur bono honeſto.

cuniis

cuniis parcunt, quò intentum aſſequantur: avari die ac nocte ſunt ſolliciti, ſemper in ſuis commerciis occupati, vix tempus ad manducandum vel quieſcendum invenientes, multis ſe periculis in terrâ ac mari exponentes, indefeſſè laborantes; quid ipſos movet? bonum utile & lucrum temporale, quod ſperant accumulare, ſciẽtes, & cordi altiſſimè impreſſum habentes, quia *pecuniæ obediunt omnia:* Rurſus, quid niſi bonum delectabile movet hujus ſæculi vaniſſimos amatores ad quærendas voluptates carnales, ad ludos, ad venationes, ad ſpaciationes, ad faciendas pulcherrimas plantationes, ad ordinandos hortos amœniſſimos, ad exſtruendas domos commodiſſimas? ſanè his motivis trahit ſua quemq; voluptas: verùm quod attinet ad propoſitum, hiſce tribus motivis Religioſi animari debent ad magnifaciendam Regulam ſuam, ac in fideli ejus obſervantiâ libenter laborandum; in illâ enim reperitur ſumma honeſtas reſultans ex ejus naturâ, ſeu eſſentiâ; utilitas verò maxima, & delectabilitas extraordinaria in exactâ ejus obſervatione.

Avari bono utili.

Delicioſi bono delectabili.

Si quæras, quæ ſit natura Regulæ monaſticæ? ejus natura eſt natura legis, nam Regula monaſtica eſt lex Religioſorum:

S. Tho-

1. 2. q. 9. a. 4. S. Thomas dat hanc definitionem legis: *Lex eſt rationis ordinatio, facta ad bonum commune ab eo, qui habet curam Communitatis.* Quem putas habere curam Communitatis Religioſæ? indubiè Deus, à quo omne perfectum, & conſequenter congregatio Religioſa originem habet; ac proindè regula ſeu lex Religioſorum eſt ordinatio rationis increatæ, ſeu æternæ ſapientiæ, ad bonum Communitatis Religioſæ, facta à Deo, qui ejus curam habet: atqui omnis ordinatio rationis increatæ eſt quædam participatio divinæ Sapientiæ; ergò in regulis, ſeu legibus Religionum elucet ſumma quædam dignitas & honeſtas, non minùs, quàm in ipſâ-met æternâ Sapientiâ; ex quo ſequitur Regulas Religionum non minoris eſſe æſtimandas, quàm ipſam-met æternam Sapientiã, à quâ illæ ſcaturiunt, ſicut aquæ ex fonte, utpotè cùm ſint quædam ejus participatio: atque hoc ipſum inſinuabat Chriſtus B. Magdalenæ de Pazzi, dicens: *Tanti volo facias regulas & Cõſtitutiones tuæ Religionis, quanti volo ut me ipſum facias.* Ex quo patet Regulas Religioſorum ejuſdem eſſe æſtimabilitatis cùm Sapientiâ increatâ, quatenus nimirum à Deo emanarunt, & Sanctis Religio-

Regula monaſtica à Deo eſt.

Æſtimanda ut ordinatio divinæ ſapientiæ.

Chriſtus B. M. de Pazzi.

ligionum fundatoribus ab ipſo inſpiratæ ſunt.

CAP. XIV.

Dignitas Regulæ monaſticæ, quia eſt effectus divini intellectûs & voluntatis.

NE videar hoc ſine ſufficienti fundamento deducere ex naturâ legis à S. Thomâ definitæ, conabor idem ulteriùs confirmare & declarare. Profectò leges, & à fortiori Regulas monaſticas provenire à Deo, nos docet ethnicus orator Demoſtenes; dum enim Athenienſes ad legum cuſtodiam hortaretur, inter alia, *Decet*, inquit, *nos legibus obedire propter multas rationes, præcipuè quia omnis lex eſt inventum & donum Deorum, inſtitutio ſapientum*: ſi quidem ſi aſſerat omnem legem eſſe inventionem Dei; quàm potiori jure id non eſt cenſendum de legibus Religionum? Ad propoſitum ſervire poteſt illud Iſaiæ: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*: quaſi vellet dicere; *De Ieruſalem*, id eſt, de cæleſti civitate, ubi eſt beatifica viſio pacis æternæ, *exibit lex* condita in conſiſtorio SS. Trinitatis, ſeu ordinatio Sapientiæ divinæ ad commune bonum militantis

Leges veniunt à Deo.

Demoſten.

Iſa. 2.

Ignis Charitatis omnia opera etiam indifferentia in ſe convertet ſi omnia imperet.

videbantur frigefacere; quod fiet, ſi omnia opera noſtra ſint actus ſaltem imperati à virtute Charitatis: ſicque cum ferventi amore, ac amoroſo fervore & diligentiâ opera noſtra faciendo, ea in ignem amoris Dei commutabimus, adeò ut omnia eâdem hujus divini ignis formâ informata, ejuſdem fermè meriti & dignitatis ſint futura, abſque eo, quòd differentia poterit notari. Tali modo, ex directione ſcilicèt, & imperio Divini Amoris, faciebat omnia ſua Beata Magdalena de Pazzi, quæ adeò ſemper occupabatur in externis operibus obedientiæ, humilitatis & fraternæ charitatis, ut plus operaretur ſola, quàm quatuor aliæ Sorores ſimul; abſque eo tamen, quòd per illa impediretur ab immediatâ converſatione cum Deo: nunc ſerviebat infirmis cum magnâ earum ſatisfactione; nunc juvabat in culinâ; nunc lavabat linteamina, & ſic de aliis, ſine alienatione aut tepefactione ſpiritûs: nec mirum; nam *Hæc omnia operabatur unus atque idem Spiritus*, utique divini amoris, aut potius Spiritus Chriſti, qui eam dirigebat. Hinc etiam fiebat, ut Sancta Thereſia non obſtantibus tot occupationibus in fundan-

B. M. de Paz. etiam externa opera informabat igne charitatis.

1. Cor. 9.

S. Thereſia omnia ſua in charitate faciebat.

dis

dis novis monaſteriis, ac in inſtituendâ novâ in Ordine noſtro reformatione, omnes tamen ſuas ſollicitudines, omnes itinerationes, & cum hominibus commercia divino amore tàm benè condiret, ut jugem cum Deo unionem poſſet conſervare per amoroſam cum eo converſationem; adeò ut ideò appellari meruerit Virgo Seraphica. Sic credimus ſe geſſiſſe Sanctum noſtrum Petrum Thomam, qui in tot à Sanctâ Sede ſibi commiſſis legationibus, etiam in bello ſacro Reges & Principes conſilio adjuvando, ſalutaria militibus monita dando, omnes ad generoſitatem in juſtiſſimo bello exſtimulando, læſos animando &c. novit ſe in Deo recollectum ſervare, ac omnia iſta in fervore Charitatis faciendo Sanctitatem adeò ſublimem eſt aſſecutus: idem nobis faciendum eſt, ut nimirum etiam vilia & externa exercitia ſatagamus per fervorem amoris in ipſum velut amorem commutare; ſic ut amor Dei ſimul ſit principium, & quaſi forma omnium noſtrorum operum: atque hoc modo, quidquid fecerimus intus vel extra, quàm optimè erit proportionatum finali noſtræ, quam intendere debemus,

S. Pet. Th legationes &c. condiebat igne divini amoris.

Omnia etiam vilia opera in amorem commutanda.

per-

perfectioni, quæ eſt jugiter cum Deo ambulare in fide & charitate non fictâ: ſic fiet, ut Maria & Martha optimè conveniant, abſque eo quòd Martha conqueretur, quòd Maria relinquat ipſam ſolam miniſtrare; nam Maria ubique cum ipſa manum operi admovebit, nec Martham ſolam relinquet: ſimiliter Dominus non arguet Martham de nimiâ circà plurima ſollicitudine, & turbatione, cùm unum ſit neceſſarium; nam hanc multiplicem ſollicitudinem ope Mariæ temperabit, & ad ſimplicitatem redigere ſataget, ac vix reflectens ad iſta plurima, omnia in uno Deo, & unum Deum in omnibus inveniet. ô, qui hoc benè conciperet, & opere compleret, quàm perfectus foret iſte Carmelita! quàm pretioſum templum Sanctitatis, in quo Maria & Martha ſic unanimi conſenſu Domino miniſtrarent, & audirent Verbum Dei ad intus, vel per Superiores ad extra loquentis! hic eſſet verus Iſraëlita, dico, Carmelita, in quo dolus non eſſet.

Quomodò Maria & Martha invicem debeãt juvare.

Multa in charitate fiũt unum.

CAP.

CAP. X.

Omnia opera conformanda ſunt Regulæ rectæ intentionis.

NEque tamen hîc ſiſtendum eſt; non enim ſufficit, & non ſolùm neceſſarius eſt modus omnia opera connectendi tanquàm lapides Sanctuarii in ædificationem templi Dei, quod ſumus nos, eaque omnia in ſpiritu faciendi modis dictis; ſed inſuper neceſſaria eſt regula, ſeu bolis ad ea rectiſſimè facienda: uti enim cæmentarii continuè bolidem habẽt ad manum, ut poſtquam unum lapidẽ poſuerunt, videant, an rectâ lineâ operentur, nè fortè aliqui lapides extra lineam poſiti dent occaſionem ruinæ; ità etiam, qui cogitat turrim perfectionis ædificare, quæ inſtar turris Babylonicæ pertingat, & ipſum deducat uſque ad cœlos, ſic ut poſt obitum, uno, ut ſic dicam, paſſu cœlum intrare queat: qui, inquam, multas virtutes acquirere, & ad finem uſq; vitæ perſeveranter exercere deſiderat, ſemper ad manum habere debet bolidẽ, quâ omnia ſua opera rectificare poſſit: vis ſcire, quæ ſit hæc bolis? nil aliud, quàm recta intẽtio, quâ quærimus ſoli Deo placere, omnem propriam laudem

Cæmentarii ad ſingula utuntur bolide.

In ædificio ſpirituali neceſſaria eſt bolis rectæ intentionis.

Digitized by Google

laudem & complacentiam evitare, ac omne proprium intereſſe, omnemque propriam quæſitionem etiam in donis Dei planè excludere, & ſolum beneplacitum ac gloriam Dei in omnibus & per omnia intendere. Porrò hæc rectiſſima intentio omnia opera noſtra debet præcedere, cõcomitari & ſubſequi, cum hac bolide omnem vitam noſtram regulis perfectionis oportet conformare: neque verò facilè tibi perſuadeas hæc vel iſta opera minùs vocationi tuæ convenire; omnia enim optimè conveniunt, quæ ex obedientiâ fiunt in charitate, & cum rectâ ad Deum intentione.

Recta intẽtio debet ubiq; comitari.

CAP. XI.

Praxes rectæ intentionis in operibus habendæ; de intentione Christi, & Beatorum, &c.

ANhelabis fortaſſis ſcire in particulari, quænam intentio ſit optima, ac in omni vitâ formanda? multas reperire eſt valdè bonas; generaliter autem loquendo, ad propoſitum nos hortatur Apoſtolus: *Sive mãducatis, ſive bibitis, ſive aliquid aliud facitis, omnia ad gloriam Dei facite*: in particulari verò intentio Chriſti optima eſt, per quam omnia opera fiunt

1. Cor. 10.

cã

eâ intentione, quam Chriſtus habuit in ſuis operibus; clarum enim eſt Chriſtum ſemper habuiſſe ſimpliciſſimam, puriſſimam ac perfectiſſimam in omnibus intentionem, ergò talis intentio nobis ad manum eſſe debet, ut optima. De tali intentione loquitur S. Bernardus, dum ait: *Deiformis intentio aut dilectio nihil relinquit in animâ, quod ad Deum nõ ordinet*; id eſt, nullum relinquit locum propriæ quæſitioni in tempore vel æternitate: atque hæc eſt ſimplex intentio, quæ non ſinit animam quieſcere, niſi in ſolo Deo; excludendo omnem aliam intentionem: v.g. non præcisè permittit hominem jejunare, ut acquirat ſobrietatem, ſed directè, & immediatè, quia ſic exiſtimat Deo placere, & ſic in omnibus aliis. Ad propoſitum ſervit illa multorum devotorum directio in omni actione vel paſſione, v. g. *Vado, ſto, comedo, hoc patior in unione meritorum Chriſti in eundo, ſtando, comedendo, patiendo* &c. *hanc afflictionem offero æterno Patri in unione paſſionis Chriſti*: ſic loquebatur devotus auctor Bloſius; *Commendo*, inquit, *tepidum & diſtractũ meum officium emendandum & perfectionandum puriſſimo cordi tuo, ô bone Ieſu, ac illud tibi offero ad ſalutem omnium*

Optima eſt intentio Chriſti.

Bern.

Intentio Deiformis.

Nõ ſinit quieſcere niſi in ſolo Deo.

Praxis bonæ intentionis.

Bloſ. monil. cap. 3.

omnium hominum in unione perfectiſſima illius attentionis, quâ tu Patrem oraſti & laudaſti in terris.

Inventio laudandi Deum, quãtum omnes Sancti ſimul.

Alii non ſunt contenti, deſiderando, ut Deũ in omnibus ſuis operibus poſſint ità laudare, benedicere, & glorificare, eiq; per omnia ità placere, ſicut actualiter faciunt omnes chori Angelici, ac omnes SS. Dei; ſed inſuper toto cordis affectu exoptant Deum per omnes ſuas potẽtias, per omnia membra, per omnes actiones tãtùm poſſe honorare & laudare, quantùm honoratur, laudatur, & benedicitur ab humanitate Chriſti; imò quantum honoraretur, laudaretur, & benediceretur ab innumeris, iiſque perfectiſſimis creaturis rationabilibus, ſi omnes exſtarent, & alicui perſonalitati divinæ forent perſonaliter unitæ, ſicut humanitas Chriſti perſonalitati Verbi unita eſt: certũ autem eſt, omnes & ſingulas Chriſti actiones fuiſſe infiniti valoris & meriti; adeò ut per ſingulas illarum Sanctiſſima Trinitas infinitè fuerit honorata & glorificata: quid ergò fieret de tot infinitis operibus tot perfectiſſimarum, & innumerabilium creaturarum, perſonalitati divinæ unitarũ, quæ ſunt poſſibiles, ac divinæ Sapientiæ notæ, & à divina voluntate amabiles?

Quantum humanitas Chriſti.

Quantum infinitæ creaturæ Verbo unitæ.

CAP.

CAP. XII.

De Deiformi intentione, quam habet SS. Trinitas in omnibus operibus.

Divinus amor alios adhuc exceſſus operatur in aliquibus, facitque eos optare, ut SS. Trinitas in omnibus eorum operibus, dictis, & cogitationibus tantùm honoretur & laudetur, quantum honoratur & laudatur à ſe ipsâ per ſuas operationes: eo fine tales conſiderant omnia ſua opera, dicta & cogitationes ſolummodò in quantum proveniunt à tota SS. Trinitate, cujus opera (ut loquuntur Theologi) ad extra ſunt indiviſa; in quantum verò ſic à Deo per concurſum ſimultaneum principiantur, (non attendendo, quòd etiam principientur à naturâ ipſorum) ea omnia Sanctiſſimæ Trinitati offerunt eâ intentione, quam ipſa in tali concurſu ſimultaneo habet: porrò ſimilis intentio pullulans ex ferventi & puro amore Dei, eſt procul dubio ſummè meritoria, Deo placens, hominemque quodammodò in Deum transformans; ad quales proindè illud dici poſſet, *ego dixi Dii eſtis*; quippè opera eorum à divino

Intentio SS. Trinitatem laudandi & glorificandi quantum ipſa ſe glorificat.

In intentione, quam SS. Trinit. habet in concurſu cum creaturis.

Digitized by Google

vino ſpiritu exercita Deiformi intentione,ſunt verè divina, & ut talia Deo gratiſſima.

Opera Deiformia & divina.

Vtinam talem vel ſimilem bolidem omnibus & ſingulis noſtris operibus,dictis & cogitationibus appendere aſſueſcamus! quàm rectam & ſublimem turrim perfectionis exſtrueremus! reverâ (ut diſcurſui de rectâ intentione alibi adhuc reſumendo finem imponamus) ad talem intentionē nos Carmelitæ, ac omnes vitæ myſticæ cultores aſpirare debemus; neque verò timendum, nè de præſumptione nimiâ arguamur, prout olim illi, qui turrim Babylonicam machinabantur uſque ad cœlum; eſt enim turris myſtica,de quâ loquimur; de quâ Salvator ait: *Quis ex vobis volens turrim ædificare,non prius ſedens computat, ſi habeat ſumptus ad perficiendū,nè cum inceperit, & non potuerit conſummare,incipiant ei illudere dicentes,quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare?* Hæc igitur eſt turris altiſſimæ perfectionis, ad quam exſtruendam (ut ſupra monſtratum eſt) omnes Carmelitæ vocati ſunt: quocircà cùm jam manum operi adhibere cœperimus, conemur perſeverare in omni opere bono,

Gen. 12.

Luc. 14.

Turris Evangelicæ perfectionis.

atten-

attendendo imprimis, ut omnes lapides, id eſt, opera noſtra fixè connectantur cæmento ſeu glutine Charitatis, & rectificentur juxta regulam Deiformis intentionis, nè in vanum laboremus; ne de aliquo noſtrûm in die judicii in veritate dici poſſit; *quia hic homo cœpit ædificare* ædificium perfectionis in tali ordine, *& non potuit conſummare*: quin potius ità providè & proficuè in ædificio pergamus, ut omnia nobis coôperentur in bonum modis anteà allatis, qui indubiè optimè quadrant ad noſtrum propoſitum, nempè ad perfectum vitæ contemplativæ, ſimul & activæ exercitium; quò ſic bicipitem Carmelum feliciter conſcendere, ac duplicem Sancti Patris Eliæ ſpiritum hæreditare liceat. *Quomodò ædificanda.*

CAP. XIII.

De excellentia Regularum monaſticarum in communi.

DEteximus jam & vidimus bicipitem Carmelum, agendo de duplici ſpiritu Sanctiſſimi Patris Eliæ ab omnibus veris Carmelitis imbibendo; ac proindè meritò ſpem concipimus, quòd brevi introducemur in

terram

terram Carmeli fluentē lacte & melle divinarum Benedictionum. Sed nè nimium feſtinando, ante tempus laſſemur, & per ſaltum velimus promoveri in itinere noſtro; duci nos oportet per vias convenientes; per punctualem, inquam, obſervantiam Regulæ noſtræ nobis à S. Alberto Patriarchâ Ieroſolymitano traditæ: ad quam viam fideliter ineundam & ſemper tenendam, ut faciliùs inducamur, non erit abs re ejus, in quantum monaſtica eſt, ac deindè, in quantum Carmelitica ſeu Carmelitis accommodata eſt, excellentiam & dignitatem propalare: quatenùs de eâ, uti & de æſtimabilitate Conſtitutionum regulariū (quæ ſunt velut quædam Regulæ fuſiores) ritè informati, earum praxi libētius operā demus, & infatigabiliter inſudemus: dicemus ergò primò de dignitate Regularum in communi, deindè de æſtimabilitate Regulę noſtræ in particulari.

Obſervantia Regularis eſt via ad terram Carmeli.

Tria præſertim homines animare ſolent ad æſtimationem alicujus rei, nimirùm bonum honeſtum, bonum utile, & bonum delectabile, ſeu honeſtas, utilitas & delectabilitas ejuſdem; ſic ambitioſi venantur dignitates, & officia honorabilia propter bonum honeſtum; quo motivo mira faciunt, nec ſibi, nec labori, nec pecuniis

Bonum honeſtum, utile & delectabile allicit homines.

Ambitioſi trahūtur bono honeſto.

cuniis parcunt, quò intentum aſſequantur: avari die ac nocte ſunt ſolliciti, ſemper in ſuis commerciis occupati, vix tempus ad manducandum vel quieſcendum invenientes, multis ſe periculis in terrâ ac mari exponentes, indefeſſè laborantes; quid ipſos movet? bonum utile & lucrum temporale, quod ſperant accumulare, ſciẽtes, & cordi altiſſimè impreſſum habentes, quia *pecuniæ obediunt omnia:* Rurſus, quid niſi bonum delectabile movet hujus ſæculi vaniſſimos amatores ad quęrendas voluptates carnales, ad ludos, ad venationes, ad ſpaciationes, ad faciendas pulcherrimas plantationes, ad ordinandos hortos amœniſſimos, ad exſtruendas domos commodiſſimas? ſanè his motivis trahit ſua quemq; voluptas: verùm quod attinet ad propoſitum, hiſce tribus motivis Religioſi animari debent ad magnifaciendam Regulam ſuam, ac in fideli ejus obſervantiâ libenter laborandum; in illâ enim reperitur ſumma honeſtas reſultans ex ejus naturâ, ſeu eſſentiâ; utilitas verò maxima, & delectabilitas extraordinaria in exactâ ejus obſervatione.

Avari bono utili.

Delicioſi bono delectabili.

Si quæras, quæ ſit natura Regulæ monaſticæ? ejus natura eſt natura legis, nam Regula monaſtica eſt lex Religioſorum:

S. Tho-

ligionum fundatoribus ab ipſo inſpiratæ ſunt.

CAP. XIV.

Dignitas Regulæ monaſticæ, quia eſt effectus divini intellectûs & voluntatis.

NE videar hoc ſine ſufficienti fundamento deducere ex naturâ legis à S. Thomâ definitæ, conabor idem ulteriùs confirmare & declarare. Profectò leges, & à fortiori Regulas monaſticas provenire à Deo, nos docet ethnicus orator Demoſtenes; dum enim Athenienſes ad legum cuſtodiam hortaretur, inter alia, *Decet*, inquit, *nos legibus obedire propter multas rationes, præcipuè quia omnis lex eſt inventum & donum Deorum, inſtitutio ſapientum*: ſi quidem ſi aſſerat omnem legem eſſe inventionem Dei; quàm potiori jure id non eſt cenſendum de legibus Religionum? Ad propoſitum ſervire poteſt illud Iſaiæ: *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*: quaſi vellet dicere; *De Ieruſalem*, id eſt, de cæleſti civitate, ubi eſt beatifica viſio pacis æternæ, *exibit lex* condita in conſiſtorio SS. Trinitatis, ſeu ordinatio Sapientiæ divinæ ad commune bonum militantis

Leges veniũt à Deo.

Demoſten.

Iſa. 2.

litantis Eccleſiæ, ac ſpecialiter ad profectũ ſpiritualem Religioſorum Ordinum, qui ſunt optima & potiſſima hujus militantis Eccleſiæ pars. Ad rem pertinet revelatio Sancto Franciſco olim facta, in quâ Dominus Deus agens cum ipſo de Regulâ, quam Sanctus Franciſcus Deo dictante ſcripſerat pro ſuis Religioſis, ſic ait: *Franciſce nihil de tuo eſt in hac Regula, ſed tota mea eſt: eam totam ſervari volo; ſcio, quid vires hominum poſſint, & quas gratias ego daturus ſim.* Equidem, ſi Regula Sancti Franciſci ſit tota à Deo, idem piè credendum eſt de aliis aliorum Ordinum Regulis; cùm eadem ratio pro omnibus militet, & Sancti Inſtitutores Religionum ſingulari Spiritûs Sancti inſtinctu fuerint ſemper directi præſertim in rebus concernentibus fundationem ſuorum ordinum: ex quo ſatis innoteſcit quanta ſit excellentia Regulæ monaſticæ, quam proindè omnes ſuſpicere & æſtimare debent tanquàm rem divinam è cœlo ex ſpeciali Dei diſpoſitione hominibus communicatam. Hoc optimè ſciebat Beata Magdalena de Pazzi, dum ideò Regulam ſuam venerabatur tanquàm voluntatem Dei, à Spiritu Sancto inſpiratam; & jure merito: cùm enim ipſa ſit ordinatio Dei,

Regula S. Franciſci tota à Deo.

Etiam regulæ aliorum ordinum.

In vit. tract. 3. cap. 8.

B. M de Pazzi æſtimat regulam ut voluntat. Dei.

Dei, ut ante dictum eſt, in ſe complectitur non ſolùm actum intellectûs ſeu Sapientiæ divinæ, ſed etiam actum divinæ voluntatis; cùm omnis lex ſit partim actus intellectûs; partim voluntatis. Porrò quanti æſtimanda & honoranda ſit divina voluntas, clariſſimè innoteſcit animæ purè Deum quærenti, & magis, amanti: utpotè cùm voluntas Dei ſit Regula perfectionis, fons omnis dilectionis, origo miſericordiæ, uno verbo, res adeò digna & excellens, ut propter eam adimplendam Filius Dei deſcenderit de cœlo factus homo, juxta quod ipſe proteſtatur: *Deſcendi de cœlo, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me.*

Lex partim actus intellectûs partim voluntatis.

CAP. XV.

Obſervatio Regularum eſt valdè utilis ad acquirenda ſpolia multa.

QUid dicemus de ſummâ utilitate, & maximo lucro proveniente ex obſervantiâ Regularum? antequàm de hac utilitate, de hoc lucro agamus, ſupponimus Regulam monaſticam nihil aliud eſſe, quàm manifeſtationem divini beneplaciti, quamobrem variis etiam nomi-

Regula monaſtica eſt manifeſtatio divini beneplaciti.

Digitized by Google

nibus intitulatur, nimirùm, *Lex Domini*, *mandatum Domini*, *eloquia Domini* &c. per quæ ſcilicèt Deus *notas facit vias ſuas Moyſi, filiis Iſraël voluntates ſuas*, id eſt, Superioribus, qui inſtar Moyſis populum Dei ad terram promiſſionis æternæ deducunt, & inferioribus, qui in Eccleſiâ militante ſeſe diſponunt ad vincendum mundum, carnem, & diabolum. Hoc ità ſuppoſito facilè pateſcet maxima utilitas pullulans ex obſervātiâ Regularum, ac etiam Conſtitutionum monaſticarum. Imprimis enim Regius Propheta ità canit: *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut, qui invenit ſpolia multa*: quod optimè venit ad propoſitum; uti enim milites partâ aliquâ victoriâ poſt acrem pugnam, dum jam cum lætitiâ occupantur in dividendis inter ſe ſpoliis, conſueverunt victoriam aliquouſque armis tribuere, & per modum recreativi colloquii inter ſe dicere, v. g. hoc ſclopetum nunquam me fefellit; iſte gladius, hic enſis tali tempore ſervivit ad talem gloriam, ac partem adverſam ſic & ſic digladiando ſuperavi; talis lorica, talis galea tot ictus ſine penetratione ſuſtinuit; tali ſcuto in tali & tali occaſione averti impetum inimici &c. tali modo videtur mihi etiam hîc loqui Propheta;

Pſal. 102.

Pſal. 118.

Milites attribuunt victoriam armis.

Lætantur de ſpoliis.

Propheta; *Lætabor*, inquit, *ego, ſicut qui invenit ſpolia multa*: quaſi vellet dicere; poſtquàm ſuperavi inimicos meos, delector acquiſitis ſpoliis; at quibus armis putatis ipſum ſpolia conſecutum? *Lætabor*, inquit, *ſuper eloquia tua*, id eſt, de eloquiis, ſeu de legibus, ſive de mandatis tuis; inſinuans obſervantiam mandatorum Dei ſibi ſerviviſſe pro armis fortiſſimis, & executionem divini beneplaciti pro medio conſequendi ſpolia ſpiritualia. Tali modo videntur mihi poſſe loqui plures boni Religioſi, v. g. cum loricâ juſtitiæ, ſeu geminæ charitatis, cum galeâ ſalutis, ſeu firmâ in Deum fiduciâ ſtrenuè ſuſtinui aſſultus inimici; cum ſcuto fidei omnia tela nequiſſimi ignea exſtinxi ſuperando tentationes plurimas; oratione munitus tales inſidias dæmonis, tales mundi illecebras, talia carnis lenocinia evaſi; tali modo excubias agendo, & omnibus potentiis & ſenſibus meis invigilando, tales peccandi occaſiones, talia pericula effugi: vis ſcire, quarè boni Religioſi ſic in Domino gloriandi & gaudendi anſam habeant? quia per hæc arma ſpiritualia ſibi à Matre Religione ſubminiſtrata, ac per fidelem Dei mandatorum, ac Re-

Obſervantia regularis ſervit pro armis ſpiritualibus.

Victoria per arma ſubminiſtrata in regula.

gularum & Conſtitutionum ſuarum obſervantiam invenerunt ſpolia multa: quæ ſpolia ? hæreditatem æternæ gloriæ, plurima dona gratiarum, quæ Angelis Apoſtatis ante eorum lapſum velut propria erant, nunc autem ipſis erepta, cedunt bonis Religioſis in ſpolia, reportantibus ſalutem ex inimicis ſuis, ac æternam beatitudinem, quæ Angelis malis aſſecurata fuiſſet, ſi divinæ gratiæ fuiſſent fideliter coöperati.

Dona Dei & beatitudo ſũt ſpolia ſpiritualia.

CAP. XVI.

Obſervantia Regularum cauſat magnas divitias, etiam centuplum in hac vitâ.

VIs adhuc ulteriùs cognoſcere ſpirituales divitias mediante obſervantiâ mandatorum, & Regularum acquirendas? Audi, quàm appoſitè loquatur idem Regius Propheta: *Judicia*, id eſt, præcepta *Domini deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum*: ut autem ſciremus, quia divitiæ illæ omni auro & lapide pretioſo pretioſiores, acquirendæ ſunt mediante obſervantiâ mandatorum Dei, ſubdit: *In*

Pſal. 18.

Divitiæ ſpirituales ex obſervantiâ regulari.

In cuſtodiendis illis retributio multa; quia nimirùm per cuſtodiam legum & Conſtitutionum, per ſingulos actus regulares novam gratiam omni auro & gemmis pretioſiorem, ac vitam æternam poſſumus promereri. Sanè Propheta non poſſet nobis meliùs explicare utilitatem obſervantiæ mandatorum & conſequenter inſtitutionum regularium, quàm eam præferendo lapidi prætioſo, & auro; equidem in ſpiritu prævidebat, quod poſteà dixit Chriſtus in Evangelio: *Simile eſt regnum cœlorum homini quærenti bonas margaritas*; prævidebat, inquam, futuros omni tempore fideles Dei ſervos, qui imitantes ſpiritualiter, quod filii hujus ſæculi ſolent carnaliter, Deo ſervirent propter retributionem, ut per bona opera emerent aurum ignitum divinæ gratiæ, & beatificæ charitatis, ac lapides pretioſos divinorum chariſmatum: quarè Propheta ſimiles volens in propoſito confirmare, ac animare, monet aurum & lapides pretioſos, imò res omni auro & lapide pretioſiores inveniri in mandatis, id eſt, in obſervantiâ mandatorum Dei, ſcilicèt, tanquàm in cauſâ meritoriâ; eo quòd illorum

Matt. 13.

Multi ſerviũt Deo propter retribut.

Per obſervant. regularum magna retributio.

rum obſervantia mereatur augmentum gratiæ ſanctificantis, novas gratias actuales, & novos gradus gloriæ, ac viſionis beatæ, de quâ loquens Apoſtolus, *Nec oculus*, inquit, *vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe.*

1. Cor. 2.

Pſal. 18.

Addit Propheta: *etenim ſervus tuus cuſtodit ea*, quia *in cuſtodiendis illis retributio multa*; ſcilicèt, expertus loquitur, poſtquàm prægustaſſet illud centuplum, quod Chriſtus poſtmodùm promiſit iis, qui ſeipſos abnegantes & renunciantes omnibus, quæ poſſidebant, ex profeſſo, divino ſeſe beneplacito in omnibus conformarent, ac in lege Domini voluntatem haberent: neque verò mirandum eſt, quod in cuſtodiendis Dei præceptis inveniatur retributio multa etiam in hac vitâ; etenim Deus agit cum ſervis ſibi fidelibus, ſicut ſolent Patresfamilias cum ſuis operariis, cum quibus quidem conveniunt pro denario diurno; dum tamen vident eos diligenter operari, vel aliquod extraordinarium obſequium præſtare, inſuper illis dant aliquod honorarium, tribuunt unum bonum hauſtum

Ex obſervantiâ regulari retributio etiam in hac vita.

ſtum ad reficiendum &c. ità etiam Dominus Deus conduxit fideles, *Et conventione factâ pro denario diurno* vitæ æternæ *mittit eos in vineam ſuam:* ſed paternæ ipſius benignitati non ſufficit ſuos alere ſpe futuræ remunerationis; ſed inſuper cernens aliquos eorum multum laborem impendere in exercitio virtutum, alios ardore pravæ concupiſcentiæ æſtuare, alios frigore odii & invidiæ conſtringi, alios turbine variarum tentationum quaſſari, alios ariditate ſpiritûs affligi &c. atque hos omnes in ſuis reſpectivè malis ſuperandis plurimùm laborare & fatigari; eos paternè ſublevat, ſub umbrâ alarum ſuarum clementer protegit, de manibus invidorum eripit, & divinæ gratiæ adminiculo ſuſtentat; de quorum uno intelligitur illud Pſalmi: *Cum ceciderit, non collidetur, quoniam Dominus ſupponet manum ſuam:* denique ſæpe eos prævenit in Benedictionibus dulcedinis, propinans eis hauſtum internæ conſolationis, ut labores in viâ perfectionis obvios non ſentiant, & ad ardua quæque animati Domino dilatante corda eorum, facillimè currant viam mandatorum, imò & ſemitam conſiliorum Dei; hac intentione

Deus præter denar. diurnum, dat etiã refectionẽ in hac vita.

Deus reficit laborantes.

Pſal. 36.

Matt. 11. tione Chriſtus invitans fideles ait; *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos*: quod potiſſimùm facit cum Religioſis dignè viventibus vocatione, quâ vocati ſunt, in ſtudioſâ regularum & Conſtitutionum ſuarum obſervantiâ; ut cognoſcamus, quia utiliſſimum eſt ſervire Deo, qui etiam in hac vitâ modicum noſtrum laborem tàm liberaliter remunerat, reddens nobis centuplum, & deindè vitam æternam.

CAP. XVII.

Deteguntur ulteriùs maxima bona & lucra Regularis obſervantiæ.

Regularis in omnibus proſperatur.

SI vis diteſcere meritis & gratiis, ſit in lege Domini voluntas tua die ac nocte, & omnia quæcumque facies, ſemper proſperabuntur; conformare ſatagas vitam tuam Regulis & Conſtitutionibus tui Ordinis, quia in cuſtodiendis illis retributio multa, lucrum magnum, & utilitas deſiderabilis. Id nobis declaratur ex quadam viſione factâ cuidam ex Ordine Sancti Franciſci, qui ex horrore, quem conceperat ab auſteritate & rigore vitæ Religioſæ, reſolverat redire ad

Viſio declarans merita regularitatis.

ſæculum;

ſæculum; ſed eccè nocte quadam orationi intentus vidit proceſſionem multorum, qui manibus, pedibus & veſtibus reſplendebant inſtar ſolis, qui omnes fuerant Religioſi, & ibant obviam animæ cujuſdam Religioſi recenter defuncti, eam recepturi in æterna tabernacula; intelligebat autem pro Religioſo & abjecto habitu eis datam veſtem albicantem & reſplendentem, pro mortificatione verò corporis, dotem claritatis; atque hac viſione recreatus manſit conſtans in ſuâ vocatione. Ad idem collimat id, quod in quadam apparitione dicebatur Sancto Franciſco, dum per auſteritatem vitæ planè emaceratus inciderat in notabilem corporis debilitatem, multis infirmitatibus obnoxius: ſic enim cœleſtis vox eum conſolabatur; Scias Franciſce quòd per has, quas pateris, infirmitates & afflictiones tantum in cœlo cumulabis theſaurum, ut etiamſi omnis terra verteretur in aurum, omnes lapides in Adamantes, omnes aquæ in balſamum, omnia tamen iſta veſtro theſauro non mererentur comparari. Ex quibus colligere eſt, quantum lucrum proveniat ex regulari obſervantiâ, quæ conſequenter nobis debet

Sancto Franciſco oſtenditur meritum vitæ Religioſæ.

Digitized by Google

bet eſſe deſiderabilis ſuper aurum & topazium; ac proindè licet aliquæ ſubindè obvient in ejus aſſiduitate difficultates, & moleſtiæ, non pigeat eas ſubire, ſcientes quia copioſa nos manet remuneratio: ſanè quævis Ordinis auſteritas, & quidquid ſenſualitati contrarium in Regulis & Superiorum ordinationibus contineri poſſet, nil eſt condignum ad futuram gloriam, quam Deus reſervat Religioſis vitæ regularis amatoribus; præſertim cùm certum ſit nos per ſingulos actus regularitatis augmentum gratiæ poſſe mereri, quò poſſimus inenarrabiles meritorum theſauros nobis theſauriſare in cœlis: nec refert naturam aliquandò nonnihil conqueri, & in aſſiduitate regularis vitæ die ac nocte fatigari; nam ſpes nos confirmat, & promittit, *Quod qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent, portantes manipulos ſuos.*

Omnis auſteritas copioſe remuneratur.

Gratia per ſingulos actus regular.

Pſal. 125.

Digitized by Google

CAP. XVIII.

Obſervantia Regularis eſt ſuavis & delectabilis propter internam unctionem.

QUi exactam ſervant die ac nocte regularitatem, videntur quidem ferre pondus diei, & æſtum in vineâ Religionis, atque ſub jugo vitæ Religioſæ fatiſcere; attamen ſi ſint fideles & parùm aſſidui, experientur jugum illud eſſe ſuave, ac onus illud leve: quare jugum ſuave & onus leve? quia jugum Religionis eſt jugum Chriſti; at *jugum Chriſti eſt ſuave, & onus ejus leve*, ergò etiam jugum Religionis; porrò de ſuavitate jugi Chriſti alibi diſſeritur, quarè ſuperfluum eſt illam hîc probare; niſi fortè libeat audire virum ſecundùm cor Dei, qui tam exactus fuerit in obſervantiâ mandatorum, ut teſtimonio ipſius-met Dei fecerit *omnes voluntates ejus*: is ergò loquatur ab experientiâ; audi clamantem, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo!* quaſi diceret: mandata Dei, quæ benè eloquia ejus, ſeu enunciationes divinæ voluntatis vocan-

Jugum Religionis eſt ſuave fidelibus Religioſis.

tur.

tur, cauſant ineffabilem ſpiritûs dulcedinem omnibus eorum obſervantiam practicè guſtantibus: at quare ait, *quàm dulcia faucibus meis?* in faucibus præſertim ſapor eſt, ibi ſitis excitatur; ut ergò Propheta ſitim ſuam ſpiritualem juſtitiæ per obſervantiam mandatorum Dei ſignificaret ex parte eſſe expletam, clamat quaſi extra ſe: *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua*, id eſt, obſervatio eloquiorum tuorum!

Pſ. 118.

Obſervantia mandatorum eſt ſuavis.

Mandata Dei ſuavia.

Verùm quid dico? nonnè ergò *arcta eſt via, & anguſta eſt porta, quæ ducit ad vitam?* Et verò ob quam cauſam arcta eſt via? nonnè ratione mandatorum Dei, quorum obſervantia eſt moleſta? Reſpondeo; pro incipientibus ita videtur, ſed perſeverantibus & aſſuetis non itâ; nam præſertim reſpectu horum, *mandata ejus gravia non ſunt*; ac jugum Chriſti ſuave eſt Deum fervidè quærentibus. Fortaſſis contingit iis, qui ſuſtinent mandata Dei & regulas, velut jugum Chriſti, & obſervantiæ regulari velut oneri à Deo impoſito humiliter ſe ſubjiciunt, ſicut in aliquibus regionibus contingit ferentibus aromata aut cinnamomum; uti enim illi etſi onuſti, onus tamen non aut vix ſentire feruntur gra-

Matt. 7.

1. Ioan. 5.

Regularitas aſſuetis eſt ſuavis.

tiſſimo

Digitized by Google

gratiſſimo cinnamomi odore recreati, & confortati, ſic ut jucundè cum onere viam carpant. Simili modo ſinceri ac ferventes Dei cultores ſuſtinent quidem pondus diei & æſtum, bajulant Crucem mortificationis quotidiè, & inclinati incedunt ſub jugo diſciplinæ regularis; non tamen ſuccumbunt, nec deficiunt; quin potiùs odore internæ unctionis ſpiritûs recreati, & ſpiritualis conſolationis dulcedine confortati alleviantur, adeò ut cum Prophetâ nonnunquam exclament: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te!* Ecquid mirùm? Nonnè obſervantia regularis eſt cauſa ſecuræ conſcientiæ, & tranquillæ mentis? *Secura mens juge convivium*, in quo non poteſt deficere vinum divini amoris, *calix* ſpiritualiter *inebrians, qui præclarus eſt*, & inducit oblivionem & inſenſibilitatem omnium difficultatum in Religioſâ vitâ obviarum.

Regularitas ſuavis ob internam unctionem.

Pſ. 30.

Ob pacem conſcientiæ.

Prov. 15.

Pſ. 22.

CAP.

CAP. XIX.

Obſervantia Regularum eſt delectabilis propter ſecuritatem conſcientiæ, mortificationem paſſionum, & adimpletionem divinæ voluntatis.

Prov. 15. CUm, ut tangere cœpimus, *ſecura mens ſit juge convivium*, ſequitur, quòd cum Religioſus regularis in ſe habeat teſtimonium bonæ conſcientiæ, utpotè ſemper & ubique faciens id, quod conſcientia illi dictat faciendum, & omittens quod dictat omittendum conformiter ad præſcriptum Regulæ, Conſtitutionum & Superiorum, ſit in jugi convivio, pane filiorum Dei confirmatus, vino amoris Dei recreatus, & unctione gratiæ delibutus; undè ſequitur jubilus cordis, hilaritas mentis, jucunditas animæ tollens omne tædium, & omnem moleſtiam allevians; id quod Propheta alibi confirmans ait: *pax multa diligentibus legem tuam Domine*: Quid magis deſideratur, quàm pax, utique cum Deo, cum conſcientiâ, cum propriis paſſionibus? Porrò talem pacem habet, quiſ-

Regularis habet ſecurã mentem, & juge convivium.

Pſ. 118.

Regularis habet pacem cum Deo.

quiſquis obſervans eſt ſui inſtituti; cum Deo quidem, quia ejus Sanctiſſimam voluntatem per regularem obſervantiam perfectè exequitur, & quæ placita ſunt coram Deo, ſemper facit; cum conſcientiâ verò, quia Dei beneplacitum exequendo ei ſatisfacit; cum paſſionibus autem, quia præſcripto Regularum & Conſtitutionum vitam ſuam accommodando, eas continuò mortificat, & acquiſito habitu mortificationis tandem habet ſubjectas rationi, & rationem Deo; uno verbo, fruitur in omnibus & cum omnibus pulchritudine pacis.

Cum conſcientiâ & paſſionib.

Natura corrupta inſtar Jebuſei, quidem manet in medio filiorum Iſraël, id eſt, in animabus Religioſis regularitatem perfectè ſequentibus, ſed eſt tributaria, obligata tributo quotidianæ mortificationis, ſervitque ſolùm ad exercitium virtutum; nec poteſt impedire, quo minùs in pace ſint omnia, quæ tales animæ poſſident, quamdiu regulari obſervantiâ armatæ cuſtodiunt atrium ſuum: quid verò pace deſiderabilius, & ſuavius? ideò fortè dicebat Pſalmiſta, judicia ſeu mandata Dei eſſe *dulciora ſuper mel & favum*: etenim, ſicuti melle aut ſaccaro cõdiuntur, & ſapidæ redduntur res amaræ; ità

Natura in Regularibus eſt tributaria.

Obſervantia Regul. eſt ſuavis ob concomitantem gratiam.

itá etiam mandata Dei, qualia reſpectu Religioſorum ſunt Regulæ & Conſtitutiones; id eſt, obſervantia illorum omnia reddit ſuavia, ratione gratiæ prævenientis, concomitantis, & ſubſequentis; quæ *exhilarat faciem* animæ regularis *in oleo* dilectionis; emollit, quod animæ videbatur durum; dulcorat, quidquid videbatur amarum; facit ſapidum, quidquid putabatur inſipidum.

Pſ. 103.

Regularitas eſt ſuavis, ob impletam voluntatem Dei.

Id quod præſertim perfectè effectuatur, dum Religioſus per experientiam incipit deprehendere dulcedinem divinæ voluntatis, quam reperit incluſam & notificatam in omnibus Dei mandatis, in omnibus Regulis, Conſtitutionibus, & ordinationibus Superiorum; dum, inquam, Religioſus incipit intelligere, quòd ubique & in omnibus, certiſſimè & ſecuriſſimè poſſit adimplere Dei beneplacitum per obſervantiam regularem: ô quàm dulce, quàm delectabile eſt, vel id ſolùm cogitare, etiam in rebus difficillimis, v. g. certus ſum & ſecurus, quòd hoc vel illud ſit voluntas Dei, quòd Deus velit, ut hic & nunc illud faciam, vel hoc omittam: loquantur experti, & in his exercitati; doceant hi alios, *quàm bonus & ſuavis Deus Iſraël his, qui recto ſunt corde,*

Solatium Religioſi Regularis in voluntate Dei.

Digitized by Google

corde, in omnibus conformes exigentiæ Regularitatis, ac conſequenter divinæ voluntati per executionem ejuſdem.

Hinc jam comprehendere licet, *quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum*, id eſt, tendere ad unam perfectionem, ad unam beatitudinem per medium unanimis Regularitatis; verè nemo expertus inficiari poteſt, quin ſit jucundiſſimum ſic Deo ſervire, quia ſic *Deo ſervire, regnare eſt* cum plenitudine pacis ad omnes: utiliſſimum etiam eſt per Regularem obſervantiam fœnorari Deo & theſauros meritorum theſauriſare in cælo; honeſtiſſimum eſt, regularitatem exactè ſequendo, Deo vivere in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo omnibus diebus noſtris: quæ omnia cùm abundè liceat invenire & haurire ex obſervantiâ legum & ordinationum regularium, certiſſimum eſt leges illas maximi ab omnibus, potiſſimùm Religioſis, eſſe faciendas, ac ſummâ in veneratione & æſtimatione habendas; utpotè per quarum cuſtodiam ſummus honor, ſumma utilitas, ſumma jucunditas illis advenire poſſint tum in hac, tum in alterâ vitâ: ex quo denique patet, quanto zelo, quantâ diligentiâ, quanto af-

Pſ. 132.
Iucundum in communi vivere Regulariter.

fectu

ſectu conſtitutiones monaſticas amplecti oporteat.

CAP. XX.

Carmelitis æſtimanda ſua Regula, utpotè formula vivendi juxta eorum propoſitum.

HActenuùs egimus de æſtimabilitate Regularum monaſticarum in communi; ſupereſt modò oſtendendum, quibus de cauſis Regula S. Alberti ab omnibus veris Carmelitis ſingulari affectu amplexanda, & practicanda ſit. Porrò prima ratio, ob quam Carmelitæ ſuam Regulam in ſummâ veneratione & æſtimatione habere debent, colligi poteſt ex his verbis, quibus utitur S. Albertus in prologo ejuſdem Regulæ: *Requiritis à nobis, ut juxta propoſitum veſtrum tradamus vobis vitæ formulam, quam tenere impoſterum debeatis*; ſiquidem hæc verba, *juxta propoſitum veſtrum*, clarè nobis inſinuant optimam convenientiam & proportionem Regulæ noſtræ ad finalem noſtram perfectionem; utpotè cùm S. Albertus maturè perpenſâ perfectione, quam Carmelitæ ſibi proponebant aſſequendam, ad quam etiam obtinendam conve-

Prolog. Reg. Carmelit.

Reg. Carmelit. æſtimanda quia proportionata vocationi.

convenientem ab ipſo vitæ formulam requirebant, media ad hoc aptiſſima & maximè proportionata quæſiverit, invenerit, & juxtà eorum propoſitum ordinaverit. Videtur autem Sanctiſſimus Patriarcha inter omnes Regulas monaſticas nullam potuiſſe invenire propoſito, ſeu perfectioni à Carmelitis intentæ convenientem; quocircà novam eis vitæ formulam tradidit, ſecundùm quam vivere deberent, prout noverat juxta eorum propoſitum meliùs convenire, probè ſciens, quod quantò media ſunt melius proportionata fini, tantò facilius finis acquiratur: atque ideò, nè quis dubius hæreret, & anxius pro perfectione Propheticâ inveſtigandâ; nè quis in incertum curreret, quærens alia ad intentum media; atque ut omnes hujus Religionis profeſſores ſine dubietate ſatagerent currere viam perfectionis, ideò Sapientiſſimus legifer noſter, addit, *juxta propoſitum veſtrum*, id eſt, convenienter & congruè ad intentum veſtrum, indicans hanc Regulam ſelectam ex millibus, de novo compoſitam & ab omnibus aliis diſtinctam, brevem quidem, ſed ſubſtantioſam, & vocationi adaptatam; ex quo profectò nobis datur occaſio gaudii ſpiri-

Regul. Carmelit. eſt congrua eorum fini.

Regul. Carmelit. ab aliis diſtincta.

Digitized by Google

ſpiritualis, & internæ quietis, cùm nobis ſolummodò ſit allaborandum, ut Regulam, ſeu datam vitæ formulam fideliter, & conſtanter teneamus; nam hæc eſt ſemita compendioſa, & unicum ad noſtram ſanctificationem medium, quam ſemitam ſi ſecuti fuerimus, non poterimus aberrare; quo medio ſi fuerimus uſi, non poterimus fine fruſtrari.

CAP. XXI.

Extra Ordinem non ſunt quærenda media ad noſtram perfectionem.

Ab aliis non emendicanda media ad noſtrã perfect.

CUm Regula noſtra ſit tam benè juxta propoſitum noſtrum concinnata & aptata, non eſt, quòd alibi quæramus, vel aliundè petamus media ad intentam perfectionem proſequendam. Inſiſtant alii inſtitutis Sancti Benedicti; ſequantur alii Regulam & Paupertatem Sancti Franciſci; obſervent alii Regulam Sancti Auguſtini; alii ſanctiſſimis aliorum Fundatorum ſanctionibus ſe accommodent; at nos nihil iſtorum curemus, quia alia aliorum inſtituta & Re-

gulæ

Regulæ tendunt ad alium finem à noſtro diverſum. Equidem mihi perſuaſum habeo, quòd ſicut alii Ordines habent propoſitum à noſtro propoſito diverſum; ità aſſumpſerint & ſelegerint Regulas & media ad ſuum propoſitum accommoda, ſed ad noſtrum inconvenientia; ſic ut non expediat, nec neceſſarium ſit, nec utile, ab aliis Ordinibus emendicare aliqua media, aut vitæ formulam, quibus intentam à nobis perfectionem ſectemur; ſicuti non prodeſſet, nec deceret, ſi Philoſophus vellet à medico diſcere modum benè argumentandi; aut econtra medicus à Philoſopho, vel Theologo emendicaret principia diſparata ad curanda corpora; illa enim requirenda ſunt ab aliquo in eâdem arte perito: hinc benè fert axioma, *Vnicuique in ſuâ arte credendum eſt*, & unuſquiſque in ſuâ arte conſulendus; nam unicuique intra limites ſuæ artis vel ſcientiæ ſiſtendum eſt, nè fortè, ut proverbium eſt, *ſutor ultra crepidam, ne aſinus ad lyram*, nè, inquam, quis attentet aliquid, quod ſibi vel quoad naturam, vel quoad artem, cujus profeſſionem facit, non convenit; ut autem quiſque laudabiliter ſive in naturalibus, ſive in artificialibus, ſive

Alii Ordines habent aliud inſtitutum.

Vnuſquiſque in ſua arte conſulendus.

ſive in ſcibilibus progrediatur, quiſque manere debet intra terminos naturæ, artis, vel ſcientiæ, & ſolummodò peritos & expertos reſpectivè conſulere: ex quibus colligo, nos Carmelitas non debere attendere, quid Religioſi aliorum ordinum faciant, quam methodum ſervent, quibus mediis ad perfectionem tendant; ſed ſolùm, qualiter SS. noſtri Patres, nos ſuo exemplo præceſſerint, & inſtituerint, quomodò in obſequio Ieſu Chriſti perſeverare debeamus; ſolummodò inveſtigandum eſt, quomodò Sancti Ordinis noſtri Sanctitatem adepti ſint; quomodò veri Carmelitæ triverint & adhuc terant viam perfectionis, nobis relinquentes exemplum, ut ſequamur veſtigia eorum, quod faciendo procul dubio viam obſervantiæ Regularis, ſeu obſervantiam Regulæ noſtræ inveniemus eſſe convenientiſſimam, utpotè cùm Regula noſtra ſit vitæ formula, quam tenere imposterùm debeamus, tanquam juxtà propoſitum noſtrum à Sancto Alberto requiſitam, compoſitam ac nobis traditam: quales vitæ formulæ non ſunt Regulæ & conſtitutiones aliorum Ordinum, ſed tendunt ad aliam, perfectionem cuique Ordini propriam, à Car-

Non attendas quid alii Religioſi faciant, ſed quid Carmelitæ debeant.

Regulæ aliorum nobis non practicandæ.

Digitized by Google

à Carmelitis non requiſitam; ac proindè à nobis non ſunt inveſtigandæ, nec practicandæ.

CAP. XXII.

Carmelitæ magnifacere debent Regulam ſuam, quià exprimit vitam & virtutes Sanctorum Patrum Eliæ & Eliſæi.

CUm Regula noſtra ex dictis ſit vitæ formula nobis juxta propoſitum noſtrum, id eſt, juxta exigentiam vocationis noſtræ à Sancto Alberto tradita; ſi velimus in perfectos Carmelitas evadere, clarum eſt, nobis non eſſe integrum, nec licere juxta proprium capritium vivere, nec juxta placitum noſtrum talem vel talem vivendi formam aſſumere; ſed ſolummodò Regulam noſtram tanquàm medium ad intentam à nobis perfectionem maximè proportionatum, tanquàm viam unicam à divinâ providentia ad ſalutem animarum noſtrarum Sancto Alberto inſpiratam, & ab ipſo nobis demonſtratam; imprimis

Regula noſtra eſt via ad perfection. à Deo nobis demonſtrata.

mis ergò Regulam noſtram in ſummâ veneratione oportet habere, ac ejus obſervantiam ſummo zelo & affectu amplecti ratione optimæ ad finalem noſtram perfectionem proportionis: deindè, quia ipſa eſt expreſſa idæa vitæ Propheticæ, ac clarum ſpeculum, in quo nobis licet contemplari & practicandas diſcere præcipuas virtutes, in quibus Sancti Patres noſtri Elias & Eliſæus potiſſimùm emicuerunt. Nam quid nobis proponit primum illius caput, niſi Angelicam caſtitatem & voluntariam Paupertatem (quarum ipſi prima exempla dederunt, & ſequacibus ſuis imitanda ſignarunt) ac Religioſam obedientiam à Filiis Prophetarum ipſis ut primis Ordinis Prioribus exhibitam? Quid aliud poſtulat caput ſeptimum, quàm ſtrictam ſolitudinem, jugem in lege Domini meditationem, ac familiarem cum Deo in oratione converſationem, in quibus Sanctiſſimi noſtri Patres ſummè excelluerunt, ut alibi monſtratum eſt? Ad eorum ergò exemplum *Maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxta eas, in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes, niſi juſtis occaſionibus occupentur.* Porrò caput nonum de non habenben-

Eſt idaa vita S. Elia & Eliſai.

Cap. 1. eorum caſtitat. & Paup. &c.

Cap. 7. eorum ſolitudin. & cum Deo converſationem.

C. 7. Reg.

Digitized by Google

bendo proprio, iteratò Paupertatis eorum exemplum proponit, ſimul & perfectum, in quo ſingulariter eluxerunt, rerum mundanarum contemptum; caput decimum nobis refricat memoriam primi oratorii dicti *Seunium* à Sancto Patre Eliâ in uno latere montis Carmeli ad honorem præviſæ in Spiritu Dei Matris jam olim ædificati, & à Sancto Prophetâ Agabo tempore Apoſtolorum reſtaurati, ad quod Patres noſtri divinas & Marianas laudes decantaturi indies conveniebant. Ad idem tendit caput octavum de horis canonicis, nos inſtruens de exemplo Sanctorum Patrum noſtrorum, quorum congregatio à conſuetudine decantandi Pſalmos, vocabatur cuneus Prophetarum, id eſt, laudantium in Pſalmis Dominum; hac de cauſâ Conſtitutiones noſtræ aſſeverant: *Nos Carmelitas juxta primævum Propheticum Eliæ Patriarchæ inſtitutum, ad Dei laudes canendas principaliter vocatos eſſe.* Caput undecimum commendat zelum animarum, dum *Dominicis diebus, vel aliis, ubi opus fuerit*; de ſalute animarum præcipit tractandum; ad exemplum ſcilicèt Sancti Patris Eliæ, qui ſummo zelo animarum ſemper efferbuit, ungens reges ad pœnitentiam,

Cap. 9. eorum Paupert. & mundi contemptum.

Cap. 10. oratoriũ S. Eliæ

Cap. 8. conſuetudinẽ eorum Pſalmos cantandi.

Cap. de officio divin. §. 1.

Cap. 11. zelũ animarum.

S. Elias inſtituit Ordinem ex zelo animarum.

tentiam, & Prophetas faciens ſucceſſores poſt ſe, qui ejus exemplo zelū legis omni tempore zelarentur, & populum ad veri Dei cultum converterent, zelo zelati pro Domino Deo exercituum; quam fortaſſis Sancti Patriarchæ noſtri intentionem & inſtitutionem attendentes ſummi Pontifices nos ad vineæ Dominicæ culturam adhibuerunt. Rurſus caput duodecimum & decimum tertium de abſtinentiâ carnium & jejunio, nobis ob oculos ponunt juge ferè jejunium, & conſequenter continuam corporis mortificationem, à quibus ſummoperè commendatur Sanctus noſter Patriarcha, qui quadrageſimalis jejunii initium dedit poſt exemplum Prophetæ Moyſis. Si legere libeat caput decimum quartum de armis ſpiritualibus, videbimus ibi expreſſas omnis generis virtutes, quibus velut armis validis optimè muniti Sancti Patres noſtri, ſtrenuiſſimè certārunt contra mundum, contra carnem, & contra diabolum; in ipſis reperire eſt *Cingulum caſtitatis; ipſi munierunt pectus ſuum cogitationibus ſanctis*: ipſi induti erant *loricâ juſtitiæ, diligentes Dominum Deum ſuum ex toto corde, ex totâ animâ, & ex totâ virtute, & proximum ſuum tanquàm ſeipſos*:

Quare Carmelitæ ad vineam Eccleſiæ vocati.

C. 12. & 13. eorum jejuniū & abſtinent.

C. 14. eorum arma ſpiritualia.

ſos: quid enim in ipſis generabat tantum zelum pro lege Domini, niſi dilectio Dei & proximi? Dei quidem, quia honor Dei & gloria à mandatorum ejus obſervantiâ pendere diſgnoſcitur; proximi verò, quia ab eâdem pendet ſalus animarum: Ipſi optimè norant *Sumere in omnibus ſcutum fidei, in quo poterant omnia tela nequiſſimi ignea extinguere*: ſciebant enim, *quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*: ipſi impoſuerunt Hebr. 11.
capiti ſuo galeam ſalutis ſperantes in ſolo Domino Deo Iſraël, ipſi ſperaverunt & non ſunt confuſi: notum etiam eſt, quàm dexter fuerit noſter Sanctus Pater Elias in utendo *Gladio ſpiritûs*: nónne enim *verbum Dei abundanter habitavit in ore & in corde ejus*? ſanè non immeritò de eo aſſeveratur; *verbum ipſius quaſi facula ardebat.* De Ecl. 48.
Sancto autem Eliſæo quis dubitet? nam *in Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus*: quando? dum *incedentes ſermocinarentur* de rebus divinis, habentes verbum Dei in corde, & ore ad mutuam 4. Reg. 2.
ædificationem; ideò *Non ſuperavit eos verbum aliquod* vanitatis: deindè caput decimum ſextum prædicat nobis altum eorum, quod in Carmeli ſolitudine ſervabant *Cap. 16. eorum ſilẽtium.*

Digitized by Google

vabant ſilentium; *In ſilentio & ſpe erat fortitudo eorum*, ut diſceremus eorum exemplo *cuſtodire vias noſtras, ut non delinquamus in linguâ noſtrâ; & ſilentium, in quo cultus Juſtitiæ eſt, diligenter & cautè ſtudeamus obſervare*:

Cap. 6 & 17. modum eorum regendi. denique caput decimum ſeptimum; & ſextum exprimunt & Superioribus præſcribunt modum regendi Sanctorum Patrum noſtrorum, & notanter Sancti Patris Eliſæi; ſacer enim textus ſatis inſinuat, quòd *De arbitrio & diſpoſitione ejus, quæ agenda erant, cuncta proceſſerint*: nónne hoc patuit, dum Filii Prophetarum poſt raptum Sancti Patris Eliæ, agnoſcentes Sanctum Eliſæum in Superiorem requirebant ejus arbitrium & diſpoſitionem, *ut tollerent ſinguli materias ſingulas* pro ædificandis cellis circa Iordanem? (*4. Reg. 6.*) Ex eo etiam factum eſt, ut ex capite quinto Regulæ *non liceat alicui Fratrum, niſi de licentiâ Prioris deputatum ſibi mutare locum, vel cum alio permutare*: (*Cap. 5. indè deſumptum.*) Prout ſcilicèt id ſine Sancti Patris Eliſæi licentiâ diſcipuli ejus exiſtimarunt ſibi non licere. (*4. Reg. 2.*) Quid dicam de ejus pro ſibi ſubditis ſollicitudine, etiam in temporalibus? ibi videbis eum ſanantem aquas, (*S. Eliſ. ſanat aquas.*)

quas, pro uſu ſuorum; ibi immiſſâ farinâ fecit, *ut non eſſet amplius quidquam amaritudinis in ollâ*, quò ſic filii Prophetarum in congregatione viventes guſtarent ſalubre pulmentum: ibi videbis eum pro victu ſuorum miraculosè panes multiplicare; ex quibus & ſimilibus aperte colligitur *ex arbitrio & diſpoſitione ejus omnia* inter primos iſtos ordinis noſtri Patres *proceſſiſſe*, ipſumque *ſemper habuiſſe in mente, ac ſervaſſe in opere, quod* poſtmodùm *Chriſtus docuit in Evangelio. Quicumque voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus.* Quàm autem ad noſtrum exemplum filii Prophetarum *Priorem ſuum*, id eſt, ſanctum Eliſæum *humiliter honoraverint, Deum potiùs cogitantes quam ipſum, qui poſuerat illum ſuper capita eorum* (quod nobis præſcribit caput ultimum Regulæ) patet tum ex jam dictis de humili ipſorum erga illum Obedientiâ, ſine quâ nihil facere volebant; tum ex eo, quòd cognoſcentes, quia *requieverat ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum*, ipſum tanquam à Deo poſitum ſuper capita ſua in loco S. Patriarchæ Eliæ venerari cœperint *proni in terram*, in ſignũ, quòd Deum potiùs cogitarent, quàm ipſum.

4. Reg. 4.
Sanat pulmentum.
4. Reg. 4.
Multiplicat pan.
Reg. c. 17.
Cap. ult. reverentiam filioru Proph. erga Eliſ.
4. Reg. 2.

Digitized by Google

Servantes regulam probantur Eliani.

Ex quibus omnibus clariſſimè conſtare videtur, & ad oculum patere, Regulam noſtram in ſe complecti & nobis imitandam depingere vitam Sanctorum Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſæi, ac proindè eam in ſummâ nobis æſtimatione eſſe debere. Cæterùm id pro certo habeatur, quòd ſi Regulam noſtram exactè ſervaverimus, nulla vel ipſis æmulis noſtris reſtare poterit ratio inficiandi nos eſſe veros & genuinos filios & ſequaces iſtorum Sanctorum Prophetarum; uti enim conſuetudo eſt inter homines dicere: talis eſt filius talis viri, ſive enim illum videas, ſive hunc, eſt idem; habent eamdem faciem, omninò ſimilem modum agendi: indoles, oculi, vultus probant hunc eſſe filium talis: ità etiam ſi deprehendamur perfectè ſervare regulam noſtram, omnes vel inviti cogentur fateri, quòd ſimus filii tam illuſtrium Prophetarum; utpote cùm exacta Regulæ obſervatio ſit perfecta vitæ eorum imitatio, quâ fiet, ut ſimus illis per omnia ſimiles; & reverà hoc ſufficeret ad obturandum os omnium nobis invidentium.

Ex ſimilitudine cognoſcitur filius alicujus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Regula Carmelitarum teſtimonium perhibet, quòd habeant ſucceſsionem hæreditariam à Sancto Prophetâ Eliâ.

CVm (ut dictum eſt) Regula Albertina ſit idea vitæ Propheticæ, in quâ eluxerunt S. Prophetæ Elias, & Eliſæus exemplum ſucceſſoribus ſignantes, ut quemadmodum ipſi vixerunt, ita & illi vivant; jure merito animandi ſunt omnes Carmelitæ, ut regulam ſuam velut ſpeculum ubique circumferant, in quo aſſiduè ſpeculentur, quid ipſos decet vel dedeceat in imitatione vitæ Elianæ in illâ ad vivum expreſſæ. Non ſolùm autem ideò Regulam ſuam in veneratione ſummâ habere debent; ſed inſuper quia ipſa clarum videtur dare teſtimonium, quòd habeant ſucceſſionem hæreditariam ad hæc uſque tempora à Sanctis Prophetis Eliâ & Eliſæo: quod videtur facile probatu, hoc modò; Regula Sancti Alberti non eſt novum inventum, ſed compendium iſtius, quam S. Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus circa anum

Regula ut ſpeculum circumferenda.

Regula teſtatur ſucceſſionem à S. Eliâ.

Domini quadringenteſimum dederat incolis montis Carmeli; illa verò conveniebat modo vivendi inter Carmelicolas ab antiquo uſitato & recepto per ſtabilem & continuam traditionem à temporibus iſtorum Sanctorum Prophetarum; atque hæc traditio conveniebat cum vitâ ipſorum; ex quo ſequitur Regulam S. Alberti concordare cum iſtâ traditione, & vitâ horum Sanctorum: ità ut mihi videatur in Ordine noſtro fieri, quòd factum ſcimus in Eccleſiâ Dei; ſicuti enim in Eccleſia primò fuit lex naturæ, non ſcripta, deinde lex Moyſis ſcripta, poſteà verò perfecta lex Chriſti, quæ in ſe comprehendit legem naturæ, & præcipuam partem legis Moyſaicæ, atque adeò jam unam conſtituit Eccleſiam cum illâ quæ fuit in lege naturæ, & Moyſis, ſic ut una tantum detur Eccleſia Catholica omnes omnium temporum & locorum fideles complectens; ità in ſacro Ordine noſtro in principio fuit Regula non ſcripta, ſcilicet viva exempla Sanctitatis relicta à Sanctis Prophetis Eliâ & Eliſæo, quæ per traditionem duravit uſque ad annum circiter quadringenteſimum poſt Chriſtum natum; quo tempore noſter Joannes 44. Patriarcha Jeroſolymitanus dedit Regu-

Unica Eccleſia omnium omnium temporum fidelium.

Digitized by Google

Regulam ſcriptam, quæ duravit uſque ad annum Domini milleſimum centeſimum ſeptuageſimum; atque tunc Sanctus Albertus ſimiliter Patriarcha Jeroſolymitanus aliam Regulam compendioſiorem ſcripſit, quæ in ſe complectitur ſubſtantiam alterius Regulæ ſcriptæ, & non ſcriptæ; atque adeò unum Ordinem, unam Religionem facit cum illo ordine, qui tunc temporis erat: quocircà ſi Regula noſtra quoad ſubſtantiam à temporibus iſtorum Prophetarum hæreditariâ ſucceſſione ad nos uſque perſeveraverit, ac ſolummodò in aliquibus accidentibus juxtà exigentiam diverſorum temporum mutata, accommodata & temperata fuerit, conſequens eſt, quòd Sanctus Elias ſit inſtitutor Sacri Ordinis noſtri; utpotè cùm non ſolum locum manſionis ejus in monte Carmelo ſortiti fuerimus, (quod fortè aliquibus aliis ordinibus poſſet eſſe commune) ſed inſuper modum & formam vivendi à Sancto Eliâ traditam hactenùs Ordo noſter illæſam ſervaverit, nec ullâ temporum injuriâ amiſerit; undè formo hoc argumentum; quia v. g. Franciſcani de obſervantiâ habent hæreditariam ſucceſſionem à Sancto Franciſco, ejuſque regulam ſemper ſervaverunt; quia

Vnus Ordo omniū Carmelit. à tempore S. Eliæ.

Convincitur S. Elias inſtitutor Carmelit.

Quare Franciſcani à S. Franciſco &c.

Dominicani continuum ſucceſſum habent à Sancto Dominico, ejuſque Conſtitutiones ſemper manu-tenuerunt; ideò eſt extra omne dubium, quòd Franciſcani pro ſuo Inſtitutore habeant Sanctum Franciſcum, Dominicani Sanctum Dominicum: atqui Carmelitæ, huc uſque (uti oſtenſum eſt) ſemper obſervarunt Regulam ſeu vivendi formam Sancti Prophetæ Eliæ, & ex teſtimonio Pontificum, hæreditariam ab illo tenent ſucceſſionem; ergò Carmelitæ jure merito gloriantur Sanctiſſimo hoc Propheta tanquam ſui ordinis inſtitutore: conſequentia eſt bona, & antecedens ante probatum eſt; eia igitur, attendamus, in quantâ æſtimatione nos oporteat habere vitæ formulam, ſeu Regulam noſtram, quàmque teneamur ſecundùm eam vivere; cum ſit unica ad perfectionem in nobis requiſitam via; conſideremus, quantâ diligentiâ, zelo & affectu perfectam ejus obſervantiam amplecti deceat, cum ſit ſpeculum, in quo expreſſam videmus imaginem ac vitam Sanctiſſimi noſtri Patriarchæ Eliæ; quatenus eam in nobis ad vivum exprimamus, inſpicientes & facientes ſecundùm quod nobis in monte Carmelo monſtratum eſt.

Convincitur Origo Carm. ab Eliâ.

CAP.

CAP. XXIV.

Regula Carmelitarum eſt ipſis æſtimanda, quia exprimit vitam Deiparæ Virginis, propter quod & fratres D. Virginis vocantur.

ORdinem noſtrum Propheticum & Elianum jam aſſeruimus, eo quòd habeat Regulam exprimentem vitam Sancti Patris Eliæ; cum verò non ſolùm ſit Elianus, ſed & Marianus, appoſitè ad rem pertinere viſum eſt, ſi probemus (aliis rationibus omiſſis) vel indè meritò dici Marianum, quia ejus Regula cum vitâ Beatiſſimæ Virginis Matris ſymboliſat: adferemus hîc igitur myſticam quamdam & brevem expoſitionem, quæ continet analogiam Regulæ noſtræ Carmeliticæ cum Beatiſſimæ Virginis Mariæ vivendi normâ, praxique virtutum, de verbo ad verbum prout habetur in ſpeculo Ordinis per R. P. M. Philippum Ribboti Provincialem Cathaloniæ concinnato, hoc modo.

Reg. Carm. exprimit vit. D. V.

Ex ſpeculo ordinis per Phi. Ribbot.

Cuiuſlibet Religionis titulus ortum habet, vel à loco, vel à Sancto. A loco quidem

quidem, ut à Ciſtercio Ciſtercienſes; quomodò Ordo noſter à loco Carmeli eſt intitulatus: à Sancto, ut cùm ſucceſſores vitam & Regulam ſibi eligunt obſervandam, quam aliquis Sanctorum ſibi elegit, prout Canonici nigri dicuntur de ordine S. Auguſtini. Et iſto modò fratres Ordinis B. Mariæ in Bullis Apoſtolicis ſumus nominati; elegimus enim Regulam, cujus multa ſimilia puncta B. Virgo Maria in vitâ ſuâ ſervare curavit: imprimis conſtat eam perfectè obedientem fuiſſe: Angelo enim nuncianti reſpondit: *ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundùm verbum tuum*; & de hoc in Regula: *Priori Obedientiam promittat quilibet aliorum, & promiſſam ſtudeat operis veritate ſervare.* Conſtat etiam eam proprium abdicaſſe; abſit enim eam à Regulâ Apoſtolicâ, quæ via perfectionis nuncupatur, excluſam fuiſſe: de quâ Regulâ ſcriptum eſt Actuum 2. *Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*, & infra cap. 5. *Et nullus ſuum eſſe dicebat.* Et de hoc in regulâ: *nullus fratrum aliquid ſibi eſſe proprium dicat, ſed ſint vobis omnia communia* Conſtat eam caſtitatem fideliter ſervaſſe, de quâ ſcriptum eſt: *ecce*

Quare vocemur Fratres D. V.

Analogia regulæ cum vitâ D. V. c. 1. Ejus Obedientia.

Ejus Paupertas.

Act. 2.

Act. 5.

c. 9

Ejus Caſtitas c. 14.

virgo

virgo concipiet & pariet filiũ; & de hoc in regulâ: *accingendi ſunt lumbi cingulo Caſtitatis.* Secundò idem patet per ſpecialia capita; legitur enim de eâ, quòd frequenter viſitavit loca baptiſmi Chriſti, & ubi Chriſtus jejunavit, quæ ſunt loca deſerta ſecundùm Magiſtrũ in hiſtoriis; & ſic eremiticæ vitæ apta; viſitavitque loca inhabitata, Nazareth ſcilicet & Bethleem: & quia loca eremitica & alia erant ei chara, ideò ſimile dicitur in regulâ: *loca autem habere poteritis in eremis, vel ubi vobis donata fuerint &c.* Item concordant Sancti, quòd cùm Angelus nunciabat filii Dei incarnationem, eam in ſeparatâ camerâ contemplantem invenit, & de hoc in regulâ: *juxta ſitum loci, quem inhabitare propoſueritis, ſinguli veſtrûm ſingulas habeant cellulas ſeparatas.* Præter hæc cum edentibus & bibentibus vixit communi loco, ut in Nazareth, in parentum domo; in quo communẽ commendavit refectionis locum: propter quod dicitur in regulâ; *In cõmuni refectorio ea, quæ vobis erogata fuerint, ſumatis* Legitur quoque de eâ in libro de floribus Sanctorum, quod cum ad templum à parentibus fuerat ducta, non ſolitaria, ſed cum aliis virginibus in templo

D. V. amavit ſolitud.

c. 2.

Habuit cellam ſeparatam.

c. 3.

Vixit in cõmuni.

c. 4.

Digitized by Google

Habitavit in templo. plo erat dimiſſa, undè quoad commune oratorium ſubditur in regula: *Oratorium conſtruatur in medio cellularum.* Collegium tenuit cum Ioſepho laico, & cum Ioanne Evangeliſtâ ſummo clerico, utroque in ſuo ſtatu viro devoto: ſic ordinem noſtrum in laicis & clericis conſtitui voluit, & utriſque in regula horas devotionis diſtinxit; undè de clericis dicitur: *hi qui horas canonicas cum Clericis dicere norunt &c.* De laicis quoque ſubjunctum eſt, *qui verò eas non noverunt &c.* Jeronymus in quadam Epiſt. ad Heliodor. dicit, quòd B. Virgo hanc regulam ſibi ſtatuit, ut à manè uſque ad tertiam orationibus inſiſteret: à tertiâ uſque ad nonam textrinò operi ſedulam operam daret: à nonâ ab oratione non recedebat, quouſque Angelus apparens eſcam ſibi daret. Propter aſſiduitatem orandi, quam exercuit, dicitur in regulâ: *maneant ſinguli in cellulis ſuis, vel juxtà eas, die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes;* Propter continuationem operandi, dicitur ibidem: *faciendum eſt vobis aliquid operis, ut ſemper vos diabolus inveniat occupatos, nè ex otioſitate veſtrâ aliquem intrandi aditum ad animas veſtras*

Habuit collegium.

c. 8.

D. V. habuit tempus benè diſtributum. Laboravit manibus.

C. 7.

D. V. aſſidua in oratione.

c. 15.

Digitized by Google

ſtras valeat invenire; Quòd uſque ad nonam jejunavit, de jejunio nos inſtruxit, undè in regulâ; *jejunium ſingulis diebus à feſto exaltationis &c.* Quòd cibum ab Angelo ſuſcepit, nos inſtruxit cibis tantùm ſobriis, quæ vitæ congruunt ſpirituali, non carneis & laſcivis fore veſcendum, undè ibi: *ab eſu carnium abſtineatis, niſi infirmitas, &c.* Silentium multum ſervavit; non enim legitur in Evangelio locuta fuiſſe, niſi quater, ut dicit Bernardus, ſcilicet, Angelo in Annunciatione; Elizabeth in ſalutatione; in nuptiis in Canâ Galileæ, & filio in ejus inventione: de hoc in Regulâ, & primò in generali: *Commendat enim Apoſtolus ſilentium, cum in eo præcipit operandum &c.* Et in ſpeciali, cum ſubditur: *ideoq; ſtatuimus, ut dicto completorio ſilentium teneatis uſque ad Primam dictam ſequentis diei.* Conſtat eam ſimplicitatem dilexiſſe; quandò enim ivit in Bethleem, ut filium pareret, in adjutorium, non equum, ſed aſinum ſecum duxit, ut dicitur in hiſtoriis; de hac noſtrâ ſimplicitate dicitur in Regula, *aſinos ſive mulos habere poteritis.* Conſtat etiam eam magnâ fide, ſpe & Charitate ſtabilem fuiſſe, cum in filii ſui paſſione per-

Jejunavit.

Sobriè vixit c. 12.

Silentium ſervavit.

C. 16.

Dilexit ſimplicia.

C. 9.

Digitized by Google

Fuit perfecta in Charitate. c. 14.

permanſit; alii verò eo relicto fugerũt. De perfectione Charitatis dicitur in Regulâ: *induenda eſt lorica juſtitiæ, ut Dominum Deum veſtrum ex toto corde diligatis &c. & proximum veſtrum &c.* de fide ſubjectum eſt, *in omnibus ſumendum eſt ſcutum fidei.* De ſpe ſequitur, *de ſolo Salvatore ſperetis ſalutem.* Ad ſtatum prædicatoris pervenit; poſtquam enim Dei filium conceperat, magnum ſermonem fecit, primò Deum laudando & dicendo: *Magnificat anima mea Dominum &c.* Secundò ad mores applicando, ibi, *& miſericordia ejus à progenie in progenies*; & infra, tertio ad propoſitum modo, ſermonis in fine prophetias allegando, dicens, *ſicut locutus ad patres &c.* Vnde in Regulâ, *gladius autem ſpiritûs, quod eſt verbum Dei, abundanter habitet in ore, & in cordibus veſtris.* Humilitatem ſervavit ad Deum dicens: *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ &c.* Sic in regulâ debent ſubditi ad Prælatum; unde ibi, *vos quoq; cæteri fratres Priorem veſtrum honorate humiliter.* Humilitatem tenuit ad minorem; cum enim eſſet mater Dei tribus menſibus miniſtravit matri ſui præconis; unde in Regulâ inſtruuntur Priores de humi-

D. V. ſermonem fecit.

Carmelitis incumbit cōcionari c. 14

D. V. fuit humilis. c. 18.

litate ſic: *quicumque inter vos voluerit maior eſſe, erit miniſter veſter.* Et quia ſuper omnes virtutes prædictas adhuc alias habuit innumeras præter has, quæ in Regula ponuntur: ideò ſupererogatio nobis indulgetur: De hoc in Regulâ, *ſi quis autem ſupererogaverit, Dominus cum redierit, reddet ei.* Sic igitur patet, quòd meritò Regulæ ordo, titulum habet B. Mariæ; unde idem Innoc. 4. qui Regulam declaravit, dans licentiam confeſſandi & prædicandi; ſic ſcripſit citò poſt: *Dilectis filiis, Priori Generali, & Provincialibus Ordinis B. Mariæ de monte Carmelo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Ex tunc Romani Pontifices uſque in hodiernum diem, ſuis bullis & litteris in principio prædictum titulum B. Mariæ præſcribunt, & Ioannes 22. in privilegio exemptionis perhibet teſtimonium ſuper iſtis dicens, *ſacer Ordo veſter in agro Domini plantatus, & titulo glorioſæ Virginis Mariæ ſpecialiter inſignitus, apoſtolicis gratiis dignè meretur attolli.*

C. 17.

Quare ſupererogatio permittatur.

c. 8.

Pontifices vocant Carmelitas Fratres D. Virginis.

Nomen B. V. Mariæ Carmelitis proprium.

Sic habet ſpeculum Ordinis ſuprà citatum: patet autem ex his Regulam noſtram non ſolum Sancti Patris Eliæ, ſed & amabilis Matris Mariæ vitam nobis imitan-

imitandam exprimere. ac proindè ſacrum Ordinem noſtrum Elianum ſimul & Marianum jure vocari: patet denique quàm chara & pretioſa nobis eſſe debeat Regula noſtra, juxta propoſitum vocationis noſtræ tam benè concinnata, & Patris ac Matris vitam tam exactè nobis adumbrans; nihil aliud ſupereſt deſiderādum, quàm ut per fidelem illius praxim nos verè Elianos, ſimul & Marianos reipſâ comprobemus: quod in nobis efficaciter operari dignetur, qui nos traxit, vocavit, & elegit ad inſtitutum hujus Sacri Ordinis, per interceſsionem Matris Amabilis, & Sancti Patris Eliæ. Amen.

Conclusio hujus Tractatûs.

Finis Secundæ Partis.

TRAC-

Digitized by Google

MARIA.

TRACTATUS TERTIUS
Introductionis in terram

CARMELI.

SIVE

BREVIS INSTRUCTIO

ad vitam

VERE CARMELITICAM

SEU

MYSTICAM.

Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus, & optima illius. Jer.c.2.n.7.

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS III.

BREVIS INSTRUCTIO *ad vitam* VERE CARMELITICAM SEU MYSTICAM.

PROOEMIUM.

IN præcedenti Tractatu deduximus quaſi Carmelitas noſtros ad collem aliquem, unde bicipitem Carmelum conſpicere, duplicem, inquam, Spiritum S. P. N. Eliæ cognoſcere poterant; deinde illis commendavimus, & oſtendimus rectiſſimam ſemitam Regularis obſervantiæ, per quam in

in terram Carmeli feſtinare debeant; ſic ut ſperare liceat, quòd ad ejus ingreſſum jam appropinquent, quòd inquam, in perfectos Carmelitas paulatim efformentur, non contenti taliter qualiter ſervare tria vota eſſentialia, ſicut cæteri Religioſi, ſed ad formam Carmeliticam perfectè imbibendam proximè aſpirantes. Equidem ſicuti ad hoc, ut quis ſit homo, non ſufficit eſſe animal, vel habere aliquam externam apparentiam hominis, niſi de facto adſit unita anima rationalis, quæ utpote forma ſpecifica ipſum in eſſe hominis perfectè conſtituat, & diſtinguat ab omni alio; ita ad hoc, ut quis ſit verus Carmelita, non eſt ſatis, eſſe Religioſum per obligationem & executionem trium votorum, Obedientiæ, Paupertatis, & Caſtitatis; vel ratione habitûs

bitûs præſeferre exteriorem apparentiam Carmelitæ (veſtis enim non facit Carmelitam, & tria vota eſſentialia omnium Ordinum Religioſis ſunt communia) ſed inſuper deſideratur aliqua forma quaſi ſpecifica, ipſum in eſſe veri Carmelitæ conſtituens, & ab omnium aliorum Ordinum Religioſis diſtinguens, ſine qua nemo poteſt eſſe Carmelita; ſicut nemo poteſt eſſe homo ſine animâ rationali. Hæc autem forma eſt ſpiritus jugis orationis, ſeu aſſidua animæ occupatio in Deo, prout poſteà probabitur: ad quam formam conſequendam ſerviunt tanquam diſpoſitiones, plura quæ in duobus Tractatibus jam deduximus. Verùm quia nulla forma introducitur niſi poſitâ ultimâ & proximâ diſpoſitione, adjungemus hîc Tractatum tertium, ut in eò adſc-

Anima Carmelit. ſpiritus orationes.

adferamus diſpoſitiones & præparationes proximas ad formam vitæ verè Carmeliticæ; quatenus omnes hujus vitæ profeſſores, iſti formæ acquirendæ unicè allaborent, prout vi ſuæ vocationis & profeſſionis obligantur: quòd ſi debitè fecerint, merebuntur ab illo, qui eos vocare dignatus eſt, induci in terram Carmeli, ut ibidem colligere incipiant ſuaviſſimos fructus vitæ myſticæ; quibus ſemel ritè guſtatis facillimè faſtidient quidquid mundanum, naturale, ſenſuale, & non purè Deus eſt, vel Deiforme.

Digitized by Google

CAP. I.

Unicuique vivendum juxtà ſuam vocationem, quæ in Carmelitis cæleſtis eſt.

APoſtolus Paulus ſummoperè zelans ſalutem animarum & profectum ſpiritualem omnium Chriſti fidelium, refricabat ipſis memoriam gratioſæ ſuæ vocationis ad fidem; *Videte*, inquit, *vocationem veſtram fratres*: idque procùl dubio, non alio motivo, quam ut ſuæ vocationis memores, ſatagerent juxta monitum Principis Apoſtolorum, vocationem iſtam bonis operibus certam facere, piè & Chriſtianè vivendo juxta exigentiam ejuſdem; eapropter idem Apoſtolus cordialiſſimè unumquemque exhortans, ait, *Obſecro vos fratres, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis.* Quæ verba etſi ſonent ad omnes fideles, ſpecialiter tamen concernunt Religioſos, utpotè quorum vocatio multò ſublimior, nobilior & gratioſior ſit, atque ad longè majorem perfectionem per media convenientia & benè proportionata, juxta propoſitum & finem cujuſque Religionis.

1. Cor. 1.

Epheſ. 4.

Vocatio Carmelit. cæleſtis ex parte Dei, finis, & mediorum.

Et quidem quantùm ad nos Carmelitas, mihi perſuaſum habeo, nobis ex parte Dei frequenter intonari, *videte vocationem veſtram fratres.* At qualis eſt noſtra vocatio? verbo dicam, cœleſtis eſt, non ſolùm ex parte Dei vocantis, *Omne enim donum perfectum*, qualis eſt gratia vocationis Religioſæ, *de ſurſum eſt*; ſed etiam ex parte finis, ad quem, & ex parte mediorum, per quæ, quali præſertim ſenſu noſtræ Conſtitutiones eam cæleſtem vocant; *Atque ut æſtimatio cæleſtis noſtræ vocationis ad bona opera Regulares noſtros impellat*, &c. Etenim cùm *vacare Deo* (ut eædem ſonant Conſtitutiones) *ſit pars Carmelitarum optima*, juxta quod mandat Regula, *die ac nocte in lege Domini meditantes & in orationibus vigilantes*; adeò ut verus Carmelita in veritate deberet poſſe dicere cum Apoſtolo; *noſtra autem converſatio in cælis eſt*; claré liquet, quòd vocatio noſtra, utpote ad cæleſtem cum Deo converſationem, cæleſtis ſit. Id quòd ſi ita eſt, & inficiari non poſſumus, quid ni ad omnes hujus cæleſtis vocationis conſortes exclamem: *Obſecro vos fratres, ut dignè ambuletis vocatione* cæleſti, *quâ vocati eſtis.*

Iac. 1.

1. P. c. de oratione ment.

1. P. c. 14. §. 11.

C. 7.

Philip. 3.

CAP. II.

Pars Carmelitarum optima, vacare Deo; ad quod ipſis non deſunt media.

AD hanc optimam partem, ſeu ad jugiter Deo vacandum cùm tendat vocatio Carmelitica; ſicut pars iſta optima cæleſtis eſt, & per reſpectum ad illam, vocationem jure dicimus cæleſtem; ità & media, ut ſint fini proportionata, debent eſſe cæleſtia. Talia paſſim ſuppeditantur in Regulâ, & conſtitutionibus: certè Regula præcipit, *die ac nocte in lege Domini meditari, & in orationibus vigilare*; item conſulit *pectus muniendum cogitationibus ſanctis*; inſuper hortatur ad *ſumendum in omnibus ſcutum fidei*; ſubminiſtrat etiam *gladium ſpiritûs*, volens ut *Verbum Dei abundanter habitet in ore & in cordibus noſtris*; denique hortatur, *ut quæcumque nobis agenda ſunt, in verbo Domini*, id eſt puriſſimâ ad Deum intentione (ut alibi dicetur) *fiant*. Eccè media opportuna, ecce media pro-

Media ad cæleſtem vocationem cæleſtia.

Regula præſcribit. C. 7.

C. 14.

Digitized by Google

portionata & verè cæleſtia ad procurandam partem Carmelitarum optimam, nobis in Regulâ ſuppeditata; accedunt Conſtitutiones, & eadem media fuſiùs explicant, & commendant, nè quid deeſſe videatur, quò minùs Carmelitæ aſſequantur partem ſuam optimam; equidem quid aliud inculcant in capite de officio divino; & in capite de oratione mentali, niſi media quàm optima & cæleſtia ad finem optimum & cæleſtem? ibi præſcribunt, ut omnes *pro viribus & divini ſpiritûs unctione jugi cum Deo internæ occupationi vacent*; ordinant binam quotidie *meditationem ab omnibus faciendam; quotannis etiam decem dierum exercitia, trinum in die examen conſcientiæ &c.* Nonnè hæc ſunt media planè cæleſtia cæleſti vocationi conformia? & verò, quò faciliùs inducere-mur ad fidelem eorum praxim, majo-remque de parte Carmelitarum optimâ conciperemus æſtimationem, *illud* (inquiunt Conſtitutiones) *imprimis mentibus noſtris altiſsimè imprimatur, orationem eſſe Religioſi animam; quod in ſacro ordine noſtro adeò verum eſt, ut primam & potiſsimam inſtituti noſtri partem in oratione & contemplatione ſitum*

Conſtitutiones media cæleſtia ſuggerunt.

1. Parte. c. 13.

C. 14.

P. 1. c. 14. §. 1.

Oratio eſt Religioſi anima.

ſitam eſſe profiteamur. Quid cuique charius? quid quis magis amat, quàm animam ſuam? ſimiliter; quid vero Carmelitæ debet eſſe charius, quid commendatius, quàm exercitium orationis, ſeu aſsiduæ cum Deo occupationis, cùm oratio ejus ut Carmelitæ debeat eſſe anima? hæc anima dat illi vivere in Deo; hæc anima debet in eo eſſe principium omnis operationis ſpiritualis, origo & nutrix omnium virtutum, uno verbo, radix perfectæ vitæ internæ; ſicuti anima noſtra eſt Principium & origo vitæ corporalis, & operationum vitalium; hâc de cauſâ conſtitutiones noſtræ ſuum ſentire de animâ orationis exprimentes addunt, *eâ deficiente Religioſum deſiſtere, & vigente vigere neceſſe eſt.*

Carmelitis nil charius eſſe debet quàm orare.

1. P. c. 14. §. 1.

CAP. III.

Tria potiſsimùm neceſſaria ad vitam myſticam, ſolitudo, ſilentium & mortificatio. De Solitudine.

VUltis ſcire, quomodò hæc anima orationis ſit fovenda & conſervanda? tria ad hoc video præ cæteris planè ne-

neceſſaria, ſcilicèt, ſolitudinem, ſilentium, & mortificationem; nunc, quantùm ad ſolitudinem, per eam anima devota diſponitur, ut Dei alloquio & converſatione digna efficiatur, juxta quod Sponſus cœleſtis pollicetur dicens: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus.* Idcircò verus Carmelita ſemper debet anhelare, & habere velut innatam quamdam inclinationem ad ſolitudinem ità ut, niſi obedientia, vel charitas, vel neceſſitas aliud exigat, averſionem, nauſeam imò horrorem habere debeat à conſortio hominum, præſertim ſæcularium, & ab omni inutili, & non neceſſariâ divagatione; quòd ſi obedientia non permittat corporalem, ſeu externam ſolitudinem, veri Carmelitæ eſt, conari ſervare ſpiritualem & internam, per intimam recollectionem ſpiritûs in præſentiâ Dei, id eſt, in memoriâ actuali divinæ præſentiæ. Sponſus cœleſtis eſt quaſi pudibundus apparere in publico, quocircà dum deſiderat ſe ipſum unire animæ fideli in oſculo & amplexu amoris, ſemper affectat ſecretum ſolitudinis; ad quod attendens Sponſa in Canticis; *Ecce*, inquit, *iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus*

Oſee. 2.

Carmelitæ debent anhelare ad ſolitudinem.

Solitudo interna.

Sponſus quærit ſolitudinem.

Cant. 2.

Digitized by Google

lectus meus capreæ, hinnuloq; cervorum, ſignificans dilectum ſuum pudicè timidum imitari capreas, hinnuloſque cervorum, qui fugiunt conſortia hominum, & petunt interiora deſerti procul ab omni ſtrepitu, ibique ſecurè agunt. Quarè, ſi deſideras invenire Dilectum animæ tuæ, ipſum in ſolitudine quæras, neceſſe eſt: eò enim ſe contulit, eò te invitat, ibi te exſpectat, ibi te alloqui anhelat; imò ſi velis, eò ipſe te per gratiam concomitantem deducet, *Ducam*, inquit, *eam in ſolitudinem*. Verum quidem eſt, quòd ſicut pars Carmelitarum optima, potiſſima & principalis, eſt vacare Deo: ità pars eorum minùs principalis, & quaſi accidentaria eſt, vacare proximo; propter quam ſæpè contingit, quòd obedientia, vel charitas nos in exterioribus occupet, extra ſolitudinem cellæ vel clauſtri pro tempore dimittat, vel intra ſepta clauſtri operibus manualibus applicet; at his non obſtantibus, oportet nos eſſe ſollicitos pro internâ ſolitudine conſervandâ, non nimiùm nos extro-vertendo, & pro viribus fovendo in nobis & exequendo fervens deſiderium ſolitudinis etiam exterioris. Hinc fiet, ut feſtinemus externas occu- *Interna ſolitudo quomodo ſervanda*

Digitized by Google

pationes citiùs abſolvere, ut non neceſſarias non attrahamus, inutilibus nos extricemus, & ad cellam ſemper anhelemus.

S. Cathar. Sen. extrcet & conſulit internam ſolitudinem.

Sancta Catharina Senenſis in hac internâ ſolitudine quàm optimè verſata eam cordialiſſimè conſulebat ſuo Confeſſario, dicens ſeſe in corde ſuo cellulam ædificaſſe, ex quâ nemo mortalium eam poſſet exturbare; indicans ſe non amittere internam ſolitudinem & recollectionem, etiamſi à parentibus cogeretur toti familiæ, alioqui ſatis amplæ, inſtar ancillæ deſervire, nec ſineretur die aut nocte ſolitarii cubiculi quiete frui. Idem conſilium omnibus veris Carmelitis peroptimè quadrat, quatenùs in facti veritate adimpleant id, quod Regula illis commendat: *Maneant ſinguli in cellulis ſuis die ac nocte*: cùm enim hoc ad litteram in rigore ſervari vel intelligi nequeat, liquet eos, qui per obedientiam extrà materialem cellam in exterioribus occupantur, ſatagere debere, ut intra cellulam cordis ſeſe recollectos contineant, quatenùs ſic iſti puncto Regulæ in ſenſu myſtico ſatisfaciant: de hac potiſſimùm ſolitudine, & ad litteram, de externâ, intelligendæ ſunt noſtræ Conſtitu-

C. 7.

Quomodo die ac nocte interna ſolitudo ſervanda.

Digitized by Google

ſtitutiones, dum dicunt, nos ex vi Regulæ ad ſolitudinem ſpecialiter obligari. Attendant hîc qualiter vocationi ſuæ & obligationi ſatisfaciant, qui vix ad horam in cellâ poſſunt durare, qui ad divagationes & ambulationes toto corde anhelant, qui ſine neceſſitate, ſine utilitate, ſine obedientiâ affectant, quærunt, & fovent plurimas notitias & familiaritates cum hominibus, frequenter viſitare & à multis viſitari gaudent, quibus ſolitudo carcer videtur, & converſatio cum hominibus jucunda & affectata: ſanè tales non ſunt, nisi abortivi Carmelitæ, nec ſuæ obligationi faciunt ſatis, nec dignè vivunt vocatione ſuâ.

p. 1. c. 19. §. 7. Carmelitæ ſpecialiter ſolitudini adſtringuntur.

CAP. IV.

Silentium eſt bona diſpoſitio ad vitam myſticam.

OMnibus in confeſſo eſt ſilentium ad vitam internam ſeu myſticam planè eſſe neceſſarium; quippè ſi ex doctrinâ Sancti Jacobi Apoſtoli; *Qui putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, hujus vana eſt Reli-*

gio: ſic ut vir linguoſus & garrulitati addictus non poſſit eſſe Religioſus; multò minùs Carmelita, utpotè divino alloquio & familiaritate prorsùs indignus. ſanè ſi quis de plateâ, vel de minimâ plebeculâ à Rege aſſumeretur in familiarem amicum, & intereà Regis conſortium ſupinè negligens, vili plebeculæ adhæreret, atque etiam in præſentiâ Regis cum aliis paſſim garriret, & diſcurſus ridiculos vel inutiles miſceret, nonnè unuſquiſque iſtum tali favore Regis, tali conditione, tali amicitiâ indignum judicaret? eodem modo nos gratioſiſſimè vocati ad jugem, & amoroſam converſationem cum Rege ſæculorum immortali, cum Rege Regum, & Domino dominantium, ſi hanc gratiam negligamus nos convertendo ad garrulitates, inclinationem ad multiloquium ſequendo, ſilentium abhorrendo, de nugatoriis, frivolis & vanis libenter diſcurrendo, & obvium quemque facilè alloquendo, procul dubio cœleſti noſtrâ vocatione, & omni cum Deo familiaritate indigni eſſe comprobamur; ideò Regula noſtra tantâ eſt in ſilentio commendando, ut præcipiat in eo operandum, id eſt, omnia opera facien-

Garrulus non poteſt eſſe Carmelita, nec Religioſus.

Linguoſi ad converſationem cum Deo inepti.

cienda. Sanctus Propheta Jeremias loquens de aliqua animâ exſtaticâ, dum pro primâ diſpoſitione ad contemplationem aſſignaſſet ſolitudinem, pro ſecundâ adfert ſilentium: *Sedebit ſolitarius & tacebit, & levabit ſe ſuprà ſe.* Certè anima contemplativa in actuali abſtractione, in actuali oblivione ſui & omnium creaturarum, abſorpta in ſuo Uno & Omni, dormiens ſomnum amoris in amplexu Dilecti ſui, extrà omnem experientiam vel ſenſum cujuſvis creaturæ, ſicque in perfectâ internâ ſolitudine, in interno ſilentio ſeſe continens, veriſſimè ſe levat ſuprà ſe, imò ſuprà omnia creata, in ſolo & unico Deo: quocircà ſi cupis potiri parte Carmelitarum optimâ, ad eam te præparare oportet; ſede in ſolitudine, & ſilentio ſis intentus; & convenienter poteris te levare ſuprà te, non habendo ampliùs converſationem tuam in terrâ, ſed in cœlo: tum non ampliùs in aliquâ re creatâ, nec in te ipſo quieſces, ſed facilè ſuprà omne, quod Deus non eſt, in tuo Unico neceſſario, in centro tuo, in Deo, inquam, levatus & amorosè occupatus manebis.

Solitudo & ſilentium ſunt dipoſit. ad vitam myſtic. Tren. 3.

Perfecta ſolitudo interna, & ſilentium ſunt neceſſaria ad ſe levandum ſupra ſe.

Quid ſit ſe levare ſupra ſe?

Quamdiu Sancta Tereſia aliqualiter adhuc delectabatur conſortiis & colloquiis

quiis hominum, non ei concedebatur ſtabiliter frui colloquio & familiaritate cum Deo, qui ideò ipſi mandatum inſtillabat vitandi deinceps familiaritates humanas, & ineundi converſationem cum Angelis, quò ſic familiaritate Sponſi cœleſtis digna evaderet. Idem mandatum omnes veri Carmelitæ ſibi datum exiſtiment, certoque ſibi perſuadeant ſecundum ſignum animi Carmelitici eſſe ſollicitudinem ſervandi ſilentium; ſicuti primum ſignum eſt amor ſolitudinis: tales videas ſollicitè fugere occaſiones multum loquendi, eaſque abhorrere; dum eis loquendum eſt, nec ſilentium ſervari convenienter poteſt quoad ſubſtantiam, illud ſervare ſunt ſolliciti quoad modum loquendi, non loquendo altiùs, quàm oportet, memores, quòd Conſtitutiones commendent *Voce demiſsâ & modeſtâ* loquendum, moneantque *Silentium frangi non ſolùm loquendo, ſed quovis ſtrepitu, qui alios inquietare poſſit:* quarè ſunt modeſti in inceſſu, alieni ab omni clamore, circumſpecti, ne in aliquo cauſent ſtrepitum, ſicque ſemper obſervant ſilentium ſaltem in modo; & quidem hoc eſt ſilentium externum, quod eſt velut diſpoſi-

S. Tereſia jubetur vitare colloquia humana.

Inclinatio ad ſolitud. & ſil. eſt ſignum animi Carmelitici.

Veri Carmelitæ ſollicitudo pro ſilentio ſaltem in modo

1. P. c. 15. §. 3.

Alibi.

Digitized by Google

ſitio remota ad acquirendam *Partem Carmelitarum optimam.*

CAP. V.

De Silentio interno.

POrrò internum ſilentium eſt diſpoſitio proxima, & præparatio ad vitam internam aptiſſima; illudque in eo conſiſtit, quòd anima Deo fidelis actualiter ſedet & compeſcat tumultum, & nimis vivam activitatem omnium ſuarum interiorum & exteriorum potentiarum; dum homo indicto quaſi ſilentio potentiæ imaginativæ, appetitivæ, & aliis ſenſibus, per diligentem ſuſpenſionem ſuarum operationum, ſeſe continet intimè recollectum in interiori parte animæ; quò ſic inibi commodiùs & ſine impedimento percipere queat vocem Dei loquentis ad cor; in tali ſilentio anima exercitata bonâ fide & conſcientiâ dicere poteſt dilecto ſuo: *Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis;* Tunc clamat cum fiduciâ: *Loquere Domine, quia audit ſervus tuus;* Etenim tunc nullus ſtrepitus partis ſenſitivæ, imò nec rationalis utpotè pro tunc à ſpiritu

Silentium internum in quo conſiſtat.

Cant. 2.

1. Reg. 3.

In ſilentio interno auditur vox Dei.

In ſilentio interno auditur vox Dei.

ritu divino abſorptæ, impedit in tali animâ auditum interiorem *ſibili auræ tenuis*, divinæ, inquam, locutionis; quæ utpote omninò ſpiritualis, & conſequenter a ſenſibus prorsùs abſtracta, perfectè audiri ſeu interiori auditu percipi nequit in fundo animæ, quàmdiu potentiæ ſenſitivæ per rudes ſuas operationes ibi frangunt ſilentium, quamdiu phantaſia ludit, appetitus ſenſitivus non quieſcit, & ſpecies rerum creatarum ſtrepitum cauſant; quamdiu, inquam, ſpecialis tractus divini ſpiritûs naturalibus, id eſt, à gratiâ Dei non cœptis vel motis operationibus, & potentiis non indicit ſilentium: dum autem, tali tractu prævalente, vel etiam, per diligentem & activam partis præſertim inferioris ſimplificationem, ſeu in ſuis inutilibus motionibus mortificationem, internum ſtrictè ſervatur ſilentium; ſic ut pars inferior ſuperiori, & ſuperior Deo plenè ſubjiciatur, & obediat; quid ultrà reſtat, niſi ut anima ſine ullo impedimento, auſcultet ſemper, & fideliter attendat Deo intùs ad cor loquenti, intùs operanti, & pleno dominio eam in omnibus dirigenti coôperetur, atque ſic perfectè Deo vacet, *quæ eſt pars Carme-*

Vox Dei à ſenſibus aliena non auditur niſi in interno ſilentio.

Quid frangat ſilent. intern.

Quomodò acquiratur ſilentium internum.

Digitized by Google

melitarum optima? Tale igitur ſilétium verus Carmelita ſibi procurare ſatagat, ut in tali ſilentio omnia operando, ad unionem myſticam cum ſponſo cœleſti, & ad jugem cum eo internam converſationem proximè ſe diſponat.

CAP. VI.

Mortificatio planè neceſſaria ad vitam myſticam.

NEmo inficiari poteſt, quin ſtudium continuæ in omnibus mortificationis ad vitam internam abſolutè ſit neceſſarium; ad illam enim deſideratur magna puritas cordis; cùm ſcriptum ſit, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*: vita autem interna, qualis præſertim Carmelitam decet, potiſſimùm conſiſtit in amoroſâ viſione, ſeu contemplatione Dei, ubique & in omnibus præſentis, ac omnia in omnibus operantis. At quis, talis viſionis eſt maximè capax? quis ſic videt Deum? *Beati mundo corde, quoniam ipſi*, etiam in hac vitâ, ſic *Deum videbunt*, utique *per fidem, quæ per dilectionem operatur*, ſeu per fidem actualem charitate viæ formatam;

Mortificatio eſt ad vit. myſt. neceſſar.

Vacare Deo eſt ipſum videre &c.

Matt. 5.

Mundi corde Deum vident per fidem amoroſam.

tam; ſicuti poſt hanc vitam Deum videbunt per viſionem beatificam, ſeu charitate patriæ inſtructam. Porrò hæc puritas ſeu munditia cordis non aliter acquiri poteſt, quam per omnimodam & aſſiduam mortificationem hominis exterioris & interioris; alioqui interior animæ oculus non poteſt eſſe clarus, nec defæcatus, nec contemplando Deo idoneus; etenim etiam minima, præcipuè voluntaria, imperfectio, ſeu immortificatio lippos animæ facit oculos, qui, niſi continuâ mortificatione purificentur, ad ſtabilem Dei in omnibus præſentis contemplationem pertingere nequeunt. Hoc voluit Dominus Deus olim ſignificare, dum ait; *Non videbit me homo, & vivet*: quaſi diceret, qui necdùm eſt ſibi & mundo mortuus, qui adhuc affectu adhæſivo, & inordinato vivit in aliquâ re creatâ, qui non eſt totaliter abnegatus, & mortificatus, ſed adhuc eſt vivus in ſuis paſſionibus, in amore proprio, in aliquo, quod Deus non eſt, non eſt aptus amoroſè videre Deum, nec fixo intuitu eum contemplari poteſt. Nónne minima feſtuca impedit oculum corporalem, nè clarè videat? ſic minima imperfectio præſertim habituata

Munditia cordis per mortificat. acquiritur.

Oculus internus facilè lippus.

Ex. 33.

Quis dicatur vivere in naturâ & ineptus videre Deum.

Digitized by Google

tuata obfuſcat oculum mentis, obtenebrat oculum fidei, nè Deum videat: nónne condenſa nebula impedit aſpectum ſolis? eodem modo nebula imperfectionum aſcendens de maledictâ terrâ corruptæ naturæ, impedit animam, nè fruatur claris radiis divinitatis, ac conſequenter, nè tenerrimo amoris affectu in ſupremum & infinitum Bonum feratur: quâ nebulâ durante quid remedii, ut anima pertingat ad ſtabilem & amoroſam Dei contemplationem? ſanè non aliud occurrit ex parte noſtrâ efficacius, quàm exſiccatio malorum humorum, conſumptio noxiarum exhalationum, aſſiduum, inquam, exercitium totalis ſeu omnimodæ mortificationis corruptæ naturæ; quatenùs ſublatis ex ejus parte impedimentis, radii Divinitatis ſine medio animam penetrent, ejuſque oculos ad ſe pelliciant: ſic enim frui dabitur *Parte Carmelitarum optimâ*; ſic anima ſibi & omnibus rebus creatis mortua, ſoli Deo vivere incipiet.

Nebula imperfectionum impedit videre Deum.

Quomodò eam tollere oporteat.

CAP. VII.

Quid ſit Deo vivere; & quomodò ad hoc conducat Theologia myſtica, quæ hîc aliquo modo deſcribitur.

Quid ſit Deo vel in Deo vivere.

DEo, ſive in Deo vivere, eſt anhelare ad Deum, reſpirare in Deo, ſuſpirare in Deo, aſpirare ad Deum, & finaliter exſpirare in Deo: vivere ſoli Deo, eſt Deum amare ex toto corde, ex totis viribus, ex totâ animâ, ex totâ virtute; ac totâ cogitatione & affectu ſemper & ubique in Deum ferri ſine admi tione cujuſlibet inordinati amoris, vel adhæſivæ affectionis ad quamcumque creaturam extra Deum, ſive, non in Deo, vel ſecundùm Deum. Porrò ut ad talem vitam in Deo pertingamus, ſedulam oportet dare operam Theologiæ myſticæ, nobis in Conſtitutionibus noſtris tantoperè commendatæ: atque in ſtudioſâ ejuſdem praxi, tota noſtra debet eſſe delectatio. Vis ſcire quid ſit Theologia myſtica, & qualiter illi ſtudendum? noli ſeduci & decipi cum plurimis,

Theologia myſtica docet in Deo vivere.

rimis, quibus vel ſolum nomen Theologiæ myſticæ odioſum eſt, & tædium parit, quia (ut ajunt) hominem facit altiora petere; quin potiùs ad diligens ejus ſtudium animum protinùs applica, inſtructus de illius qualitate, facilitate & neceſſitate. Itaque omiſſis iis, quæ plures de eâ ſentiunt & ſcribunt, Theologia myſtica prout Carmelitis propria, & omnibus internæ vitæ amatoribus commendata, meo judicio (ſalvo meliori) nil eſt aliud, quàm practica Dei & rerum divinarum ſcientia; undè conſiſtit partim in ſpeculatione, partim in praxi, faciens hominem in intellectu & voluntate Deiformem: atque nè quis ſibi perſuadeat hanc ſcientiam eſſe nimis ſublimem, ſubtilem, & acquiſitu difficilem, ſcito illam dividi in duas partes, ſeu duas in ſe partes complecti, nimirùm fidem exercitatam divinæ præſentiæ in omni loco & re creatâ, ac conformitatem practicam noſtræ voluntatis cum divinâ: annè hæc adeò ſubtilia & comprehenſu difficilia? nónne hæc omninò ſunt neceſſaria ad Deo ſine impedimento & jugiter vacandum, *quæ eſt pars Carmelitarum optima?*

Eſt facilis & neceſſaria.

Quid ſit Theol. myſtica pro Carmelit.

Dividitur in duas partes.

CAP.

Digitized by Google

CAP. VIII.

Quàm facile ſit & neceſſarium exercitium divinæ præſentiæ.

Deus ubique præſens.

IMprimis quantùm attinet ad fidem divinæ præſentiæ, nónne, *Cœlum & terram ego impleo*, dicit Dominus? nónne Apoſtolus ait, Deus *non longè abeſt ab unoquoque noſtrûm; in ipſo enim vivimus, movemur; & ſumus;* hoc optimè concipiebat Sanctiſſimus noſter Pater Elias, cujus axioma erat, *Vivit Dominus, in cujus conſpectu ſto:* Regius quoque Propheta hujus ſcientiæ inſignis practicus, dicebat; *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper* Hinc pueri in Cathecismo interrogati, ubi eſt Deus? reſpondent, Deus eſt in cœlo, in terrâ & in omni loco: quæ cùm ita ſe habeant, & ex lumine fidei confiteamur; quid rationabilius, quàm fidem circa hanc Dei præſentiam ſemper & ubique actuare? Profectò cùm fides doceat Deum ſecundùm ſuam eſſentiam, præſentiam & potentiam omnia

Jerem. 23.

Act. 17.

Pſ. 15.

nia penetrare multò perfectiùs, quàm radii ſolares penetrant vitrum, aqua ſpongiam, vel oleum chartam; omninò eſt conſentaneum rationi, ut jugiter verſemur in actuali memoriâ hujus tam certæ Dei in omni re & loco præſentiæ, quatenùs omni tempore & loco contineamus nos in magnâ circumſpectione & reverentiâ, alieni ab omni levitate, abſtinentes ab omni ſpecie malâ, abundantes in omni opere bono: ad quod nos efficaciter excitabit jugis divinæ præſentiæ reminiſcentia. Verùm quomodò ad tam aſſiduam Dei memoriam poterimus pervenire? Per frequentatos fidei actus circa Dei ubique præſentiam acquiremus habitum, ſeu conſuetudinem, quâ acquiſitâ, cùm conſuetudo ſit altera natura, & habitus ad actum facilitet, & inclinet, tàm facile nobis fiet exercitium præſentiæ Dei, ſeu, Deum in cogitatione habere, quàm facile nobis eſt reſpirare, ſeu illa agere, ad quæ à naturâ inclinamur; ſicuti enim cum magnâ facilitate & fermè ſine reflexione agimus id, quod nobis naturale eſt, ſeu ad quod à natura impellimur, imò illud omittere vel contrarium agere difficile, nè dicam, in multis impoſſibile: eodem modo

Deus in omnibus penetrativè præſens.

Eſt rationi conſonum ſemper de Deo præſente cogitare.

Quomodo acquirenda jugis Dei memoria per actus fidei.

Fidei habitus facilitat ad actus.

Digitized by Google

modo, id quod agemus ex intenſo habitu fidei circà præſentiam Dei, faciemus ex ſuavi quâdam neceſſitate, ex eo, quòd habitus fidei per frequentatum exercitium perfectè acquiſitus, ex naturâ ſuâ adferat ſuavem aliquam compulſionem, ſeu inclinationem ad ſimile exercitium; ſic ut animæ in fide taliter exercitatæ ferè eſſet impoſſibile Dei præſentis obliviſci & actualem memoriam non habere. Porrò ad hanc facilitatem acquirendam, non ſolùm opus eſt tempore orationis frequentare actus fidei circa Dei præſentiam, ſed etiam per totum diem; idque per amoroſas converſiones, aſpirationes, precatiunculas jaculatorias &c. ad eum præſentem, & intima animæ & omnium rerum penetrantem; v. g. cum Abrahamo, *Deus videt*, vel, *ſum in Deo, & Deus in me*; vel cum Patre noſtro Elia, *Vivit Dominus in cujus conſpectu ſto*; vel *reſpiro in Deo, ſicut in aëre*; vel, *ô Deus meus, tu mihi magis præſens es, quàm ego mihi, tu penetras omnem ſubſtantiam meam*; vel, *ecce in Deo moveor, ſicut piſcis in aquâ: ô Domine, ſpongia non ità penetratur aquâ, ſicut ego divinâ tuâ eſſentiâ*: vel, *ô myſte-*

Exercitii præſentiæ Dei facilitas in aſſuetis.

Modus acquirendi habitum divinæ præſentiæ.

ſterium! Deus eſt in omnibus creaturis, eaſdem in eſſe conſervans; & ſi vel ad unicum momentum ſe ſubtraheret, eodem momento omnes in nihilum redigerentur; vel, *Deus in me eſt, & conſequenter tota Sanctiſſima Trinitas: nec otiatur; Deus enim Pater inceſſanter gignit Filium, & Pater & Filius producunt Spiritum Sanctum:* O myſterium abſconditum à cogitationibus hominum! quomodò me Deus tolerat in ſuâ præſentiâ? quomodò non annihilat omnes peccatores terræ? verè ſuavis eſt, & mitis, patiens & multùm miſericors. Per hos & ſimiles actus, ac aſpirationes per diem exercitas & ſæpiùs repetitas acquiretur habitus, de quo ante diximus, qui ſummè facilitabit exercitium divinæ præſentiæ.

CAP. IX.

Quomodò fides divinæ præſentiæ adhuc perfectiùs exerceri poſſit.

PRoderit etiam multùm frequenter penſare res omnes tanquàm divinitatis radiis penetratas; omnia aperta & nuda *Alii modi exercendi præſentiam Dei.*

nuda eſſe coràm oculis ejus; oculos Dei apertos eſſe ſuper bonos & malos; ipſum ſcrutari renes & corda: equidem per ſimiles cogitationes fundantur incipientes in vero timore Dei; circumſpectiùs declinant à malo, nè oculos cuncta videntes offendant, ſeſe exercent in jaculatoriis ad Deum ſibi ubique tàm intimè præſentem, cum magnâ humilitate ſupplicantes pro miſericordiâ impetrandâ & remiſſione peccatorum præteritorum, poſtulantes gratias efficaces ad peccata deinceps vitanda, ad vitia eradicanda, ad malas naturæ inclinationes viriliter frangendas, & ſimilia. Proficientes attendunt Deum ubique præſentem tanquàm paratiſſimum ad ſibi manus porrigendas, & ad gratiosè ſecum concurrendum ad quælibet opera bona; accenduntur tenero affectu & ferventi deſiderio, Patri cœleſti perfectiùs indies ſerviendi; ſuas aſpirationes & precationes ad hoc dirigunt, ut ad ſingulas ſuas operationes ſpeciales obtineant gratias, quò ſic eant de virtute in virtutem, memores, quia in viâ virtutis non progredi, retrogradi eſt. Porrò perfecti, quaſi in præſentiâ Dei conditi & habitualiter imbuti, cùm jam copioſam Dei notitiam

Quomodo incipientes Deum præſentem habere debeant.

Quomodò proficientes Deum præſentem cogitent.

Quomodò perfecti.

tiam ſint conſecuti, & profundè penetrarint theſauros divinæ bonitatis & ſapientiæ, ſic ut cum Propheta dicere poſſent: *Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, Iam oculis illuminatis contemplantur divinam eſſentiam, ejuſque perfectiones, ſeu attributa; & ideò facilè rapiuntur in ſuperabundantem amorem tanti Boni ubique intimè præſentis & per fidem cogniti: atque intuitu & comparatione illius cætera omnia detrimentum facientes, & reputantes ut ſtercora, iſti ſummo & infinito Bono unicè ubique ſatagunt adhærere dicentes cum Pſalmiſtâ: *Mihi adhærere Deo bonum eſt*. Tales ſubindè per amorem puriſſimum Deo uniti prælibare videntur dulcedinem vitæ æternæ; dum v. g. vivâ fide perpendunt ſe tam intimè præſentes illi, qui ipſos charitate perpetuâ dilexit, de quo & poſſunt dicere; *Inveni, quem diligit anima mea*: adeò ut ipſis liceat, quoties & quandocumque volunt, quoties ſeſe movent, in attactu cujuſvis creaturæ ipſum amplecti, oſculari, amoris brachiis conſtringere; ipſum enim ubique & in omnibus obvium habent, ſciuntque ipſum Dilectum animæ ſuæ nè vel uno mo-

Pſ. 50.

Pſ. 72.

Quàm ſuavis Dei præſentia perfectis.

Cant. 3.

Quantum ſolatium amanti Dei præſentia.

mento ſibi poſſe auferri, ubicumque tandem eos contigerit eſſe. ô quale ſolatium animæ amoroſæ vel ſolummodò cogitare, ubique invenio dilectum meum, ubique occurrit mihi Deus meus & omnia, nec illum perdere, nec ejus præſentiâ unquàm vel ullibi fruſtrari poſſum! *Oſculetur me* igitur *oſculo oris ſui*; nil enim mediat, quod illud poſſit impedire, ipſe mihi, & ego illi ſum intimè præſens: ecce nil mediat inter me & Dilectum meum; non creaturæ, quia ipſe in illis eſt penetrativè; nec poſſum videre, audire, olfacere, guſtare, tangere aliquam rem, in quâ Deus per ſuam eſſentiam non tam immediatè eſt mihi præſens, quàm ipſa res, quam video, audio, olfacio, guſto, tango. Anima in hoc benè exercitata adorat Deum ubique, & agit omnia ſua cum tam vivâ fide & clarâ cognitione divinæ præſentiæ, ſicut qui in radiis ſolaribus operatur, vix poteſt eſſe ſine actuali reflexione ad ſolem vel radios ejus; cognoſcit enim ſe quaſi undique irradiatam radiis Divinitatis, à quâ credit res omnes penetratas, multò perfectiùs, quàm vas cryſtallinum poſſet perluſtrari & penetrari à radiis ſolis: quantò autem anima plus pro-

Cant. 1.

Deus in omni re tam nobis præſens quàm ipſa res.

Qui proficit in præſentiâ Dei, paulatim omnia inadvertenter præterit.

Digitized by Google

proficit & fideliùs ambulat in hoc lumine fidei, tantò faciliùs, & tantò magis paulatim renunciat omnibus, quæ poſſidet, ſe ipſam & quæcumque alia inadvertenter prætereundo, ſine ullâ adhæſione iis utendo, idque ex eo; quòd omnem ſuam attentionem iſtis radiis Divinitatis affixám habeat; vel potiùs quia ſuaviter trahitur ad illorum contemplationem, utendo creaturis, quaſi non uteretur, ſine affectu adhæſivo, perindè ac ſi ferè non eſſent. Tunc illi incipit Deus eſſe omnia in omnibus, & omnia in animo illius annihilantur quodammodò, virtute luminis fidei: tunc anima ſæpè & amorosè clamat, *Dilectus meus mihi, & ego illi; inveni illum, nec dimittam, quem diligit anima mea:* tunc tutâ conſcientiâ & bonâ fide aliquandò dicit Dilecto ſuo: *Quid mihi eſt in cœlo & à te quid volui ſuper terram?* quaſi vellet dicere: nulla mihi ampliùs delectatio, nullum ſolatium, nulla mihi ſupereſt propria quæſitio vel quies in ullis creaturis quantumvis nobilibus in cœlo vel in terrâ, nil me delectat extra te, quoniam tu ſolus mihi ſufficis. Hinc evenit, quòd talis anima deinceps inveniat omnia in uno

Quis utatur creaturis, quaſi non uteretur.

Cant. 2.

Cant. 3.

Pſ. 72.

Perfecto in præſentiâ Dei nulla recreatio in creaturis.

Omnia in Deo, & Deus in omnibus.

Digitized by Google

Deo, & unum Deum in omnibus; illum amplectitur amoroſè, & unicè diligit; ſicque novit jugiter & amicabiliter vacare Deo, *quæ eſt pars Carmelitarum optima.*

CAP. X.

Oportet videre Deum operantem in omnibus.

Senſus Philoſophorum de concurſu Dei ſimultaneo.

Omnia à Deo pendent in eſſe & operari.

Eadem actio Dei & creaturæ.

Iſa. 26.

IN ſtudio Theologiæ myſticæ, quatenus concernit amoroſam contemplationem divinæ præſentiæ in omni loco & creaturâ, plurimùm nos poteſt juvare communis ſenſus Philoſophorum fundatus in fide de concurſu Dei ſimultaneo cum omni creaturâ ad omnes ejus operationes; docent enim unanimiter, omnes creaturas non ſolùm eſſentialiter dependere à Deo immediatè in eſſe & conſervari, ſed etiam in operari; dicunt etiam Deum eâdem indiviſibili actione concurrere ad omnes earum operationes, quæ ipſæ operantur; ità ut eadem indiviſibilis actio ſimul profluat à Deo & creaturis; quod probè cognoſcens quidam Propheta admirabundus clamabat ad Dominum: *Omnia opera noſtra operatus es nobis:* Apoſtolus quoque

que confitetur, Spiritum Dei, *Operari omnia in omnibus*: ex quo ſequitur nos nè quidem digitum, vel pedem poſſe movere, niſi eadem indiviſibilis motio immediatè procedat à Deo, uti à nobis; nos nè verbulum poſſe proferre, niſi eadem indiviſibilis verbuli prolatio à Deo principietur, ſicuti à nobis, & ſic de aliis: ſimiliter avis non volat, nec cantat, canis non latrat, herba non vegetat, nullæ creaturæ aliquid agunt, niſi illa volatio, ille cantus, ille latratus, illa vegetatio, vel actio cujuſvis creaturæ, tàm immediatè & propriè, imò principaliùs, & magis propriè à Deo emanent, quàm à creaturâ. Nemo ſenſatus hoc negat, nemo etiam fidelis inficiari poteſt: quid nî ergò hæc ſolida doctrina ſit unum ex præcipuis fundamentis vitæ myſticæ? quid nî ejus ſtudio ſtrenuam operam navemus, ut fidelem ejus praxim perfectè concipiamus; quatenùs nobis tandem liceat Deum omnia in omnibus operantem ſtabiliter contemplari, admirari, adorare, amare?

1. Cor. 12

Omnis actio creaturæ etiam à Deo.

Præcipuum principium vitæ myſt.

Dum creaturas videmus vel audimus operantes, quare non tam citò oculo fidei videmus Deum operantem,

Contemplandus Deus in omnib. operans.

 quàm

nia opera noſtra operatus es nobis; neque hoc mirum; fatemur enim veriſſimum eſſe, quod aliquandò dixiſti: Sine me nihil poteſtis facere. Ioan. 15.

CAP. XI.

Quàm circumſpecta & ſimplex fiat anima per hoc exercitium præſentiæ Dei.

PEr præcedentes & ſimiles conſiderationes Dei in omnibus & cum omnibus operantis efficitur anima fidelis omninò circumſpecta, ſedata, quieta, morigerata, ſimplex in omni ſuo modo agendi, ſciens Deum omnia ſua opera ſecum operari debere; quocircà ſummoperè cavet, nè impendat operam tantæ Majeſtatis in vanum ad opera futilia, ad verba otioſa, ad cogitationes inutiles, incredibiliter autem magis advigilat, nè ad aliquid abſolutè malum. Etenim ſi nemo eò audaciæ deveniat, ut manu Regis, aut alterius viri gravis utatur ad opera frivola, vel indecentia, multò minùs ad opera illi diſplicentia, ejuſvè legibus contraria; nè fortè irritet

Exercitium præſentiæ Dei facit hominem ſedatum &c.

Cavèt Deum impendere ad futilia, mala &c.

Regem, & Rex iraſcatur ſuper temeritate ejus: multò ampliùs anima illuminata probè cognoſcens & certò credens ſe ſine Deo nihil poſſe facere, nec bonum ſine concurſu Phyſico & ſupernaturali, nec malum ſine concurſu Phyſico & naturali, aliundè etiam illuſtrata de immenſâ Majeſtate Dei, quem ſcit ſemper & omni horâ eſſe paratum ad ſecum operandum juxta placitum ſuum, ſollicitè cavet requirere concurſum ejus ad operationes inutiles, non neceſſarias, otioſas omnium ſuarum potentiarum & ſenſuum, nimiam temeritatem rata, & contrà omnem reſpectum ac reverentiam Deo debitam, ejus concurſu tàm inaniter uti: hinc venit, quòd talis anima paulatim magis & magis circumcidere ſatagat omnem multiplicitatem operationum non ſolùm malarum, ſed etiam non utilium, non neceſſariarum, idque in cogitationibus, verbis & operibus; ſicque tendit ad magnam ſimplicitatem, ad hoc unicè collimans, ut ſolummodò operetur, loquatur, cogitet, audiat, videat, guſtet, tangat, olfaciat, reminiſcatur, intellectu volvat, velit, appetat, deſideret, æſtimet, imaginetur, &c. id quod juxta internum teſtimo-

Vitat actiones non neceſſarias, ſicq; ſimplificatur.

Exercitium ſimplicitatis in uſu potentiarum.

monium confidit Deo placere: tali modo conſequitur eximiam puritatem cordis, ſemper verita audire improperium Dei, *Servire me feciſti in iniquitatibus tuis*; reverà enim Deum nobis facimus ſervire, quoties ipſum ad nobiſcum concurrendum determinamus; quoties ſcilicèt membra noſtra movemus, aut ſenſus & potentias corporis vel animæ ad operandum applicamus, & conſequenter Dei coôperatione utimur: quòd ſi in malo, contra ejus placitum, contra ejus mandata; nónne eſt temeritas maxima? nónne ſumma audacia? nónne ſervire eum facimus in iniquitatibus? ô quale myſterium! heu à quàm paucis recogitatum! hæc tamen veriſſima ſunt, & nemo negare poteſt. Quis hîc non admiretur ſupermagnam Dei longanimitatem cum peccatoribus, qui continuò Deum ſervire faciunt in iniquitatibus ſuis? quomodò non diſperdit omnes peccatores terræ? quis non obſtupeſcat clementiam & patientiam iſtius infiniti, immenſi & omnipotentis Dei nobiſcum, qui omni tempore & loco adeſt paratiſſimus ad noſtrum obſequium? quis non erit circumſpectus & ſollicitus, nè ipſius concurſum temerè & in vanum

Iſa. 43.

Peccans ſervire facit Deum in peccato.

Longanimitas Dei cum peccatoribus

impendat? Qui hoc menti fixè impreſſum haberet, indubiè omni cuſtodiâ, omni diligentiâ ſervaret cor ſuum, & ab omni verbo, cogitatione, & opere non Deiformi ſtuderet abſtinere.

CAP. XII.

Ulterior inſtructio ad videndum Deum in omnibus operantem; quàm hoc ſit delectabile.

Conſideranda actiones creaturarũ ut à Deo procedunt & Deus in omnibus.

ANima amans Deum, inter creaturas exiſtens, non adeò reflectit ad earum operationes quatenùs ab ipſis procedunt, ſed potiùs quatenùs à Deo; ac tali modo contemplatur omnes earum actiones in Deo, & Deum in omnibus earum actionibus; ſicque perſeverat in jugi veneratione, adoratione, & dilectione Dei: v.g. videns avem volantem, canem latrantem, felem cum mure ludentem, formicam cum ſollicitudine victum quærentem, florem vernantem, non hæret in iſtis creaturis ſic diverſimodè operantibus, ſed eodem inſtanti penetrat ulteriùs,& contemplatur Deum ut principalem agentem in illis ſic diverſimodè

ſimodè operantem: ex quo fit, quòd ubicumque fuerit, ſtabili & internâ lætitiâ perfundatur ex occurſu creaturarum in Deo & cum Deo operantium, vel potiùs Dei in omnibus operantis; undè ſæpiùs canit cum Pſalmiſtâ, *Delectaſti me Domine in facturâ tuâ, & in operibus manuum tuarum exultabo.* O quàm purè fruitur talis anima creaturis, vel potiùs Deo in creaturis! neque verò aliquid eam in hoc impedire poteſt: talibus non ampliùs opus eſt dicere, debes ſubindè aliquam recreationem habere, debes te aliquandò parùm divertere, alioqui natura ſuccumbet, non ſemper arcum tendit Apollo, &c. ſiquidem arcus ejus (ut ità dicam) nunquàm tenditur, fermè ſemper fruitur ſpirituali gaudio, & ſanctâ libertate ſpiritûs: adeò ut etiam ſecundùm naturam centies majori, puriori & liberiori potiatur delectatione ſpatio unius diei, quàm voluptuoſiſſimus mundi amator ſpatio multorum annorum, idque ferè ſine ceſſatione, ſine remorſu conſcientiæ, ſine tædio; ubi enim mundani poſt carnales vel ſenſuales voluptates experiuntur magnas cordis amaritudines, anguſtias conſcientiæ, plurima prava & in-

Delectabile eſt Deum videre operantem in creaturis.

Pſ. 11.

Modus ſtabiliter in creaturis gaudendi vel potiùs in Deo.

Gaudium purum & ſtabile ex præſentiâ Dei.

Mundanorum gaudium inconſtans & deſinens in triſtitiam.

inquietantia deſideria, anhelant ad recreationes, timent eas non poſſe aſſequi, triſtantur earum fine, vel etiam uſque ad nauſeam & tædium iis fruuntur ſubſequentibus infirmitatibus corporis & animæ: econtrà anima contemplativa nullum malum experitur, & aliquóuſque immutabiliter quieſcit in immutabili Deo, & delectatur admirabili quadam libertate ſpiritûs; videndo, audiendo, guſtando creaturas, illicò trahitur ad contemplandam præſentiam Creatoris, & ad gaudendum de ejus ſapientiâ, providentiâ, dignatione, bonitate & aliis ejus perfectionibus, quas in omni creaturâ cernit elucere: & hinc repletur admiratione, reverentiâ, adoratione, dilectione divini numinis; recidit in quamdam ſui annihilationem, ſubindè in ſenſuum alienationem, & intimam colliquationem (ut ita dicam) omnium tam corporis, quàm animæ potentiarum, per objectum divinæ eſſentiæ, vel perfectionum ejus, mirabiliter allecta & ineſcata; aliquandò perfunditur ſpirituali quodam jubilo, ſeu exultatione cordis, & videtur etiam ſecundùm corpus ſe velle levare ſupra ſe, ex eo quòd ignis divini amoris vehemen-

Gaudium in Deo purum & conſtans.

Perfectum gaudium in creaturis deſinit in amorem Dei.

Effectus divini amoris animam surſùm levantis.

mentior factus eam ſurſùm levare ſeu impellere videatur; cujus vehementiâ & virtute poſteà quaſi devicta & velut vulnerata, in quoddam deliquium cadit, & quaſi conglobatur ſeu intimè & in interiori parte recolligitur, membris, ſanguine, aliis humoribus & potentiis ſeſe pro tunc ſpiritui accommodantibus, & quaſi ad intima confluere, & iſti recollectioni coôperari conantibus: ſubindè per ſolum aſpectum, auditum, vel occurſum alicujus creaturæ, & unà per vivam fidem Dei eam in eſſe conſervantis, ac in eâ & cum eâ operantis, ſpirituali, eoque maximo gaudio perfunditur, cujus etiam quoad corpus fit particeps; ſicque etiam natura, ſeu pars ſenſitiva non mediocriter delectatur, non jam in ſenſualibus ſenſualiter, ſed in Deo ſpiritualiter & Deiformiter: undè etiam fit, quòd pars inferior jam faciliùs ſe ſubjiciat ſuperiori, & pars ſuperior ab inferiori adjuta, ſeu non impedita, Deo: tum natura ſe accommodat, nec ſenſualia affectat, quia experitur ſibi eſſe meliùs in Deo, quàm anteà in creaturis; quamquàm durante hâc vitâ adhuc fragilis, & velut guloſa, ſpiritum ad affectum aliquem adhæſivum ſeducere ſit nata, niſi temperetur.

Deliquium amoris.

Ex fide Dei in creaturis operantis gaudium etiam in parte ſenſitivâ.

Natura ſe ſpiritui accommodat.

CAP.

CAP. XIII.

Quomodò anima ſe gerere debeat in ſtatu derelictionis per nudam fidem.

Status derelictionis à Deo immittitur.

CUm homo ſtante unione animæ & corporis in hac vitâ, nunquàm in eodem ſtatu permaneat; ſubindè contingit, quòd Deus ad probationem animæ fidelis, ſeſe pro tempore ſubtrahat quoad ſenſibilitatem, & ſuavem divinorum chariſmatum deguſtationem, & hoc ſenſu ipſam dereliquiſſe videatur, non viſitando ipſam, ut antea, per illuſtrationes gratioſas, vel per illapſus amoris unitivi; undè manet anima in magnâ ariditate, in magnis quaſi tenebris, ſine cognitione, ſine guſtu divinorum: verumtamen cavet ideò turbari, vel inquietari, vel contriſtari; ſufficit enim ipſi certa fides, quòd eſſentiâ divinâ ſit circumvallata & penetrativè imbuta; quarè ſicuti in aliâ diſpoſitione per fidem vivam, & conſequenter per vivacem amorem unicè in unicum & omne bonum ſuum, in Deum, inquam, fere-

Anima eſt contenta in derelictione.

ferebatur; ità in præſenti ſtatu ariditatis & internæ derelictionis juvat ſe ipſam, & utitur nudâ fide (quæ non nititur vel fovetur aliquâ ſenſibili experientiâ, vel internâ illuminatione) & conſequenter amore ſimplici in Deum tendit: ſiquidem qualis eſt fides ſeu cognitio in intellectu, talis eſt amor ſeu affectio in voluntate; unde ſi fides ſit viva, amor eſt vivus & vehemens, etiam in partem ſenſitivam non rarò redundans; ſi fides nuda, amor eſt ſimplex, & à ſenſibus magis abſtractus & alienus. Porrò anima, quæ ſic tranſcendit omnem creaturam, ut non faciat differentiam inter guſtare Deum & non guſtare, inter diem & noctem ſpiritualem, ità ut *Sicut tenebræ ejus, ità & lumen ejus, & nox ſicut dies illuminetur*; ſic ut *Noverit abundare & penuriam pati* in ſpiritu, non diſcernens inter abundantiam & inopiam, inter calorem & frigus, inter lumen & tenebras, benedicens *Dominum in omni tempore*, & cum tribus pueris canens: *Benedicite frigus & æſtus Domino, benedicite noctes & dies Domino, benedicite lux & tenebræ Domino*: atque ità æquanimiter ſeſe gerens ſine electione, ſine differentiâ in omni

Se juvat nudâ fide: quid hæc ſit.

Amor conformatur fidei.

Anima non faciens differentiam inter viſitationem & derelict.

Pſ. 137.
Phil. 4.

Dan. 3.

Digitized by Google

omni caſu & diſpoſitione, totaliter reſignata, & indifferens ad omnia, in tempore & æternitate ſeſe committens divinæ providentiæ, ejuſque confidens bonitati, vel potiùs contenta in Deo eſſentialiter, ſeu abſtrahendo ab ejus donis, & à quibuſvis, quieſcere. Talis anima verè eſt exſtatica, ſeu levata ſupra ſe, & ſupra omnia creata, etiam ſupra omnia dona Dei, ſolâ ejus eſſentiâ optimè contenta, neque verò aliud quidquam deſiderat, quàm nudam eſſentiam Dei, ſeu ſummum. Bonum ſecundùm ſe, & in ſe; quod cùm ſciat & firmiſſimè credat ſibi ubique eſſe præſentiſſimum, abſque eo, quòd illo unquàm vel ullibi poſſit deſtitui, jam ſuprà omne quærere perſiſtit in jugi inventione, & occurſu ejuſdem ſummi, unici & infiniti Boni, ſaltem per ſimplicem & nudam fidem, & per amorem tali fidei conformem, ſive etiam per aſpirationem & amoroſum influxum in illud: tunc anima vivere incipit perindè ac ſi ipſa & Deus ſoli eſſent, nec quidquam aliud præter ipſos, undè ad ipſum unicè converſa extrà & ſuprà omnem creaturam, ab omnibus aliis perfectè abſtrahitur ſecundùm affectum, deſiderium, &

Anima ad omnia indifferens ſolo Deo contenta verè eſt exſtatica.

Deum nemo nobis auferre poteſt.

Anima ſemper Deum inveniens ſupra omnem creat. ab omnib. abſtracta.

& ſubindè etiam ſecundùm cogitationem per actualem oblivionem ſui, & omnium quæ non ſunt Deus. Talis anima gratiâ habens ſtabilitum cor, & in ſolidis virtutibus radicata, vix mutabilitati ſubjecta eſt, præſertim cùm ſuperiores animæ vires, imò & inferiores benè habeat ſubordinatas; lætatur & non lætatur, triſtatur & non triſtatur, vel potiùs nec lætatur, nec triſtatur: non timet, non ſperat, non deſiderat quidquam, id eſt, in iſtis diſpoſitionibus eſt tàm libera, tàm ab omni immoderantiâ, inordinatione, adhæſione expedita, & omnia iſta ſecundùm directionem gratiæ & ex habitu virtutum ſuo tempore & loco ità exercet, quaſi non exerceret; imò vix reflectit, ſinens Deum in ſe, per ſe, & ſecum omnia operari pro ſuo beneplacito, abſque eo, quòd ſine directione ſpiritûs ex proprio naturali inſtinctu aliquid operandum ſuſcipiat, vel operetur; utitur creaturis, quaſi non uteretur, operatur, quaſi non operaretur: quia autem tunc anima ſit proximè diſpoſita ad quamdam transformationem in Deum, magis & magis fit Deiformis & perfecta, ſicut Deus perfectus eſt; participat meliùs & meliùs

Vix movetur aut turbatur.

Lætatur quaſi non læte-tur &c. quo ſenſu.

Sinit Deum omnia in ſe operari.

Vtitur creaturis quaſi non uteretur.

Digitized by Google

Participat perfection. Dei.

ejus perfectiones, v.g. ſuo modo, fit quaſi immutabilis, ſicut ipſe immutabilis eſt, charitativa, ſicut ipſe charitativus eſt &c. utique per perfectiorem & perfectiorem ejus imitationem, & divinarum perfectionum participationem; tuncque fit ipſi quaſi naturale, *Vacare Deo, quæ eſt pars Carmelitarum optima.*

CAP. XIV.

Secunda pars Theologiæ myſticæ conſiſtit in conformitate cum voluntate Dei.

2. Pars Theologiæ myſt. conformitas cum voluntate Dei.

Rom. 12.

ETſi in anteà dictis (meo judicio, ſalvo meliori) conſiſtat magna pars Theologiæ myſticæ omnibus Carmelitis, & vitæ internæ zelatoribus adeò commendatæ, ac animam in quadam Deiformitate conſtituentis; altera tamen, eaque principalis ejuſdem pars eſt conformitas noſtræ voluntatis cum divinâ, ut practicè cognoſcamus, *Quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta*; cujus practicâ cognitione orabat & optabat Apoſtolus omnes homi-

Digitized by Google

mines repleri. Hæc pars Theologiæ myſticæ eſt magis practica, rectiſſimâ viâ animam facit Deo appropinquare, & ad quamdam Deiformitatem ſublevat: ſicuti enim per alteram partem ſeu per fidem Dei ubique præſentis ac in omnibus operantis, anima aliquo ſenſu deificatur, ſeu fit Deiformis in memoriâ & intellectu; ità per hanc, ſcilicèt, per practicam conformitatem cum voluntate Dei anima fit Deiformis in voluntate & operum executione; adeoque hæc pars eſt planè neceſſaria omnibus in ſolo Deo vivere & mori ſyncerè cupientibus: parùm eſt enim, credere, quòd Deus nobis ſit ubique præſens & omnia in omnibus operetur; niſi id ità credamus, ac ſic Deum per lumen fidei cognoſcamus, ut etiam ſicut Deum glorificemus; nè aſſimilemur illis, *Qui cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt*, ac ideò traditi ſunt in reprobum ſenſum. Vultis ſcire, quomodò Deum ſicut Deum convenienter glorificare oporteat? indubiè non meliùs, nec convenientiùs, quàm per fidelem & punctualem adimpletionem ſanctiſſimæ ejus voluntatis, ſic ut vita noſtra illi perfectè conformetur: David vir erat ſe-

Per fidem divin. præſentiæ intellectus fit Deiformis, per conformitatem voluntas.

Fides divin. præſ ſine conformit. non prodeſt.

Rom. I.

Quomodo Deus glorificandus.

ſecundùm cor Dei, quia faciebat, *omnes voluntates ejus:* atque hoc ſenſu Deus perfectiſſimè *glorificatur in concilio Sanctorum*, ſivè in hac vitâ adhuc degentium, ſivè in cœlo triumphantium.

Verùm cùm hanc conformitatem cum voluntate Dei non poſſimus conſequi, niſi illam voluntatem cognoſcamus, quæſtio eſt, per quid certa ejus cognitio haberi poſſit, quò ſic eidem nos in omnibus accommodare,& nè vel in minimo ab eâ declinare poſſimus. Pro ſolutione, hoc ſerviat pro regulâ generali; illam certiſſimè & infallibiliter cognoſcere licet, per hæc tria, ſcilicèt, per obedientiam, per charitatem, & neceſſitatem: quocircà in omnibus agendis & omittendis, ſi obedientia aliquid præſcribat, ſi charitas poſtulet, ſi neceſſitas urgeat ad aliquid agendum, vel omittendum, certiſſimè in eò cognoſce voluntatem Dei, ſine te eo duci tanquàm digito Dei juxta ejus beneplacitum: v. g. ſi neceſſitas corporalis urget ſuo tempore dare corpori alimentum, vel quietem, ſcias hoc eſſe voluntatem Dei, qui nos ſic creare voluit, ut aliter vivere ſit impoſſibile; quarè dando corpori

Voluntas Dei cognoſcitur per Obed. per charit. per neceſsit.

Eſt voluntas Dei ut ſumamus neceſſaria.

Digitized by Google

pori neceſſaria, cave alio fine id facere, quàm quia Deo ità placet, & certus eſto quòd ſic ei rem gratam facies, cùm voluntati ejus te conformes, qui te ita creavit, ut aliter vivere non poſſis; deindè, ſi charitas ergà proximum in debitis circumſtantiis poſtulet, ut ei in aliquo opituleris, in adverſis conſoleris, in ignorantiâ doceas, in ònere & labore ſubleves, & ſic de aliis; eccè hîc iterum cognoſcere licet voluntatem Dei, qui charitatem ſervandam præcepit, & faciendum aliis, quod tibi vis fieri; itaque ſequendo ductum charitatis fraternę, certiſsimè Deo placebis, quia facies ejus voluntatem. Porrò quia frequenter occurrit anſa dubitandi, an vera neceſsitas vel charitas aliquid faciendum, vel omittendum poſtulet, & quantum alterutra nos obliget, & conſequenter an & quantùm inde poſsimus venire in notitiam voluntatis Dei, cùm non rarò ſub pallio neceſsitatis natura ſe ingerat, & ſub prætextu charitatis libertas vel ſenſualitas nos decipiat, ſciendum eſt, quòd obedientia nobis ſervire poſsit & debeat pro ſigno certiori divini beneplaciti, adeò ut ejus ductum ſequentibus nulla ſit occaſio de eo dubitandi.

Charitas indicat voluntatem Dei.

Sub prætextu neceſsitatis vel charitatis ſæpè deceptio.

Sub Obedientia nulla.

CAP.

CAP. XV.

Cognoſce voluntatem Dei per obedientiam; Religioſis periculoſum eſt eam relinquere.

FElicisſimi hîc ſunt Religioſi; cùm enim in omnibus etiam minimis agendis vel omittendis ad manum habeant directionem obedientiæ ſive per regulam, ſive per Conſtitutiones, ſive per vivum Superioris oraculum, conſtat eos ubique & in omnibus invenire manum indicem divinæ voluntatis, nimirùm, ultroneam obedientiam; quod addo, quia fruſtrà Religioſus ſibi blanditur de cognitâ & adimpletâ à ſe voluntate Dei per obedientiam quæſitam vel extortam; cùm hæc ſit infecta veneno propriæ voluntatis; quæ nata eſt hominem à Deo elongare: at ſequens ductum obedientiæ ultroneæ, ſeu non quæſitæ, nè vel ad latum unguem poteſt aberrare; de illâ enim loquitur Salvator Superioribus: *Qui vos audit, me audit*, id eſt, qui vobis obedit, mihi obedit; qui facit veſtram voluntatem obe-

Vltronea Obedientia certiſsimus index divinæ volunt.

Non ita Obedientia quæſita.

obediendo, facit etiam meam. Quocircà in hac obedientiâ non poteſt ſubeſſe fraus neque error ex parte inferiorum: quod omnibus Religioſis calcar addere deberet ad eam ambabus (ſic dicam) manibus hilariter amplectendam, ſcientes, quod eidem ſe accommodantes pro certo adimpleant beneplacitum Dei, ei per omnia placeant, & ſine periculo errandi aſſequentur vitam gratiæ in præſenti, ac vitam gloriæ in futuro, cùm ſcriptum ſit, *Vita in voluntate ejus*. Vndè quoties Religioſus ſe elongat à voluntate Dei per ultroneam obedientiam cognitâ, toties ſe elongat à vitâ; quoties ductum obedientiæ divertere conatur, malens ſequi inſtinctum propriæ voluntatis, toties declinat à certiſſimâ regulâ perfectionis, & fruſtrà quærit Deum per difficiles ambages. Quarè, ſi quis Religioſus aliquam obedientiam excutere, vel ſubterfugere præſumat, & proprium ſentire, proprium velle Superioribus obtrudat, ità ut Superiores, ejus importunitati cedentes aliam illi obedientiam, ejus inclinationi conformem injungant, nè eum contriſtent; is ſe notorio periculo exponit immutandi ordinem divinæ

In ultron. Obed. non poteſt eſſe fraus pro ſubditis.

Pſ. 29. *Vita gratiæ in voluntate Dei.*

Periculoſum Obedientiam excutere.

circà

circa ſe providentiæ, propriam voluntatem velut ſtellam erratilem, aut ignem fatuum ſequendi, Deo in multis diſplicendi, & ſine lucro meritorum ſe in vanum fatigandi; ſua opera faciendo ſine influxu vitæ, ſine, inquam, adjutorio gratiæ, ſaltem actualis: equidem *vita* gratiæ tam actualis, quàm habitualis inveniri poteſt *in* ſolâ *voluntate Dei*, ſeu in adimpletione ejuſdem; à quâ proindè Religioſus ſe alienando, alienat ſe à vitâ gratiæ, & conſequenter operatur ſine hâc vitâ, ſicque coram Deo nihil vel parùm boni præſtat, propriam autem voluntatem ſequendo in multas labitur imperfectiones.

Propria voluntas ignis fatuus.

Gratia in ſolâ impletione voluntatis Dei.

CAP. XVI.

Religioſi extra Obedientiam fruſtrà laborant; & plerumque ſine merito.

QVid ergò? annè Religioſi non ſe conformantes voluntati Dei per Obedientiam cognitæ, nihil merebuntur? nonnè in aliis poterunt Deo placere? an Deus illis non dabit gratiam ad

alia opera alioqui bona ex propriâ voluntate ſuſcepta, ut ea meritoriè fiant? reverà verendum, quòd non, niſi aliundè cognoſcat voluntatem Dei; ſicuti enim *vita* gratiæ eſt *in voluntate ejus*, id eſt, in adimpletione voluntatis ejus tanquam in cauſâ meritoriâ; ſic *ira in indignatione ejus*, id eſt, effectus iræ, qui eſt ſubtractio, ſeu negatio, ſeu non datio gratiæ *in indignatione ejus*, id eſt, in occaſione indignationis ejus tanquam in cauſâ demeritoriâ: ecquæ, obſecro, eſt occaſio indignationis Dei? ſanè non alia, quàm prævaricatio, ſeu neglectus, aut culpabilis omiſſio divinæ voluntatis; ſanè non alia, quàm propria voluntas quatenùs divinæ contraria: nónne enim hæc Deo adverſatur, & divinæ voluntatis neglectum cauſando Dei in nos indignationem provocat? & verò, nónne ex hac indignatione ira Dei, id eſt, effectus iræ Dei procedit? quis eſt iſte effectus? ſubtractio ſeu non datio divinæ gratiæ alioqui concedendæ; ac proindè qui negligunt adimplere voluntatem Dei, negligunt vitam gratiæ ſaltem actualis: ſicuti enim vita gratiæ promanat ex adimpletione voluntatis Dei; ita mors, ſeu ſubtractio

Gratia in Dei voluntate, negatio gratiæ in ejus omiſſione.

Omiſſio voluntatis Dei cauſa indignationis.

Effectus iræ Dei ſubtractio gratiæ.

gratiæ ex prævaricatione ejus. Nè tamen hic ſermo nimis durus fortaſſis videatur, debet accommodè intelligi, ità nimirùm, ut ex prævaricatione divinæ voluntatis graviter præceptivæ mors, id eſt, privatio gratiæ ſanctificantis abſolutè ſequatur; ex prævaricatione verò divinæ voluntatis leviter præceptivæ mors, id eſt, privatio ſeu ſubtractio gratiarum actualium, & ad meritoriè operandum probabiliter neceſſariarum: ex neglectu autem, ſeu voluntariâ omiſſione divinæ voluntatis non præceptivæ ſub peccato, ſed tantùm ſub pœnâ (qualis nobis per Conſtitutiones plerumque innoteſcit.) vel etiam ſolummodò conſultivæ, lato ſenſu mors, id eſt, ſubtractio, ſeu non datio amplioris gratiæ procedit, ſeu mors diſpoſitivè per accidens, quatenùs nimirum anima ſtante iſtâ privatione, ſubtractione, vel non datione gratiarum actualium, fit indies debilior & infirmior ad reſiſtendum tentationibus, ac proindè, niſi fideliùs intendat adimplendæ voluntati Dei non ſolùm ſub peccato obliganti, ſed etiam ad perfectiora allicienti, & chariſmata meliora conſulenti, paulatim ad mortem diſponitur, ac tandem alicui graviori

Omiſſio voluntatis Dei graviter præceptivæ cauſat mortem animæ abſolutè: non leviter præceptivæ.

Omiſſio voluntatis conſultivæ cauſat mortem diſpoſitivè per accid.

viori tentationi ſuccumbit; ſicque veriſicatur. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.* Eccl. 19.

Hinc ſequitur, quòd licèt aliquis Religioſus plus laboraret, quàm totus mundus; etſi corpus ſuum ciliciis, jejuniis, & vigiliis maceraret; etſi foret indefeſſus in viſitandis diu, noctuque infirmis, in ſtudiis, & aliis laborioſis operibus; ſi non operetur ſecundùm voluntatem Dei, ſed juxta inſtinctum propriæ voluntatis, non auſim ei promittere, quòd multùm in omni fatigatione ſuâ mereatur; imò fortaſſe nihil: neque enim veriſimile eſt, quòd Deus det gratiam ſuam iis, qui contrà vel præter divinam ejus voluntatem operantur. Dic mihi, an Pater-familias potum propinabit, aut mercedem dabit operariis, qui non juxta Domini ſui præſcriptum aut placitum, ſed juxtà propriam phantaſiam & voluntatem operantur? nónne potiùs talibus indignabitur; & ſine potu, ſine mercede dimittet? annè volet illis dare victum & inſtrumenta ad operandum contra vel præter Domini intentionem? non puto, quin potius illos ejiciet de domo ſuâ: eodem indubiè modo facit Deus cum Religioſis propriæ vo-

Religioſus operans difformiter voluntati Dei ex propriâ vol. nil meretur.

Deus non dat gratiam ex propria volunt. operantibus.

Propria voluntas Religioſo pernicioſa.

Digitized by Google

voluntati addictis; qui proindè negligentes beneplacitum Dei per obedientiam cognitum, opera obedientiæ cupiunt ſubterfugere, & importunè opportunè Superiores moleſtant, & urgent, ut nihil ipſis injungant, niſi quod propriæ ipſorum inclinationi & genio eſt conforme. Procul abeſt, quòd Deus illis dicet: *Venite ad me, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; venite benedicti, percipite regnum:* procul abeſt, quòd dabit eis denarium diurnum gratiæ ſuæ, aut aliquam refectionem ſpiritualem ad meritoriè operandum; quin potiùs dimittit illos jejunos, ut pergant ulteriùs in adinventionibus propriæ voluntatis; quin potiùs illis improperat: *Seminaſtis multùm, & intuliſtis parum; manducaſtis, & non eſtis ſaturati:* ſi fortè dicant, nónne *in nomine tuo virtutes multas fecimus*, jejunamus, vigilamus, in multis fatigamur? reſpondebit illis Deus: *Amen dico vobis, neſcio vos*, quia in laboribus, in vigiliis, *in jejuniis veſtris invenitur voluntas veſtra:* undè fiet, ut iſti *viri divitiarum*, poſtquàm dormierint ſomnum ſuum, in horâ, inquam, obitûs ſui, parùm aut *nihil invenerint*

Matt. 11. *Propria voluntas operatur ſine merito.*

Agg. 1.

Matt. 7.

Iſa. 58.

Propria voluntas in morte ſine merito.

Digitized by Google

venient in manibus ſuis; fiet, inquam, ut Religioſi propriæ voluntatis idololatræ, quibus alioqui theſauri gratiarum erant parati, caſu quo iis voluiſſent coôperati; & coôperando theſauros cœleſtium bonorum comparare per fidelem divini beneplaciti per obedientiam cogniti adimpletionem; etſi in æſtimatione hominum, videantur multùm laboráſſe, & plurima bona opera patrâſſe; attamen in fine invenient ſe meritis vacuos coram Deo, eò quòd omnia, vel pleraque opera ſua veneno propriæ voluntatis infecerint, vel miſcuerint: tunc, ſed ſeriùs, lamentabundi clamabunt: ***Ergò erravimus à viâ rectâ*** obedientiæ, *laſſati ſumus* in vanum *in viâ iniquitatis*, & in ambagibus ac labyrinto propriæ **voluntatis!** ô utinam hoc benè apprehenderent omnes iſti Religioſi, qui gaudent, & pſittacum, ut ita dicam, jaculati videntur, dum aliquam obedientiam humeris excuſſerunt, ſeſe per importunitatem ſubducendo, Superioribus aliquid imponendo, fingendo aliquid, ut ſubterfugiant, moleſtando Superiores, donec illos ab illâ obedientiâ eximant, & aliud juxta eorum inclinationem injungant: qui ſe ultrò ingerunt alicui officio,

Pſ. 75.

Religioſi viri divitiarum, ſi velint ſequi Obed.

Propria voluntas eſt venenum.

Sap. 5.

Cæcitas eorum qui Obedientiam ſubterfugiunt vel ingerũt ſe officiis, &c.

Digitized by Google

aut muneri concionandi, confeſsiones audiendi, infirmos viſitandi, vel ad hîc vel ibi habitandum, ad hoc vel illud faciendum vel non faciendum, ad ſtudendum vel non ſtudendum, & ſic de aliis; non acquieſcendo, nec à moleſtatione Superiorum deſiſtendo, donec obtineant & facere ſinantur, quidquid deſiderant, & eximantur ab omnibus, quæ eorum genio contrariantur: quis enim non videat tales periculosè ambulare incertos de bono exitu? quis non videat, omnia vel pleraque eorum opera per propriæ voluntatis mixturam corrumpi, etſi fortaſsis coram hominibus bona eſſe videantur? quis non videat tales nihil vel parùm mereri? tales, ſubtrahente ſe paulatim magis & magis gratiâ, fiunt indies fragiliores & ad tentationes ſuperandas infirmiores, ac tandem turpiter labuntur. Non ſic igitur, non ſic: ſed vitam noſtram & voluntatem divinæ in omnibus conformare ſtudeamus, atque in iſtum finem ſinamus nos ſimpliciter duci ab obedientiâ; nec dubium, quin proſperè in omnibus agemus congregantes cumulos meritorum, novâ continuò gratiâ ſtabilientes cor noſtrum, quâ efficaciter ab omni malo abſtinere poſ-

Propria voluntas periculoſa, inficit omnia opera.

Obedientes in omnib. proſperantur.

poſsimus, & abundare in omni opere bono ad beneplacitum Omnipotentis.

CAP. XVII.

Superiores non facilè indiſcretionis arguendi; ab illis diſcenda voluntas Dei cum gaudio, ſive concedant, ſive negent aliquid.

FOrtè quiſpiam dicet: Superior non eſt ſatis diſcretus; ipſe non attendit; quare ego potiùs debeo hoc facere, quàm ille? habeo rationes, quare hoc vel illud mihi injungi vel prohiberi non debeat; ità efficiam, ut Superiores me gaudeant ab illâ obedientiâ eximere &c. verùm ad tales reſpondeo; ô vos inſenſati & tardi corde ad credendum & debitè æſtimandum meritum ultroneæ obedientiæ! quis vos conſtituit judices Superiorum veſtrorum? quomodò audetis tam facilè eos judicare; in quibus Chriſtum potiùs cogitare debetis, quàm ipſos? ſtultè loquimini; nónne cernitis vos velle reluctari voluntati Dei, quam per obedientiam certiſſimè cognoſcere

Superior non facilè arguendus.

Cæcitas aliquorum Religioſorum.

poteſtis & debetis? cogitationes veſtræ vergunt ad divertendum & immutandum divinæ circà vos providentiæ ordinem: quid ſtultius? quid periculoſius? ſic faciendo nunquàm internâ pace aut quiete fruemini; *Quis enim reſtitit Deo, & unquàm pacem habuit?*

Iob. 9.

Superiori rationes proponendæ cum indifferentiâ.

Quidem aliquandò licitum eſt Superiori ſuas rationes proponere; modò id fiat cum abnegatione ſui & plenâ reſignatione, cum magnâ indifferentiâ ad utrumlibet, itá ut æquè gratum ſit, quidquid Superior judicaverit, vel ordinaverit, ſive unum, ſive aliud, perindè ac ſi Deum per Superiorem loquentem audiretis: quòd ſi fortaſſis Superior aliquid contra vel præter intentionem ſeu inclinationem veſtram diſponat, vel inexſpectatò neget, cogitate jam tempus eſſe vos ipſos abnegandi, & proprio judicio ac voluntati renunciandi; gratias agentes Deo, & gaudentes, quia per vocem Superioris tàm certam divinæ voluntatis notitiam accepiſtis. Velletis fortè jejunare, Superior non permittit; velletis ſtudere, concionari, audire confeſſiones, & Superior non vult illis vos applicare; anhelatis huc vel illuc ire, illic vel iſtic habitare, tali vel tali munere

A Superiore cum gaudio diſcenda voluntas Dei, etſi neget aliquid.

nere fungi, ſed aliud ordinat Superior: nolite ideò turbari vel contriſtari, quin econtrà potiùs ſummè gaudeatis, quia per voluntatem Superioris deveniſtis in certam notitiam voluntatis Dei. Cavete proindè moleſtare Superiores, vel eos urgere ad aliquid aliud veſtro ſenſui conforme: alioqui enim in jejunio veſtro inveniretur voluntas veſtra; nec mereremini, nec Deo placeretis: fortè aliis prædicando, ipſi reprobi efficeremini per vanam præſumptionem, & veſtrî oblivionem in aliis delictis; fortaſsè confeſſiones aliorum excipiendo propriam conſcientiam intricaretis, vel per occaſionem in gravem aliquam tentationem incideretis & periretis; fortè huc vel illuc eundo incurreretis aliquod infortunium, vel proximum periculum peccandi; fortè per ſtudium ſcientia vos inflaret, & excellens doctrina vanitatem, & damnabilem præſumptionem animo veſtro inſtillaret, & charitatis Dei exſortes faceret, &c. & eccè benigniſſimus Deus, qui *Charitate perpetuâ dilexit vos*, vult per directionem Superiorum vos ab illis periculis, & occaſionibus malorum eripere, in quibus alioqui offenderetis, in vanum la-

Non ſunt moleſtandi Superiores pro aliquâ Obedientiâ.

Periculoſum operari cum extortâ Obedientiâ.

Deus liberat Religioſos à malo per Obed.

laboraretis, & forſitan finaliter periretis. Videte ergò quàm jure merito gaudere & exultare debeatis, quàm ſimpliciter Superiorum judicio acquieſcere, cum quantâ reſignatione & indifferentiâ eorum ordinationes exquirere, veſtras rationes (ſi expediat) proponere; & eorum reſolutionem exſpectare ac amplecti oporteat; nè alioqui vos in baratrum malorum per intruſionem propriæ voluntatis labi contingat; imò quò rationabilius vobis videtur id, quod requiritis, vel deſideratis, ſi per obedientiam impediatur, vel negetur; eò magis gaudete, & exultate, cogitantes v. g. ſi eſſem mei juris, mihi perſuaderem, hoc vel illud eſſe omninò rationi conſonum, mihi ſalutare, & conforme beneplacito Dei, cùm tamen non ſit, prout nunc à Superiore diſco, per quem Deum loquentem audio, cùm Chriſtus dicat Superioribus, *Qui vos audit, me audit*: quocircà gratias ago Deo meo, qui dignatur mihi per Superiorem ſuam voluntatem manifeſtare. Ecce ſi ſub obedientiâ non viverem, putarem me ſtudendo, concionando, infirmos viſitando, confeſſiones audiendo, inter homines converſando &c. ſacrificium

Quò rationabilius videtur aliquid, ſi Superior neget, magis gaudendum.

præ-

præſtare Deo; vel ſaltem forem anxius, an rem Deo gratam facerem, iſta præſtando vel non præſtando; & ut video ſub ſpecioſo prætextu zeli animarum vel alio, à voluntate Dei toto cœlo aberrarem; ecce enim, Deo laus, infallibilis regula obedientiæ meum dubium ſolvit, meam opinionem refellit, cùm ex illâ certò cognoſcam voluntatem Dei, ut hoc vel illud faciam vel omittam; & verò, eſto quòd Superior erraret, ego tamen illi ſimpliciter obediendo non poſſum errare, quin faciam voluntatem Dei ſaltem formaliter, id eſt, quin faciam id, quod prudenter exiſtimo & judico Deo placere, ac ejus eſſe voluntatem; ac proindè, etſi materialiter non eſſet voluntas Dei, habebo meritum adimpletæ formaliter voluntatis Dei; nec in eo errare poſſum quàm diu Superior non præcipit aliquid apertè malum, nec prohibet apertè bonum graviter præceptum: ô quanta conſolatiò! ô quanta ſecuritas!

Obedientia eſt regula infallibilis.

Eam faciendo non poſſumus errare, etſi Superior erraret.

CAP.

CAP. XVIII.

Religioſus ſequens obedientiam rectè vadit ad Deum, eſtque illi ſemper benè.

Obediens habet in ſe regnum Dei.
Sap 10.
Rom. 14.

Religioſus ſimpliciter ſequens ductum obedientiæ, ecce, ingreditur viam pacis; talem *deducit Dominus per vias rectas* obedientiæ, & *oſtendit illi regnum Dei:* quid eſt regnum Dei? ex mente Apoſtoli, *regnum Dei eſt juſtitia, & pax, & gaudium in ſpiritu Sancto.* Hujus regni poſſeſſionem aggreditur Religioſus, qui ſe divinæ voluntati per Obedientiam cognitæ conformat; etenim quis juſtior, quàm qui Deo, & Superioribus humilem & ſimplicem exhibet Obedientiam? quis majori fruitur pace & internâ quiete? quis habet potiorem occaſionem gaudii ſpiritualis, quàm qui in omnibus ſequitur & exequitur voluntatem Dei, quæ eſt regula perfectionis? Ubicumque fuerit, *dicite ipſi quoniam benè, non contriſtabit ipſum, quidquid acciderit ei.* Si per directionem Obedientiæ fuerit in hono-

Obedienti eſt ſemper bene.
Prov. 12.

honore, *dicite illi, quoniam benè*, certò enim confidere poteſt ſibi à Deo gratiam concedendam, quâ fiet, ut honore non abutatur, in quo per Obedientiam eſt conſtitutus. Si relinquatur in angulo incognitus, nec multùm honoratus; *dicite illi, quoniam benè*; firmiter enim credere debet, quòd divina providentia talem ſtatum ut illi magis ſalutarem providerit & ordinaverit, quodque ſtatus honorabilior ipſi non conduceret ad ſalutem, ſed benè conditio humilis ſubditi. Si talis à Superioribus ponatur in aliquo officio, vel ſi ipſi imponatur munus concionandi, confeſſiones audiendi, infirmos viſitandi, vel alia exteriora negotia gerendi; *dicite illi, quoniam benè*; nec habet, quod timeat; nam gratiam inveniet, quâ officio ſuo ritè fungatur, quâ verbum Dei ſeminando fructificet, ſine læſione conſcientiæ confeſſiones audiat, ægrotos efficaciter conſoletur, in externis negotiis ſui non obliviſcatur, nec ſe nimiùm extrovertat: cùm enim ſimpliciter obediendo adimpleat in iſtis voluntatem Dei, qui ipſum per Superiores ſimilibus applicare vult, habet quoddam quaſi jus ad gratias actuales neceſſarias ad talia munia ſalubriter obeun-

Benè in honore.

Benè in deſpectu.

Benè in officio vel aliis function.

Obediens habet jus ad gratiam Dei.

beunda: quippè cùm Deus elevaverit & ordinaverit hominem ad finem ſupernaturalem, & præcepta ac conſilia ſua diſpoſuerit tanquam media tali fini proportionata, quæ proindè ſimiliter debent eſſe ſupernaturalia; clarè ſequitur, quòd Deus ſemper ſit paratus dare auxilium ſuæ actualis, prævenientis & coôperantis gratiæ, quò fiat, ut obſervantia mandatorum, ac ſalubrium conſiliorum ejus ſit opus ſupernaturale, & conſequenter medium proportionatum iſti fini ſupernaturali; quandoquidem ſine gratiâ Dei nullum opus poſſit eſſe ſupernaturale, & conſequenter nec proportionatum vitæ æternæ: quòd ſi Deus non eſſet paratus tale auxilium gratiæ nobis concedere, obſervatio mandatorum & conſiliorum ejus non eſſent media proportionata; ac conſequenter Deus nobis mandando vel conſulendo per talia media tendere ad finem ſupernaturalem, nobis mandaret & conſuleret impoſſibilia, perindè & multò amplius, ac ſi præciperet vel conſuleret nobis volare ſine alis, incedere ſine pedibus, &c. quod impium eſt vel ſolùm cogitare.

Deus eſt paratus dare gratiam ad opera Obedientiæ.

Deus dat gratiam ad opera, quæ præcipit ad ſalutem.

CAP.

CAP. XIX.

Felicitas Religioſorum ex eo, quòd ad omnia opera Obedientiæ paratam habent gratiam Dei, non ità ad alia.

EX jam dictis colligere licet maximam felicitatem & prærogativam Religioſorum à Deo verè vocatorum; cùm enim divina bonitas omnes obſervantias votorum, Regularum & Conſtitutionum etiam minimarum, ordinaverit tanquam opportuna media ad conſequendum ſupernaturalem eorum finem; certum eſt ad ſingula opera talium obſervantiarum paratam eſſe actualem aliquam gratiam, quatenùs per coöperationem illius fieri queant ſupernaturalia & meritoria vitæ æternæ: quocircà feliciſſimi hîc ſunt fideles Religioſi, qui in omnibus etiam minimis, promptè & punctualiter adimplere ſatagunt Obedientiam; à qua ſi fortè per luſum propriæ voluntatis eos contigerit declinare, illicò vel ex toto, vel ex parte amittunt jus ſuum

Religioſi habent gratiam ad omnes actus regular.

Felicitas Religioſi Obedientis.

ſuum ad illas gratias; quis enim illis promittere audeat divinæ gratiæ auxilium ad opera contrà vel præter voluntatem Dei exercita, ſeu, quæ Deus ab eis non requirit? hinc verificatur commune illud axioma Sanctorum Patrum. *Diſplicet Deo quidquid feceris, neglecto eo, quod debes*; neque hoc mirum eſt; cùm enim id omne, quod ex inſtinctu propriæ voluntatis contrà vel præter voluntatem Dei fit; à Deo non ſit ordinatum ad finem noſtrum ſupernaturalem, non eſt veroſimile, quòd Deus largiatur ad hoc ſuam gratiam; quin potiùs eam negat, ſubtrahit, atque ſic opera iſta Deo diſplicent vel ſaltem non placent, utpotè vitiata in radice propriæ voluntatis, aliiſque imperfectionibus permixta. Non eſt etiam dubitandum, quin Religioſi frequenter multùm demereantur per ſuas negligentias, per acediam, per culpabilem agendorum ignorantiam, & alios defectus; ità ut Deus ratione, & in pœnam illorum ipſis ſæpè neget aut ſubtrahat, ſeu non det gratiam prævenientem, & coöperantem ad communia opera Regularis vitæ & Obedientiæ, ad quam alioqui juſtam prætentionem habebant vi gratiæ vocationis ſuæ, quæ tale jus con-

Diſplicet Deo quod fit cum præjudicio Obedientiæ.

Religioſi tepidi demerentur gratiam.

Gratia vocationis connotat multas.

Digitized by Google

connotat, & involvit. Hoc tamen jus ad illas gratias actuales per negligentias & alias imperfectiones amiſſum recuperare poſſunt per pium ac devotum uſum Sacramentorum, per aliquem actum puri amoris Dei ſuper omnia, per actum contritionis perfectæ, vel profundæ humilitatis, &c.

Recuperatur jus ad gratias.

O utinam omnes Religioſi hoc debitè conciperent, & penetrarent! quàm fideliter & punctualiter Obedientiæ directionem ſequerentur! probè *ſcientes, quia ſic labor eorum non eſſet futurus inanis in Domino.* Quomodò abhorrerent ab inſtinctu propriæ voluntatis; ſcientes, quia hæc omnem eorum laborem reddit infructuoſum! quis vel tantillùm illuminatus non lamentabitur maximam partem hominum; utinam non etiam Religioſorum! in vanum laborare, laſſari, & turbari circa plurima, cùm tantummodò unum ſit neceſſarium & ùtile, nimirùm perfectè adimplere voluntatem Dei cognitam, præſertim per Obedientiam; equidem nónne verum eſt magnam partem etiam Religioſorum operari conformiter inclinationi & ſuggeſtioni propriæ voluntatis? quàm pauci ſe ſinunt ſim-

1. Cor. 15.

Plurimi Religioſi in vanum laborant.

Unum eſt neceſſar. implere voluntatem Dei.

ſimpliciter duci ab obedientiâ? quàm multi eam non ſubterfugiunt, vel ſupinè negligunt; per importunitatem aliam à Superioribus extorquent, vel etiam aliqua facienda aggrediuntur & plurimis ultrò ſe ingerunt contrà vel præter voluntatem Superiorum, idque ſecundùm impetum propriæ phantaſiæ & ſenſualitatis? quod dum contingit in rebus magni momenti, vel undè multa dependent in decurſu vitæ, v. g. ſi juvenis Religioſus ſtudiis applicatus, ea negligat, vel ex culpâ propriâ illis privetur, ac proindè incapax maneat ad Ordini ſerviendum in illis, ad quæ à Deo talentum acceperat; ecce contingет, quòd fermè tota ejus vita inficiatur venenoſâ radice propriæ voluntatis, ſicque in vanum & ferè ſine ullo merito laboret; quia nimirùm propter illam culpabilem incapacitatem jam omninò aliis occupatur & applicatur, quàm ſi talentum à Deo acceptum non fodiſſet in terrâ, eique juxtà ductum obedientiæ fideliter coöperatus fuiſſet: quis enim non videat talem divinæ providentiæ circà ſe ordinem per ductum propriæ voluntatis invertiſſe; & per alia media ad ſalutem velle pervenire, quàm ei Deus ordinaverat?

Propria voluntas Religioſo periculoſiſſima in rebus magnæ conſequẽtiæ.

Aliqui totâ vitâ faciunt propr. voluntat.

Invertũt ordinem divinæ provid.

verat? quis hîc meritò non dubitet, an talis, etſi videatur fortaſſis multùm operari & fatigari, habeat gratiam Dei ad manum, & conſequenter an aliquid mereatur? ecce enim in planè aliis occupatur contrà & præter ordinem divinæ circa ipſum providentiæ.

Et verò hæc eſt ratio, cur tàm pauci proficiant in viâ perfectionis, etiam poſt plurimos annos in Religione tranſactos, ſemper manentes æquè ſenſuales, curioſi, tepidi, immortificati, fragiles in occaſionibus, facilè victi tentationibus, non habentes cor gratiâ ſtabilitum; ſemper æquè alieni a vitâ verè ſpirituali, & internâ, exiguum guſtum in Deo habentes, extroverſi ad creaturas; ſicque indies potiùs deficiunt, quàm proficiant: nec mirum; hærent enim in naturâ immerſi, extra voluntatem Dei; undè fit, ut parùm vivant in Deo, exiguum influxum habeant divinæ gratiæ, in agendis, pro tentationibus ſuperandis, pro naturâ mortificandâ, pro vitiis exſtirpandis, pro virtutibus exercendis; atque ſic adhuc totaliter vivunt in ſeipſis, & propriis ſenſualitatibus.

Cur tam pauci fiant perfecti.

Imperfecti manent quia ſequūtur propr. voluntat. non Dei.

CAP.

CAP. XX.

Qualis debeat eſſe obedientia, ut ſit Deiformis.

Studendum praxi volunt. Dei per obedient. perfectam.

QUid igitur facto opus? quiſque ſtudeat adimpleri cognitione practicâ divinæ voluntatis per ſimplicem, reſignatam & indifferentem obedientiam cum plenâ abnegatione ſui, indifferenter ſine electione, reſignatè ſine exceptione, ſimpliciter ſine diſcuſſione: quiſque attendat unicè ad beneplacitum Dei, illudque ſemper & ubique inſtar canis venatici avidè exploret, & inſequatur; olfacto autem vel de longè ejus veſtigio, ſequatur fideliter & currat infatigabiliter, donec comprehendat & opere compleat.

Religioſi indubitáter in omnib. poſſunt ſcire volunt. Dei, in ordinariis.

Sanè non video hîc quidpiam ambigendum; Religioſi enim in rebus ordinariis nullam habent rationem dubitandi, cùm in illis vel neceſſitas, vel charitas, & præcipuè obedientia illis, etiam in minimis agendis vel omittendis detegat veſtigium divinæ voluntatis & beneplaciti; in extraordinariis autem nulla ſubeſt occaſio dubitandi, nam ad extraordi-

Digitized by Google

traordinaria etiam extraordinaria deſiderantur indicia, quæ paucis conceduntur. Porrò ſi Religioſus ſeſe gerat & accommodet vitam ſuam juxta jam dicta, vivit feliciſſimè in continuâ ſui abnegatione, confidit ſe plenariè divinæ providentiæ per Superiores agenti; affectu & effectu conformis eſt divinæ voluntati; ſicque ducit vitam verè Deiformem cum intentione Deiformi, nihil volendo, nihil agendo, niſi quod prudenter putat & certò credit Deum velle, ac Deo placere.

Religioſus obed. ducit vitam Deiformem.

Adeoque nihil ſupereſt, niſi ut etiam in modo agendi fiat Deiformis, quem modum paulatim meliùs diſcet, & ſervabit, ſi omni cuſtodiâ ſervans cor ſuum, aſſiduè attendat ad acquirendam magnam cordis puritatem, & ſic magis aſſueſcat auſcultare internis inſpirationibus, & directioni divini Spiritûs; ille ipſum docebit omnia, & ſuggeret illi omnia agenda & omittenda; & inſtar fideliſſimi pædagogi ipſum velut manu ducet, per internas monitiones, correptiones, reprehenſiones etiã in minimis, & de minimis; quibus ſi morem gerat, & vitam ſuam conformet, indubiè aſſueſcet omnia ſua peragere modo valdè perfecto & divino, vel potiùs

Modus Deiformiter agendi quomodò acquiratur.

Spiritus S. quaſi pædagogus auſcultandus, ut Deiformiter vivamus.

Deo in ſe & per ſe operanti perfectè coöperabitur, nec quidquam attentabit aut faciet ſine directione Spiritûs. Si quis tam purè, tam ſincerè, tam unicè, tam ab omni proprio intereſſe, & ab omni propriâ voluntate impermixtè, Deo intendat & ipſum cordi habeat, eccè, is ducit vitam myſticam, internam, Deiformem, & conſequenter verè Carmeliticam, quippè totis viribus, & perfectiori quo poteſt modo ſatagit ſe in Deo, & cum Deo occupare (*quæ eſt pars Carmelitarum optima*) non obſtante fortaſſis, quod rarò, vel nunquàm ſciat loqui experimentaliter de raptibus, exſtaſibus, aut extraordinariis illuſtrationibus, internis conſolationibus, aut ſupereffluentiâ tenerrimi amoris Dei & ſimilibus; hæc enim magis ſunt in affectu, nec ſtabiliter manent in animâ; conformitas autem vitæ cum beneplacito Dei cernitur in effectu & praxi, ac cauſat ſtabilem exſtaſim, ſeu habitualem à ſeipſo, & omnibus aliis abſtractionem, alienationem, abnegationem, indifferentiam; & conſequenter poteſt perſeverare in ſtatu ariditatis, tam benè, ac in ſtatu dulcedinis; ab utroque enim abſtrahit; & in utroque Deiformiter vivit.

Quid ſit myſticè vivere.

Ad hoc non requiruntur raptus, illuſtrat. extraord. &c.

Optima exſtaſis obedientia perfecta.

CAP.

CAP. XXI.

Conformitas cum voluntate Dei eſt facilis animæ in fide exercitatæ & Deum amanti; in quali etiam eſt regnum Dei.

SEnſu dicto, Deiformiter vivere, eſt facilè animæ benè verſatæ in primâ parte noſtræ Theologiæ myſticæ, ſeu in fide divinæ præſentiæ in omni loco & re: quippè hæc fides adducit paulatim majus lumen, & clariorem cognitionem Dei; quæ cognitio quò magis creſcit, eò magis detegit infinitam ejus bonitatem, & conſequenter accendit in animâ puriſſimum, ac tenerrimum amorem; neque enim poteſt in intellectu eſſe viva & clara cognitio ſupremi & immenſi Boni, niſi ſimul in voluntate accendatur & ardeat amor proportionatus ergà illud; nam voluntas ex naturâ ſuâ ſuaviter fertur in bonum ſibi vivâ cognitione propoſitum. Quid tùm? qui alterum tenerrimè diligit, conatur illi in omnibus placere, cavet illi vel in minimo diſplicere,

Fides ſeu cognitio Dei præſentis gignit amorem.

Ex amore cõformitas in volũtate cum volunt. Dei.

Digitized by Google

diſplicere, eſt ſollicitus, ut ſe alterius voluntati conformet; amor enim ſuâpte naturâ tendit ad unionem: eodem modo, qui non ſolùm habitualiter, ſed etiam ferè ſemper actualiter credit, & cogitat Deum ſibi ubique & in omnibus præſentem, & omnia operantem in omnibus, & in ipſum fortiter & ſuaviter fertur puro & impermixto amoris effectu, ſtudet in omnibus divino ejus beneplacito perficiendo, nollet eum vel ob vitam, vel ob mortem voluntariè in aliquo offendere; amor enim divinus tendit ad unionem voluntatum animorum, ſeu ad amantis in amatum transformationem: ità ut anima amoroſa quodam ſenſu ſecundùm intellectum & voluntatem in Deum transformata, unus cum eo ſpiritus fiat, & alter ego. In hac amoroſâ unione omnia inter amicos, inter animam, inquam, & Deum ſunt communia; undè Sponſa dicit in canticis, *Dilectus meus mihi, & ego illi*: tunc anima fit tota divina, & quodammodò Deificatur: *Qui* enim ſic *adhæret Deo, unus ſpiritus fit cum eo*, nimirùm per quamdam illiquationem animæ in Deo vi ſuaviſſimi & tamen ardentiſſimi amoris; de talibus verificatur, *Ego dixi, dii eſtis*

Amor tendit ad unionem voluntatum.

Transformatio animæ in Deum quomodò fiat.

Cant. 2.

Pſ. 81.

eſtis, & filii Excelſi omnes: & cùm ab Pſ. 81.
univerſali bona ſit conſequentia ad ſingularia in univerſali incluſa, poteſt de ſingulis in ſenſu accommodo verificari, *Ego dixi, Deus es tu* &c. nimirùm per aliquam imitationem, per gratiam amoris unitivi, quo anima velut in Deum transformatur, & Deificatur. Tunc anima à Spiritu divino quaſi poſſeſſa, non minùs (ut ità dicam) quàm corpus ab animâ, jam non ità eſt ipſa, quæ operatur, quàm benè Deus in ipſâ, & per ipſam, & cum ipſâ; nam *Pater* cœleſtis *in eâ manens ipſe facit opera:* jam non eſt ipſa, quæ loquitur, *Sed Spiritus Sanctus, qui loquitur in illâ:* tùm in eâ regnat Dilectus ejus, omnia in eâ dirigens juxta conſilium beneplaciti ſui, abſque ullo impedimento ex parte illius; ità ut verè regnum Dei ſit intrà illam; pro cujus regni poſſeſſione præcipuè nos Carmelitæ intelligimur, & obligamur orare, dùm dicimus, *Adveniat regnum tuum:* hoc verò regnum pro poſſibilitate noſtrâ ſtabilimus, dùm omnem adhibemus conatum ad repellenda ex nobis omnia impedimenta divinæ gratiæ, & ſatagimus divino Spiritui ſubjicere omnes animæ potentias,

Per amorem unitivum.

In animâ transformatâ Deus omnia agit non ità ipſa.

Ioann. 14. Matt. 10.

Regnum Dei in animâ trãsformatâ.

Quomodò regnum Dei in nobis ſtabiliendum.

eas ſubdendo plenariæ ejus directioni.

O quàm purè talis anima novit vacare Deo! quàm ſuaviter in eo quieſcit! quàm divinam ducit vitam! quippè acquiſitâ firmâ habitudine, ſeu habitu fidei, & perfectæ Charitatis, eſt ipſi quaſi impoſſibile non cogitare de Deo, & non ipſum amare ex toto corde, ex totâ animâ, ex totâ virtute: nec mirum; nam conſuetudo eſt altera natura; atque hoc ſenſu fit ipſi quaſi eſſentiale, ſeu naturale vacare Deo, & ſuavi neceſſitate, ſive coactione, & forti, attamen ſuavi, inclinatione fertur ad ſuum unicum Dilectum, ad ſuum Omne, ad Deum, inquam, tenerrimo amore amplexandum, ad ei ſoli adhærendum, ad ſe totaliter in eo immergendum; & ex animo deſiderans aliis communicare ſuam felicitatem, ac eos in Deo occupare, unumquemque ad hoc invitando dicit: *Vatate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus.* Porrò talis anima hanc felicitatem pro maximâ parte nanciſcitur per adminiculum ultroneæ obedientiæ, cognitæ per Regulam, per Conſtitutiones, per præcepta vel juſta conſilia Superiorum; novit enim ſe non poſſe certiorem, quàm indè, habere notitiam divini beneplaciti.

Anima aſſueta quaſi naturaliter in Deum fertur, id eſt, ex habitu.

Pſ. 33.

CAP.

CAP. XXII.

Inſtructio ad conformitatem cum voluntate Dei in communiter accidentibus, ut quis in illis maneat quietus.

QUantùm attinet ad alia communiter accidentia, quæ ex divinæ providentiæ diſpoſitione aliquibus eveniunt, anima Deum amans & contemplativa, ſtatim omnia demergit in inexhauſto oceano Divinitatis; ibi omnium obliviſci, ibi omnia ſepelire, & hoc ſenſu in Deo omnia annihilare ſatagit: idcircò quæcumque difficilia, quæcumque triſtia, quæcumque infortunia ab illâ in Deo ſic relicta, oblivioni data, in divinâ providentiâ conſiderata, in ſuâ origine, in ſuo centro, in Deo, inquam, qui eſt centrum & origo omnium creaturarum, accepta, non videntur ipſi difficilia, triſtia, vel infortunia; eò quòd firmiter confidat iſta à Deo permitti in majus bonum, reſpectu cujus non merentur æſtimari gravia, triſtia, vel infortunia;

Quomodò cōmuniter accidentia in Deo annihilanda ſint.

Sic annihilata non videntur difficilia, vel infortunia.

deindè in Deo conſiderata non gravitant, ſicut ſitula aquæ in aquâ non gravitat; id eſt, non videntur illi gravia: quocircà etſi audiat peſſima nuntia, caſus lamentabiles, domos incendio perire, patriam vaſtari, amicos mori, & ſimilia, non turbatur, parùm aut nihil contriſtatur; nam per ſimplicem reflexionem ad divinam providentiam ſimilia permittentem, aut fortiter & ſuaviter omnia diſponentem ad fines optimos, etſi ſibi ignotos, committit ipſi omnia, relinquit in ipſo omnia ſine diſcuſſione, ſine curioſitate, & reſignat ſe totaliter, ac ſimul ſuum judicium & voluntatem in judicio & voluntate Dei, probè ſciens, quia *Non eſt malum in civitate, quod non fecit Dominus*: imò quod nè vel folium ex arbore decidat ſine voluntate Patris cœleſtis.

Sicut ſitula aquæ in aquâ non gravitat.

Anima omnia Deo committit.

Amos 3.

Quantò anima in hoc exercitio fit expertior, tantò in ſe fit immutabilior, & tranquillior in Deo, quidquid evenerit; dum etiam ſecundùm Deum & conformiter rectæ rationi orat pro aliquâ re, pro avertendis malis, pro obtinendis bonis, id facit cum plenâ reſignatione, & indifferentiâ,

Anima conformis volũtati Dei fit quaſi immutabilis.

Digitized by Google

tiâ, æquè gratum habens ſive exaudiatur, ſive non: ſi oret pro re magni momenti, pro perſeverantiâ alicujus in Religione, pro ſanitate aliquorum, pro neceſſitatibus Eccleſiæ vel Patriæ, pro quibus novit à plurimis, etiam ſanctis animabus ferventer orari, & plurima bona opera fieri ſine deſiderato ſucceſſu, non ideò triſtatur; quin potiùs gaudet indè cognoſcere beneplacitum Dei, quòd non obſtantibus tot piorum orationibus & bonis operibus, Deus non judicet expedire id quod petitur; quod ipſa accipit pro ſigno notorio, quòd in oculis & æſtimatione Dei aliud ſit melius ob rationes ipſi notas, quibus ipſa ſimpliciter acquieſcens laudat, benedicit, adorat, reveretur ipſum in omnibus, ac honorat in ſuis occultis judiciis; neque eſt curioſa, ut ſcrutetur vel ſciat rationes divinæ providentiæ, aſſueta ſæpiùs cogitare, & ſubindè dicere: ô ſi ſemel liceret contemplari in ſpeculo divinæ Sapientiæ! ô ſi nobis concederetur legere in libro arcanorum Dei! quomodò ſtaremus attoniti! quomodò miraremur pulcherrimum ordinem divinæ providentiæ! quàm

Modus ejus orandi.

Deiformis anima non triſtatur etſi nō exaudiatur.

Reſignat ſe & committit omnia Deo.

Modus ejus loquendi de provid. Dei.

Digitized by Google

benè fundatas rationes omnium rerum à Deo permiſſarum ibi legeremus ! ibi clariſſimè pateſceret, quâ de cauſâ Deus hoc vel illud permittat, hoc vel illud non permittat; v. g. juſtos affligi, innocentes opprimi, nocentes dominari, iniquos proſperare &c. reverà ſuo tempore videbimus, quomodò Deus omnia diſponat, & permittat intuitu & ex amore ergà electos, ut verificetur illud apud Jeremiam, *Charitate perpetuâ dilexi te*: atque hoc modo anima amoroſa relinquit omnia in Deo indiſcuſſa, non judicata, ſine inquiſitione, cum magnâ abnegatione ſui, cum profundâ humilitate & ſimplicitate cordis, *Sentiens de Domino in bonitate*; ſicque jactat ſuper Dominum omnem curam ſuam, confidens fore, ut paternè enutriat omnes, qui ſperant in eum: ac tali modo manet ſemper quieta, in Deo optimè contentata, & tranquilla, quidquid ipſi vel aliis evenerit; ſolummodò attendit, ut ſciat, quid conformiter Dei beneplacito liceat vel oporteat, vel poſſit & debeat agere, vel omittere, permittere, vel impedire; in quo dum juxtà conſcientiæ dictamen pro viribus ſuæ obligationi ſatisfecit, de

Deus omnia fecit propter electos.

Jerem. 31.

Anima Deiform. ſemp. quieta.

Sap. 1.

Attendit ſoli beneplacito Dei.

cætero

Digitized by Google

cætero committit omnia divinæ providentiæ, rata equidem fruſtraneum eſſe, inquietari, vel turbari in illis, quæ ab ipſâ non pendent, & à Deo ad fines ipſi notos permittuntur, præſertim cùm omninò ſit rationabile divinæ in omnibus diſpoſitioni tanquàm optimæ acquieſcere. *Omnia Deo committẽda.*

CAP. XXIII.

Deiformis anima ſe totaliter Deo committit, non ſine difficultate in principio.

QUantò ſit anima perfectior in virtutibus, & gratiâ, tantò magis appropinquat ſtatui Beatorum in cœlo, qui nullis caſibus, nè quidem damnatione proximorum amicorum inquietantur, aut contriſtantur; quippè æquè diligunt, venerantur, adorant juſtitiam Dei, ac miſericordiam; cùm benè ſciant Deum omnia facere, vel permittere juxta dictamen rectiſſimæ & juſtiſſimæ rationis, clarè videntes, & experimentaliter, ut ità dicam, cognoſcentes, quia Deus *Eſt ſanctus in omnibus operibus ſuis*; idcircò ſuum judicium divino, *Beati nullâ retriſtantur.*

ſuum beneplacitum divino, quàm poſſunt perfectiſſimè conformant. Porrò anima perfecta ſummè conatur beatos in hoc imitari, ac licèt in hac mortali vitâ, in corporis adhuc ergaſtulo conſtitutá comprehendere nequeat rationes divinæ Sapientiæ; ſciens, quia *Illa oculta eſſe poſſunt, ſed injuſta eſſe non poſſunt*; reveretur & adorat eas humiliter, ac ſentit & loquitur de illis cum reverentiâ; ſeque divinæ diſpoſitioni in omnibus tam ipſam, quàm alios concernentibus plenariè committit in tempore & æternitate ſine electione, aut differentiâ. In hoc autem continuò exercet perfectiſſimam ſui abnegationem, & annihilationem, non ſine anguſtiis ſummis in ſpiritu; eò quòd natura ad tantam incertitudinem, ad tam indifferentem in Deum reſignationem ſe reſolvere nequeat: præſertim dum pars inferior, imò ſubindè etiam ſuperior, ſibi relicta, ſine actuali experientiâ gratiæ Dei, ſeu gratioſæ Dei præſentiæ in ſe; dùm, inquam, in ariditate cordis, in obſcuritate mentis à Deo relinquitur, nec ullâ gratiâ experimentaliter fovetur: tunc enim animæ in puris naturalibus

Anima Deiformis imitatur beatos, ut in nullâ re triſtetur.

Se in omnib. Deo cõmittit etiam in æternitate.

Naturæ difficile eſt in talem reſignationem cõſentire.

bus (ut ità dicam) ſecundùm ſenſibilitatem conſtitutæ adveniunt quaſi anguſtiæ mortis vel ex ſolâ cogitatione ſeu reflexione ad totalem illam ſui annihilationem, ſeu abnegationem, ad perfectam illam ſui in providentiâ divinâ reſignationem abſque ullo fulcimento alicujus certitudinis, abſque ullâ electione alicujus rei in tempore vel æternitate. In quibus antequàm anima habitualiter fiat exercitata, antequàm hanc difficultatem perrumpere, & ſuperare poſſit, multo agone opus eſt: natura enim ſemper quærit aliquam certitudinem, cui innitatur; & pauciſſimi à ſeipſis ità denudantur, alienantur, & ab omni proprio intereſſe expediuntur, ut omnem curam ſui pro tempore & æternitate ſuper Dominum jactare poſſint, perindè ac ſi non eſſent, vel nunquàm fuiſſent.

Totalis ſui reſignatio & abnegatio.

Natura quærit certitudinem.

Porrò dum anima ſpeciali Dei gratiâ roborata ſeſe ad hoc reſolvit, & hujus reſolutionis habitum ſeu conſuetudinem acquiſivit; videbis eam in ſe ipſâ omninò abnegatam, & annihilatam, ac in Deum quodammodò transformatam, profundè humilem, mortificatam, ſedatam, tranquillam, manſuetam,

Anima habitualiter ad omnia reſignata deſcribitur.

Digitized by Google

ſuetam, accommodabilem, benignam, conſtantem in bono, eò quòd ſine ullâ reſervatione, ſine ullo timore, *Jactet ſuper Dominum, omnem cogitatum ſuum*; ſeſe illi ex integro confidens, jugiter intepta & cum humilitate præſtolans, quid Deus in ipſâ, per ipſam & cum ipſâ operari deſideret, aut circà ipſam ab æterno diſpoſuerit, aut decreverit: dum talis ſe dat orationi, plerumque orat ferè hoc modo; *O Domine Deus meus, ſi quid ſit in tuâ providentiâ me, vel hunc, vel illum, vel hoc vel illud concernens; ſi quid decreveris, hoc, quæſo, tu operare, vel permitte hoc fieri, ſicut noſti, ubi & quandò Majeſtati tuæ placuerit, & quomodò tibi viſum fuerit: eccè illud idem, quod tu vis, & eo tempore, & loco, & modo, quo tu vis; etiam ego volo, & non aliud, nec aliter. Paratum cor meum Deus, quia ſervus tuus ſum ego, & filius ancillæ tuæ, Matris, inquam, tuæ amabilis. Eccè commendo tuæ infinitæ Bonitati hoc vel illud, ſicut vis illud à me tibi commendari; quòd ſi decreveris hoc concedere, illud permittere, illud impedire &c. mediantibus*

Modus orandi animæ ad omnia reſignatæ.

tibus meritis Sanctiſſimæ Matris tuæ, vel mediante interceſſione illius, vel alterius Sancti tecum regnantis, vel adhuc in hâc vitâ militantis, obſecro, merita iſta applicentur; fac ut amabiliſſima Mater tua, vel alii Sancti ad tuam Bonitatem deprecandam, ad iram tuam placandam &c. intercedant; & ſi vis, eos ad hoc interpello, quantùm vis, & ſicut vis. Hoc facto anima omnia Deo committit, æquè gratum habens quidquid evenerit: ô quàm felix eſt talis anima, quæ ſic omnia, caſuſque omnes omni tempore & loco ſine exceptione aut differentiâ novit in Deum referre, in Deo velut in centro rerum omnium dimittere, ac in divinâ ejus ſimplicitate immergere, & annihilare! verè nihil eſt, quod illi nocere, illam inquietare, diſtrahere aut multiplicare, vel extrovertere poſſit; in Deo enim manet occupata, abſorpta, perdita, ſive annihilata, & unus ſpiritus facta cum eo.

Felix anima omnia Deo committens.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXIV.

Qualibet accidentia, & creaturæ extra Deum conſideratæ, diſtrahunt & turbant; ſecùs conſideratæ in Deo.

Creaturæ extra Deum cōſideratæ diſtrahunt, & turbant animam.

DUm anima conſiderat aliquam creaturam aut caſum extra Deum, oritur in ipſâ intricata diſtractio, & difficilis multiplicitas, cauſans in illâ mille phantaſmata & cogitationes, innumeras turbationes & inquietudines mentis circa plurima præterita, præſentia & futura, aut etiam circa merè poſsibilia, quæ nunquàm erunt: nec mirum; omnia enim iſta extra ſuum centrum, extra originem ſuam & finem, extra Deum, inquam, tracta & accepta incipiunt gravitare; ſicut ſitula aquæ extra aquam attracta gravitat. Hinc cauſantur in animâ millenæ inquietudines, gemitus & lacrymæ; hinc tranſeunt multæ noctes inſomnes cum multis anguſtiis, & inſanabilibus cordis afflictionibus; etenim attendit creaturas extra Deum,

Quia extra centrū ſuum gravitant.

Deum, prout ſunt in ſe ipſis, quæ, cùm ut ſic ſint multæ, & habeant reſpectum ad invicem, non poſſunt minus, quàm animam multiplicare, ſeu multipliciter afficere, diſtrahere, obruere & inquietare: prout hoc ad oculum patet in hominibus immortificatis, qui ſeipſos in omnibus quærunt, proprias commoditates & cupiditates ſequuntur, qui in ſpiritualibus parùm vel nihil verſati, rarò ſeſe ad Deum seriò convertunt; hos enim videre eſt frequenter turbari, contriſtari, variis deſideriis agitari, timoribus concuti, variis imaginationibus repleri, mille ſuſpicionibus ferri, judiciis temerariis exerceri, & vix ad horam poſſe quieſcere & tranquillitatem animi ſervare. De his intelligitur illud Sapientis, *infinitis ſe miſcent quæſtionibus*; & illud Prophetæ, *verumtamen fruſtrà conturbatur omnis homo*. Siquidem ſi aſſueſcerent quaſcumque creaturas, quæcumque accidentia ad Deum referre, & in Deo velut in centro conſiderare, potiùs Deum internis oculis in illis contemplando, quàm ſenſus externos & cogitationes ad creaturas convertendo, indubiè in ſtabili animi tranquillitate perſe-

Immortificati ſemper turbati, quia extra Deum omnia accipiunt.

Eccleſ. 7.

Pſ. 38.

Omnia in Deo conſideranda.

ſeverarent, & in ſimplicitate cordis Deo intenti manere poſſent toti quieti, & ferè immoti; aliter verò facientes nullam requiem inveniunt, quocumque ſe verterint; diſperguntur enim ſenſus illorum circà res creatas quaſi extra Deum diſtractas, & quia ut ſic extrà ſimplicitatem Dei extrahuntur, anima circà illas variè diſtrahitur.

Modus omnia in Deo dimittendi.

Quocirca hoc ſerviat animæ ſincerè Deum quærenti, & ad vitam internam ſeu myſticam aſpiranti pro regulâ generali; nimirùm, ut quidquid videt, audit, obvium habet, aut cogitat, vel intelligit, aſſueſcat illicò in Deo dimittere, & inibi ſuaviter amittere, ſuſpendendo omnes potentias ſenſitivas à ſuis operationibus, quantùm poteſt, idque ſine vehementiâ vel violentiâ, modeſtè & tranquillè: nam quamdiu relinquit ſic omnia in Deo, vel ea in ipſius providentiâ, in ejus omnipotentiâ, in ejus voluntate, ſaltem permiſſivâ, conſiderat, ſicque in Deo ſimplificat, nihil aliud ferè in mente habendo, quàm, *Deus hoc ab æterno providit; Deus hoc vel illud diſpoſuit, creavit, tales proprietates illi vel illi creaturæ indidit; illa vel illa mala permiſit; Deus mirabilis eſt*

in

in omnibus, *&c.* non inveniet ſe multùm extra Deum diſtractam, & plurima objecta quaſi in Deo coadunando, recollecta manebit: econtrà, quàm citò amittit hanc omnium ad Deum relationem, in Deo ſimplificationem, reflectendo ad ea ſine reflexione ad aliquid divinum, ſtatim inveniet ſe extroverſam, & experietur, quòd phantaſia, aliique ſenſus & animæ potentiæ plurimis inutilibus operationibus repleantur, & multiplicentur; ex quo fit ut in millenas imperfectiones, inutilia deſideria, & defectus alios incidat; à quibus animæ ſimplificatæ in Deo, ac Deiformes liberæ manent. Neque hoc mirum; ſollicita enim eſt, & turbatur ergà plurima; cùm unicum ſit neceſſarium, ſcilicèt Deum, ac ſanctiſſimam ejus voluntatem in omnibus contemplari, venerari, adorare, diligere, in ſimplicitate cordis: cui unico neceſſario cùm anima Deiformis unicè intendat, ſtabiliter ibi occupatur, ac manet quieta non habens animum extrà illud unicum ad diverſa diſtractum, ſed in eo planè recollectum.

Anima res extrà Deum conſiderans ſtatim diſtrahitur, turbatur, &c cum multis imperfectionib.

Vnum neceſſarium.

CAP.

CAP. XXV.

Quomodò anima ſe gerere debeat, dum partem inferiorem ſentit turbari & tentari.

QVid faciet anima, dum ſe experitur inter creaturas, inter adverſa & varios caſus ità diſtractam, ut caput ejus ſit inſtar molendini, quod quieſcere non poteſt, eò quod phantaſia obvolvat quaſi undas cogitationum, & alias animæ potentias ad ſe attrahendo, eas ſecum occupet, ut ex omnibus rebus obviis, & diverſis objectis occurrentibus, tanquam ex malis granis molat peſſimam farinam defectuum, paſſionum, & inordinatorum appetituum? Tum pars ſuperior nonnihil obtenebrata per vivacitatem potentiarum ſenſitivarum, diligenter debet cavere, nè faciat cæcos ictus, nè facilè hoc vel illud reſolvat; ſed potiùs ſeipſam ſuſpectam habeat, eò quòd non ſentiat ſe tranquillam & ſedatam, at vehementem & quaſi feſtinam ad hoc vel illud judicandum de iis, quæ ſibi occurrunt; aut ſaltem, quia ſentit ſe in illis mul-

Anima aliquandò inſtar molendini agitatur.

Mala farina ex hac moliturâ.

Parte ſenſitivâ turbatâ pars ſuperior ſit circumſpecta, nec ſibi fidat.

Digitized by Google

multùm diſtrahi & implicari; ideò pars rationalis tunc debet hîc ponere modum, & ſatagere, ut aliæ potentiæ tranquillentur, & ſedentur, idque non tam poſitivas rationes adferendo, quàm potiùs negativè ſe habendo, & pro viribus conando illas abſtrahere ab operationibus ſuis, eas ſic modeſtè & ſuaviter cogendo ad quietem: ſummè etiam cavere tunc oportet, nè ullatenùs, ſciens & volens eas foveat, iis condeſcendat, vel auditum præbeat; quin potiùs cogitationes ab earum ſuggeſtionibus planè ſtudeat avertere; nec reſpondeat ad quantumvis apparentes rationes, quas phantaſia ob oculos ponere, vel paſſio colorare poſſet, & ſolet in animâ parùm illuminatâ & immortificatâ, quæ proindè in ſimilibus facilè decipitur, & falſum pro vero, malum pro bono, fucatum pro ſincero non rarò arripit; quare anima timorata ſibi diffidens, & proprio damno fortè aliquandò docta ſe ipſam ſuſpectat, & tenet ſe in quiete, donec comperiat ſuperiores animæ vires, memoriam, intellectum & voluntatem à ſtrepitu partis ſenſitivæ liberas, & rectæ rationi poſſe attendere ſine impedimento ex parte illarum; & verò ſi contingat par-

Quomodò ſenſitiva ſedanda.

Non fovendo, nec auſcultando.

Anima timorata ſe tunc habet ſuſpectam, donec pars ſenſitiva trãquilletur.

Digitized by Google

partem ſenſitivam agere malam beſtiam, quæ domari tunc vix poteſt; ab eâ declinare debet nec magis curare, quàm ſi bruta animalia, rationis incapacia vociferarentur: ſicque manet quieta, paſſivè potiùs ſe habens, quàm poſitivè reſiſtens, donec ſtrepitus & factio partis ſenſitivæ ſit ſedata, & pars ſuperior quaſi ex tenebris emergens ſe in Deo recolligere, & illuminari incipiat; ità ut jam ſit idonea dare locum rectæ rationi, diſcernere inter bonum & malum, atque interiùs audire, *quid loquatur in ſe Dominus Deus*; qui indubiè non loquitur, niſi pacem in plebem ſuam: tunc autem anima divini luminis radiis illuſtrata diſcernit facilè quid bonum, quid malum, quid à Deo alienum, quid ejus beneplacito conforme, atque ad bonum ſe reſolvit declinans à malo.

Pars ſenſitiva agens malam beſtiam non eſt curanda.

Senſitivâ ſedatâ ratio à Deo illuſtratur.

Hæc praxis ità ſuaviter ſubterfugiendi & declinandi, ac ſedandi ſeu ab operatione impediendi phantaſiam, aliaſque potentias ſenſitivas, eſt admodùm bona, & regula, ſeu lectio generalis, quam opportunè & convenienter ſervare licet in omni genere vehementium & ſenſibilium tentationum

Hæc eſt regula generalis pro multis tentationib.

v. g.

v. g. carnis, blaſphemiæ, gulæ, odii, invidiæ, rancoris, &c. Neque enim tunc eſt conveniens aut conſultum ſe per poſitivas rationes, aut per violentiam opponere; utpotè cum tunc pars rationalis plurimis imaginibus ſeu ſpeciebus ſenſibilium objectorum ſit obruta & obtenebrata, ac conſequenter facillimè ſeduceretur; atque proindè nil melius aut conſultiùs, quàm ut anima pro tunc ſe ſubducat, & in Deo recollectam teneat, *donec tranſeat iniquitas*, & tumultus partis inferioris ſit ſedatus. Contrà tumultuantem plebem non eſt conſultum altercari, ſed præſtat ad tempus ſuperſedere; contrà impetum beſtiarum nihil cum ratione facies; contrà cholericum aut aliâ paſſione præoccupatum, contrà ebrioſum, contrà lunaticum extra lucida intervalla nihil aut parùm proficies poſitivè diſputando, te contra ponendo, &c. ſed potiùs conſultum eſt ſubterfugere, non velle reſpondere, negligere, non curare: idem eſt tempore tentationum, & ariditatis, ac turbationis in parte inferiori; ecce enim potentiæ iſtius partis inferioris, v. g. imaginativa, appetitiva, æſti-

Non expedit ſæpè poſitivè reſiſtere.

Pſ. 56.

Sicut contrà tumultuantem pleb. beſt. ſtult. nil eſt cum ratione faciendum,

Sic nec contrà inferiorem partem in vehementi tentatione.

æſtimativa &c. tum ſunt quaſi plebs tumultuans, cum qua rationabiliter velle agere eſt operam perdere: ſunt velut beſtiæ indomitæ rationis incapaces; paſſionibus ac deſideriis inutilibus agitantur, ſicut ebrius; morionem agunt, imò inſaniunt, ut ſtulti: quis igitur honos? quæ utilitas ſe pro tunc eis poſitivè opponere? certè nil melius, quàm tunc non reſpondere, ſe ſubtrahere, & illas potentias ſenſitivas negativè ſaltem pacare, tranquillare, & ad quietem inducere per ſuavem ſuſpenſionem ab operationibus earum.

Negativè pacanda eſt.

Deindè per poſitivam oppoſitionem, ſive reſiſtentiam ordinariè contingit, quòd ſpecies impreſſæ ampliùs & firmiùs menti inſerantur, ac renoventur; adeoque per earum vivacitatem tentationes notabiliter augeantur: denique diuturna & vehemens reſiſtentia, ſeu poſitiva oppoſitio cerebrum evacuat, dolores capitis cauſat; & diabolus ſub ſpecie boni ad talem reſiſtentiam, ſeu vehementem & poſitivam oppoſitionem urgendo, intendit, ac conatur totum hominem per hoc infirmare, ſeu debilitare, & ad omnia reddere inutilem & ineptum; prout frequens experientia docuit:

Per poſitivam reſiſtentiam ſæpè augetur tentatio, quià ſpecies renovantur.

Poſitiva reſiſt. lædit cerebrum.

cuit: porrò cùm certò ſciatur ſpecies impreſſas eſſe fluxæ entitatis, quæ proindè citò evaneſcunt, niſi per uſum & exercitium foveantur, & conſerventur; liquidò etiam conſtat, eas faciliùs evaneſcere per non uſum, per ſubtractionem objectorum earumdem, ac per averſionem occaſionum eas nutriendi: hoc autem efficaciùs fit per ſuavem illam declinationem, ſubterfugium, & ſuſpenſionem potentiarum animæ, quàm aliter per vehementem & poſitivam oppoſitionem, ſeu reſiſtentiam.

Species impreſſæ per non uſum pereunt, negativè ſe habendo.

Verumtamen hoc non impedit, nec prohibet, quò minùs hinc indè unus actus virtutis tentationi oppoſitæ eliciatur, aut diſplicentia peccati, ad quod tendit tentatio, ſubindè renovetur; quò ſic omne periculum complacentiæ in illis, aut conſenſûs evitetur. Quippè communis ſenſus Theologorum eſt, nos in gravi tentatione v. g. deſperationis, teneri ad actum ſpei; in tentatione contrà fidem, ad actum fidei & ſic de aliis; atque adeò omnes virtutes nos obligant ad ſuorum actuum exercitium tempore gravis tentationis ad vitium op-

Virtutes in gravi tentatione obligant ad actum.

In tentationib. oportet ceſſare ab operatione phantaſiæ &c.

oppoſitum. Quidem verùm eſt ſæpè contingere, quòd anima in tali ſuſpenſione potentiarum ab actibus ſuis, per tam ſuave ſubterfugium phantaſmatum, exiſtimabit ſe in vanum laborare, & quaſi crabrones irritare; præſertim in principio, dum tam vivaciter, & ſenſibiliter obruitur, ſibi perſuadebit ſe contrà fluxum remigare: attamen ſi aliquamdiu ſtrenuè perſiſtat ſe modeſtè ſubtrahendo, ſuaviter perfringendo nebulam internæ derelictionis, ſubterfugiendo ſeu declinando turbinem in parte inferiori ortum, brevi experietur ſerenitatem magnam, & mentis tranquillitatem; tempeſtas illa citò ſedabitur, aſſultus iſte repelletur, anima ex illâ multiplicitate emerget, & acquiret magnam ſimplicitatem, & cum Deo unitatem. *Hæc via bona eſt & ſancta ambulemus in eâ*: certi, quia ſic veluti per ſemitam compendioſiorem poterimus evadere omnes turbationes, triſtitias, anguſtias, tentationes; perindè ac ſi brevi compendio effugeremus condenſam nebulam, aut vehementem turbinem & imbrem, ad aſſequendum verum lumen & tranquillam ſerenitatem in Deo: in quo lumine velut in die honeſtè ambulantes

Etſi id videatur fieri fruſtrà, ſenſim tamen ſuperabis.

Digitized by Google

lantes obtinebimus opportunum gratiæ auxilium ad feliciter pergendum in conſtanti conformitate cum voluntate Dei, & perfectâ Deiformitate.

CAP. XXVI.

De habendâ in omnibus bonâ intentione.

QUamquam ex hactenùs dictis abundè colligere liceat, qualiter verus Carmelita, aut quilibet vitæ internæ ſectator poſſit & debeat ducere vitam Deiformem; attamen quia *proni ſunt ſenſus hominis in malum omnibus diebus vitæ ſuæ, ab adoleſcentiâ ſuâ*; ſic ut anima Deo devota jugiter egeat confortari, & divinæ gratiæ auxilio muniri, nè in bono propoſito deficiat, nè in primo fervore tepeſcat, vel etiam à ſublimiori perfectionis gradu reſiliat, ad quem fortaſſis devenit; ideò hìc parùm agemus de rectâ, purâ & Deiformi intentione, quæ nobis in vitâ ſpirituali ſervire debet pro convenienti pabulo, & neceſſario nutrimento vitæ myſticæ. De quo nos

Gen. 8.

Homo eget continuâ confortatione nè deficiat.

Deiformis intentio ſervit pro pabulo vitæ myſticæ.

Cap. 14. nos Regula noſtra inſtruens, *Quæcumque*, inquit, *vobis agenda ſunt, in Verbo Domini fiant*, id eſt, propter Verbum Domini; ſic dicebat Princeps Apoſtolorum ad Jeſum: *In verbo tuo laxabo rete*, id eſt, propter Verbum tuum, ſeu in virtute ac ſecundùm directionem Verbi tui; aut juxta intentionem aut intuitu Verbi tui; aut ad complendum verbum ac voluntatem tuam: quocircà ſivè nos paremus ad orationem, ſive eamus ad veſcendum, ſivè ſit in choro cantandum, ſivè ſtudendum, ſive concionandum, ſive confeſsiones audiendæ, aut manibus operandum, aut aliquid aliud faciendum, omnia ſenſu dato *In verbo Domini fiant*: bellè additur in Regulâ, *quæcumque*, ut ſciamus nobis non eſſe licitum, aliquid vel etiam minimum aliter operari, quàm in Verbo Domini, id eſt, quàm ſecundùm directionem Verbi Domini vel intùs ad cor loquentis, vel ab extra per mandata & conſilia ſuum beneplacitum manifeſtantis; vel etiam omnia facienda in Verbo Domini, id eſt, non aliter, quàm juxtà intentionem Verbi Dei incarnati, ſeu Chriſti Salvatoris: quòd ſi quis ſeipſum quærât, & quæ ſua ſunt, non

Luc. 5.

Quid ſit ſua facere in verbo Domini.

Nil licet facere, niſi in verbo Domini.

Qui quærit aliud, quàm Deum, non facit ſua in verbo Domini.

Digitized by Google

non quæ Jeſu Chriſti; ſi quis affectet ea, quæ in mundo ſunt, & quæ ſenſualitatem nutriunt; is non operatur in verbo Domini, ſed in verbo proprii amoris, in verbo mundi, in verbo naturæ corruptæ: ecquis indè fructus? nullus, qui ad vitam æternam poſſit conducere. Apoſtolus Petrus poſt acerbos integræ noctis labores & ſudores, conquerebatur Domino, quòd in vanum laboraſſet: *Magiſter totâ nocte laborantes nihil cepimus*: nec erat mirum, quia non laboraverat in verbo Domini; at quandò cœpit operari in verbo Domini, ſtatim cepit magnam piſcium multitudinem: eodem modo, quamdiu non habemus puriſſimam in agendis intentionem, quamdiu nos ipſos quærimus, aut aliqua, quę in mundo ſunt, & Deus non ſunt, aut non ſecundùm Deum; tamdiu nihil capimus, nihil meremur, nihil lucramur; etiamſi inſtar equi laboraremus, & omnem ſanguinem conſumeremus. A quo fruſtraneo labore Regula noſtra nos intendens liberare, & unà inſtruere, qualiter efficere poſsimus, ut labor noſter ſit utilis, meritorius, ac Deo gratus, opportunè dicit: *Quæcumque vobis agenda ſunt, in Verbo Domini fiant*: valdè benè: dicat ergò verus Car-

Luc. 5.

Qui non laborat in Verbo Domini, fruſtra laborat.

Quomodo Carmelitæ in Verbo Domini debeant operari.

melita in omnibus & antè omnia & ſingula agenda: ô Bone Jeſu, *In Verbo tuo laxabo rete*; in Verbo tuo, propter te ſolùm, hac horâ ſtudebo, nunc orabo, nunc corpus reficiam, nunc laborabo, nunc hoc vel illud faciam, vel omittam. At quomodò hoc congruentiùs practicabimus?

CAP. XXVII.

Vita noſtra vitæ Chriſti conformanda, ut ſit Deiformis.

Vita Deiformis & divina.

CUm vita myſtica debeat eſſe divina, ſeu Deiformis, utpotè cujus occupatio tota in Deo ſit, & cui proprium à divino potiùs ſpiritu quàm ab ipſâ animâ agi per ſtabilem fidem, & fortem dilectionem; ſciendum planè eſt, eam pro viribus debere conformari vitæ Chriſti, quæ eſt ſpeculum & exemplar omnis perfectionis, quod quilibet debet aſſiduè contemplari, ad illud in ſe perfectè exprimendum; de quo illud poteſt intelligi: *Aſpice & fac ſecundùm exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt.* Porrò ut hoc congruè & benè fiat, non eſt ſatis opera & virtutes Chriſti

Debet cõformari vitæ Chriſti.

Exod. 25.

ſti

ſti imitari, quoad ſubſtantiam; ſed neceſſarium inſuper eſt ea in ſuâ converſatione exprimere, quoad modum & intentionem: v. g. non ſolùm orandum, quia ipſe oravit; non ſolùm exercenda humilitas, manſuetudo, miſericordia, abſtinentia, jejunium, obedientia, paupertas, aliæque virtutes; quia ipſe mitis fuit & humilis corde; quia ipſe miſericordiam voluit, & non judicium; quia ipſe jejunavit; quia ipſe fuit pauper & in laboribus à juventute ſuâ; quia ipſe humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis (hæc enim omnia quoad ſubſtantiam exerceri fortè poſſunt etiam ab hominibus valdè imperfectis, imò ab hæreticis & ethnicis, qui tamen non ideò cenſentur ducere vitam divinam, ſeu Deiformem) ſed præterea omninò eſt neceſſarium aſſequi ſpiritum, modum, & intentionem, quibus Chriſtus ſimilia exercuit, & operatus eſt; ità ut anima in omnibus agendis & omittendis attendere debeat, quomodò Chriſtus in ſimili ſeſe geſſerit: exempli gratiâ, in oratione conabitur imitari perfectiſſimam reſignationem, quâ ad Patrem cœleſtem dicebat, *Non mea voluntas fiat, ſed tua*: item attentiſſimam

Non ſolùm opera facienda quæ Chriſtus fecit, ſed etiam eâ intent. & modo, quibus Chriſtus.

Imitandus ſpiritus, modus & intentio Chriſti.

Praxis faciendi ſua in ſpiritu & intentione Chriſti.

ejus reverentiam ad Patrem, item affectum ſolitudinis, quo extra omne hominum conſortium rogabat Patrem in
Marci 6. abſcondito; ſicut ſcriptum eſt, *Ivit ad montem ſolus orare*, &, *erat pernoctans*
Luc. 6. *in oratione Dei*: & verò cum ex mente Apoſtoli neſciamus, *quid oremus*, vel
Rom. 8. qualiter *oremus ſicut oportet*: quid nî in oratione contenti erimus eâdem, quâ Chriſtus oravit, intentione? Si alicui operi manuali incumbendum, cùm conſtet Salvatorem aliquandò laboraſſe & in arte fabrili cum Sancto Joſepho operatum fuiſſe, idque indubiè ex motivo puriſſimæ intentionis; quid nî in operando intentionem noſtram intentioni Chriſti operantis conformemus? Si ſuo tempore neceſsitas corporalis ad manducandum, ad bibendum, ad dormiendum &c. nos obliget, ſi charitas ad aliqua pia opera nos urgeat, ſi obedientia aliquid faciendum præſcribat; ſi Paupertatem aliquandò experiri, ſi jejunare, Verbum Dei prædicare, cum hominibus converſari oporteat, & ſic de aliis; cùm ignoremus, quali intentione iſta operari conveniat, ut perfectiſsimè, utiliſsimè, & Deo gratiſſimè operemur; & ſciamus, Chriſtum ſimilia cum intentione diviniſſimâ

Intẽtio Chriſti habẽda in oratione & aliis operibus.

Modus id faciendi.

ſimâ & puriſſimâ exercuiſſe, conſultiſſimè faciemus, ſi omnem diligentiam & attentionem noſtram ad hoc applicemus, ut omnia in ſpiritu, & intentione Chriſti operari aſſueſcamus.

Cùm enim ipſe caput ſit corporis myſtici, quod eſt Eccleſia, cujus nos membra ſumus; rationi planè conſentaneum eſt, ut membra præſertim nobilia, qualia nominatim ſunt Religioſi, ſe accommodent & conforment modo agendi & intentioni capitis: id quod in vitâ myſticâ locum potiſſimùm ſortiri debet, utpotè cùm ipſa exigat, ut anima in perfectâ ſui abnegatione firmata, & ſuo nihilo totaliter immerſa, ſe ſinat in omnibus à divino Spiritu agi, & dirigi ſive immediatè per internam directionem, ſive mediatè per Superiores; ità ut non jam ſit ipſa, quæ operatur, aut loquitur, ſed Spiritus Dei, qui operatur & loquitur in illâ; ipſa vivat, jam non ipſa, vivat verò in eâ Chriſtus. Quocircà nil aliud deſideratur, quàm ut, ſicuti talis anima ſinit Deum ſecum & in ſe omnia operari; ità eum patiatur in ſe operari, & ipſa illi coöperetur eâdem intentione, quâ ipſe operatur; ſiquidem rationabile eſt, ut cauſa inſtrumentalis, ſeu

Membra ſe debent conformare intẽtioni capitis, quod eſt Chriſtus.

Vita myſtica debet à Spiritu Dei tota agi.

Eâ intentione quâ Deus, ſeu ſpiritus Chriſti agit.

ſeu minùs principalis. ſe in operando conformet principali: ſic coôperabantur Apoſtoli in converſione gentilium juxta intentionem Chriſti; quippè ab ipſo miſſi nil aliud intendebant, aut quærebant, quàm quod Chriſtus eos mittens intendebat. Cùm igitur fideles Religioſi per directionem obedientiæ, vel interioris ſpiritûs, quaſi manu-ducantur, & ad opus applicentur in omnibus ſuis actionibus, ac in omni modo agendi; & aliundè ex vi Regulæ in Superiore Chriſtum potiùs cogitare debeant, quàm ipſum; debent ſeſe gerere ſicut Apoſtoli, à Chriſto per Superiorem, vel per præſcriptum Regulæ, Conſtitutionum, cæremoniarum &c. miſſi ad tale vel tale opus, ad talem vel talem regularitatem, ad talia vel talia agenda intrà vel extra conventum, in quibus indubiè divina providentia aliquos fines intendit, & in quibus ſimilibus Chriſtus, dùm viveret, aliquam intentionem habuit: quid nî ergò Religioſi Deum purè quærentes & vitam Deiformem cordi habentes, illi Dei, aut Chriſti intentioni, qualiſcumque illa ſit, non poterunt ſe conformare? ſanè meliorem aut perfectiorem, Deóve gratiorem habere nequeunt.

Cauſa inſtrument. accommodet ſe principali.

Carmelitæ debent ſua agere, ut à Chriſto miſſi ſecundùm ejus intention.

CAP.

CAP. XXVIII.

Praxis Dei-formis intentionis.

POterunt ergò veri Carmelitæ, omneſque ſincerè Deum amantes hanc Deiformem intentionem cordi habere, & manè indiès hanc directionem formare: *Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, ô Beata & benedicta & glorioſa Trinitas per omnia mea opera, verba & cogitationes hujus diei in unione meritorum Chriſti, in eâdem intentione, quâ ipſe ſua opera fecit, quâq; Deus deſiderat, ut mea opera faciam; eaq; omnia ſic tibi offero per manus, & ad honorem Matris amabilis, N. N. Patronorum meorum, & Angeli cuſtodis, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, amen.* Hanc directionem per diem antè notabiliora opera poterunt ſubindè renovare, & juxta exigentiam cujuſque operis nonnihil immutare: exempli gratiâ, eundo ad orationem, ad menſam &c. hoc modo, *Tibi laus, tibi gloria &c. per hanc ora-*

Praxis bonæ directionis facienda manè &c.

Qualiter per diem hæc praxis renovanda.

tionem, per hanc nutrimenti ſumptionem, quam volo facere in unione attentiſſimæ orationis, frugaliſſimæ refectionis Jeſu, eâdemq́ intentione, quâ Ieſus aliquandò dignatus eſt orare, cibum ſumere, dormire &c. & quâ Deus vult me orare, vel cibum ſumere; hancque orationem; refectionem &c. offero per manus & ad honorem Virginis Matris, Sancti Patris Eliæ, Sanctorum N. N. patronorum, ſicut erat in principio, &c. Addi poteſt: *Bone Ieſu concede mihi gratiam tuam; Mater mea amabilis eam mihi procura, & impertire mihi tuam benedictionem, ut poſſim orare, vel corpus reficere juxtà beneplacitum Dei mei.* Similis directio in omnibus operibus accommodari poteſt.

Hîc tamen animadvertendum eſt, quòd, quò anima in hac Deiformi intentione perfectiùs eſt exercitata & habituata; eò illam cum majori facilitate & ſimplicitate, ac quaſi naturaliter exerceat ratione acquiſiti habitûs ſeu conſuetudinis tales directiones eliciendi, ad eaſdem facilitantis: neque etiam eſt neceſſarium hanc formam verbotenùs ſemper exprimere ad longum; ſed poteſt fieri

fieri per ſimplicem reflexionem & mentalem ratificationem primæ directionis; idque ſine ullâ fatigatione, aut violentatione ſpiritûs, ſuaviſſimè & faciliimè fit ab animâ exercitatâ, quæ cùm pænè ſemper ſit ſibi præſens, & circa Deum præſentem per actualem fidem & dilectionem occupetur, facilè poteſt perſiſtere in aſſiduâ amoroſâ unione cum Dilecto ſuo; vivit, & operatur in illo, reſpirat in illo, & unus ſpiritus fit cum illo, ejuſdem cum illo mentis, opinionis, intentionis, voluntatis & deſiderii; atque hoc modò efficitur omninò divina, ſeu Deiformis, prout patet.

Iſta directio unicâ reflexione renovari poteſt in ſpiritu.

Quomodo anima Deiformis in Deo vivat.

CAP. XXIX.

Explicatio præcedentis intentionis cum aliâ praxi ejuſdem.

DUm anima devota praxim præcedentem fideliter exercet, valdè perfectè obſervat illud punctum Regulæ: *Quæcumque vobis agenda ſunt, in Verbo Domini fiant*: Etenim pro ſingulis operibus meritoriè faciendis ad manum habet ſpecialem gratiam per merita Verbi divini incarnati, & hoc ſenſu ope-

In verbo Dom. operari eſt operari in virtute & gratiâ Chriſti.

operatur in verbo Domini, id eſt, in virtute, ſeu cum virtute verbi Domini: dirigit etiam & facit omnia ſua in Verbo, ſeu ſecundùm Verbum Domini, in cujus Verbi cognitionem venit ſive per ſanctam Obedientiam, ſive per internas inſpirationes; ac ſic cognitam voluntatem Dei exequitur ſecundùm intentionem Verbi æterni. Quia autem decet bonos filios ubique eſſe memores matris ſuæ, ac ſollicitos, ut eidem honorem & amorem exhibeant; ideò verus Carmelita, utpotè filius Matris amabilis, omnia ſua opera per manus ejuſdem debet offerre Sanctiſſimæ Trinitati ad laudem, gloriam & gratiarum actionem; idque ex intimo, puriſſimo, ac perfectiſſimo cordis affectu, quem oſtendit in his verbis, *ſicut erat in principio*, id eſt, ad talem laudem, ad talem gloriam, qualem laudem & gloriam Deus habuit in principio ſine principio, in ſeipſo & à ſe ipſo ab æterno, & habebit in ſæcula ſæculorum; quæ laus, quæ gloria in Sanctiſſimâ Trinitate immenſa eſt & infinita, ſicuti Deus immenſus & infinitus eſt. Item ad talem laudem & gloriam, quali omnes ſpiritus beati, ac Sancti ipſum à principio creaturæ laudarunt, & glo-

Secundum ejus derectionem.

Carmelitæ debent etiam operari ad honorem D. V.

Ad gloriam quam Deus in ſe habuit à principio &c.

glorificarunt hactenùs, & laudabunt ac glorificabunt in æternum. Undè liquet hanc praxim puræ intentionis optimam eſſe, & ſummè meritoriam, dummodò ex ferventi charitate, & ardenti deſiderio, ſincero corde exerceatur: cùm autem illa praxis ſit familiaris & fermè aſſidua in animâ purè Deum amante per totum diem, idque mediantibus ſuavibus & amoroſis aſpirationibus, introverſionibus &c. præſertim dum anima habitum ſeu conſuetudinem acquiſivit; ulteriùs patet tale exercitium eſſe remedium valdè opportunum, & optimum pabulum vitæ internæ & jugis occupationis in Deo: quo fit, ut animæ cum Sponſo ſuo cœleſti colloquia ſint ferè continua; amor enim abundantem ſuggerit materiam, cor ejus plenum eſt, & eructat os ejus verbum bonum, neque poteſt contineri clauſum. Quippè cùm Dilectum ſuum habeat in conſpectu ſuo ſemper, cui omnem laudem, gloriam & honorem ineffabili amoris affectu apprecatur & exoptat, quomodò putas fieri poſſe, ut ſileat, & Dilectum ſuum ſine alloquio prætereat? hoc ei eſt impoſſibile. Verumtamen amor non utitur

Quam habet, & habebit à ſe & omnib. SS. in totâ æternitate.

Habitualis praxis hujus intentionis eſt pabulum vitæ myſt.

Anima amoroſæ ferè continua cum Deo colloquia.

utitur multis, & conciſis verbis, unico verbulo amoris multa ſignificat; novit ſe ſemi-verbo ab ipſo intelligi, imò omnes ſuas cogitationes ipſi eſſe notiſſimas, & vel minimum amoroſum ſuſpirium ab ipſo audiri; v. g. *Tu noſti dilecte mi*, ſubaudi, *quòd tu mihi & ego tibi*: vel, *eccè dulciſſime*: ſubaudi, *vado facturus hoc, vel illud ad tuam intentionem, tibi laus, tibi gloria, tu teipſum in hoc glorifica*: vel, *Dilecte mi, operare tu omnia, prout tibi placet*: *nihil poſſum ego, ſed gratia tua mecum; tu noſti Domine*: *eccè amabiliſſima Mater tua & mea venit hoc tua Majeſtati oblatura; Jam ſaltem id tibi diſplicere non poterit*. Hæc & ſimilia operatur amor divinus in animâ, quaſi per quaſdam ebullitiones, per ſuavem ad & in Dilectum amoris influxum, aliquandò ſatis ferventer & impetuosè, aliquandò etiam cum magnâ ſimplicitate & internâ quiete, cum ſimplici reflexione & ſuavi introverſione in intimâ ſpiritûs recollectione: ſicque anima amoris habituati ſuggeſtiones & eructationes ſequens, perfectiſſimè & quaſi naturaliter ſemper in Deum fertur,

Per ſemi-verba, vel unicā cogitationem.

Per ſuaves amoris ebullitiones.

Facillimè ex habitu.

tur, & intentionem Deiformem exercet, ferè ſine reflexione, ex habitu inclinante, ex conſuetudine radicatâ, quæ eſt altera natura.

CAP. XXX.

Quomodò cum libertate ſpiritûs ſequi oporteat internam directionem in oratione & aliis: Quidque faciendum poſt ſingula opera.

PEr ea, quæ jam adduximus pro inſtructione ad formandam in ſingulis operibus Deiformem intentionem, non intendimus coanguſtare, ſeu reſtringere ſpiritum, aut tollere ejus libertatem in multis animabus, quæ aliis modis à Deo trahuntur, & interiùs moventur ad eliciendam particularem aliquam intentionem in ſuis operibus, aut orationibus, v. g. ut quis oret pro hoc, vel illo, pro hac vel illa neceſſitate tale opus pium, talem orationem Deo offerat; nam *Spiritus, ubi vult, ſpirat,* &

Libertas ſpiritûs ſervanda.

Oportet ſequi directionem ſpiritûs in oratione &c.

Anima myſtica à Deo in omnib. agi & regi debet.

& *orat* in nobis, id eſt, facit nos ſæpè orare *Gemitibus inenarrabilibus*, etiam pro finibus particularibus: neque verò animæ Deum ſincerè amanti fas eſt internam directionem, & divini Spiritûs motiones negligere; at potiùs omni momento debet ſtare parata ad auſcultandum, quid loquàtur in ipſâ Dominus Deus; imò debet eò tendere, ut ſe perfectiſſimè regi & agi ſinat à Spiritu Sancto; *qui* enim ſic ſine impedimento ex parte ſuâ, *Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*. Undè prædictæ praxi ſolummodò inhærendum eſt, quamdiu non advertimus ſpecialem tractum Spiritûs Sancti ad aliquid aliud; quo caſu, vel etiam dum nobis aliquis commendat pro re aliquâ orandum, vel aliquid agendum, equidem ſemper recurrendum eſt ad noſtrum principium & finem, ad Deum, *Ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia*. Rom. 11.

Modus orãdi animæ myſtica.

Porrò in omni eventû orare licebit hoc modo; *Mi Ieſu, eccè hoc à me petitur; ſentio me moveri ad tuam bonitatem pro hac re deprecandam; obſecro, fiat, ſicut noſti meliùs placiturum æterno Patri: eccè iſti ſunt miſeri, afflicti, anguſtiati; iſti ſunt*

Pro aliis.

in peccatis obſtinati & excæcati; *quæſo, illos conſolare, quia tu es Deus totius conſolationis*; *hos compungere & illuminare digneris*, *lava eos à peccatis ſuis in ſanguine tuo*: vel pro animabus Purgatorii, ſic; *Obſecro Domine, ut liberentur dilecti tui*; *vide Domine afflictionem populi tui*; *fac cum illis ſignum in bonum, ſicuti noſti eſſe melius*: vel pro ſe; *imperfectum meum viderunt oculi tui, fac mecum ſecundùm miſericordiam tuam* &c. *Pro defunctis.* *Pro ſe.*

Poſt aliquod opus, v. g. poſt orationem, poſt cibi ſumptionem, poſt colloquium cum aliis, bonum erit imperfectiones & defectus in illis commiſſos commendare emendandos puriſſimo cordi Jeſu, ejuſque pretioſo ſanguine diluendos per manus & interceſſionem Virginis Matris, hoc modo: *Dulciſſime Ieſu, ecce horam iſtam orationi impendi*; *eccè corpus refeci*; *eccè tempus illud in colloquio tranſegi* &c. *& video multas me miſcuiſſe imperfectiones*; *rogo, eas abluere digneris in ſanguine tuo. Eccè Mater mea amabilis, hæc mea actio, hoc opus eſt velut aurum immundum* *Praxis poſt opera expiandi defectus commiſſos.*

dum in conſpectu Dei mei, ratione multarum, quas miſcui, imperfectionum; complaceat tibi hanc orationem, hanc actionem purificandam committere puriſſimo & amantiſſimo cordi Filii tui; emunda, & ablue illam virginea lacte tuo, &c.

Cum libertate ſpiritûs.

Hæc autem & ſimilia exercenda ſunt cum libertate animi, prout unctio Spiritûs docuerit, vel inſpiraverit: quippè hoc modo optimè fovetur & ſuaviter continuari poteſt interna occupatio in Deo, & anima facit progreſſum magnum in verâ puritate cordis.

Hoc exercitium eſt facile amanti.

Neque verò putes ſimile exercitium eſſe moleſtum animæ Deum amanti, quin potiùs interiùs ad ſimilia ſuaviter trahitur & movetur; imò non ipſi ſufficit hoc modo, juge ſui-ipſius Deo offerre ſacrificium per omnes ſuas actiones ad majorem ejus gloriam, laudem & gratiarum actionem, ſed inſuper per inſtinctum divini amoris exſtimulata dicit frequenter: *Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me ſunt, nomini ſancto ejus.*; toto cordis affectu exoptando, per omnes ſuas potentias, per omnia ſua membra, per omnes ſuas actiones Deum tantoperè honorare,

Exceſſus amoris.

honorare, quantopere honorari, laudari, & glorificari poſſet ab omnibus Angelis, ab omnibus Sanctis, à ſanctiſſimâ Matre Dei, à Verbo æterno incarnato, imò ab omnibus creaturis, quæ unquàm fuerunt, ſunt, & erunt, qúæve merè poſſibiles ſunt, ſi hæ omnes Verbo æterno perſonaliter forent unitæ. Multi ſimiles exceſſus amoris, deſideria, & amoroſæ apprecationes exercentur occaſionaliter in animâ puriſſimè & tenerrimè Deum amante; amor enim eſt induſtrius, ſubtilis, & ingenioſus in adinventionibus ſuis, & ſemper operatur cum ſuavi violentiâ: ità tamen, ut anima in iſtis non nimis multùm addat vel ingerat de propriâ operatione, ſed potiùs omnia in Deum ſinat fluere, & inibi dimittat in ſimplicitate cordis; ad quam conatur omnem noxiam vivacitatem & naturæ impetus reducere, quatenùs ſic immediatè, ſine impedimento Deo vacare, ac in ipſo abſorberi poſſit, facta omninò Deiformis in omnibus agendis. Atque hæc breviter ſcripſimus pro introductione proximiori in terram Carmeli, ſeu pro aliquali inſtructione ad vitam myſticam omnibus veris Carmelitis, ac vitæ internæ

Amor eſt ingenioſus.

Semper operatur.

Modus in Deo purè vivendi.

Digitized by Google

internæ ſtudioſis adeò commendatam; quam in nobis perficere dignetur, qui nos vocare dignatus eſt per gratiam ſuam, per interceſſionem Matris amabilis. Amen.

Finis tertiæ Partis.

M A-

Digitized by Google

MARIA.

TRACTATVS QVARTVS

Introductionis in terram

CARMELI.

Praxis vitæ verè Carmeliticæ ſeu Myſticæ,

SIVE

Practica fruitio partis Carmelitarum optimæ, quæ eſt vacare Deo.

Induxi vos in terram Carmeli, ut comederetis fructus ejus, & optima quæque illius.
Jerem. 2. n. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google

Praxis vitæ verè Carmeliticæ ſeu Myſticæ.

SIVE

Practica fruitio partis Carmelitarum optimæ, quæ eſt vacare Deo.

PROOEMIVM.

IN tribus Tractatibus præcedentibus ſuppeditavimus noſtris Religioſis Carmelitis, & quibuſvis vitæ internæ ſeu myſticæ ſtudioſis plures inſtructiones, quas ſervando dignè vivant cœleſti ſuâ vocatione: & quidem in primo Tractatu breviter deduximus ea, quæ omnibus neceſſaria ſunt ad vitam Religioſam in genere, pertinentia potiſſimùm ad incipientes & proficientes; ſic tamen ut in illis rudimenta non deſint,

ſint, per quorum fidelem praxim ad formam ſpecificam, ſive ad vitam verè Carmeliticam paulatim diſponantur: in ſecundo verò & tertio eos quaſi ad claſſem altiorem promovere ſategimus; vel potiùs viam facilem ad verticem Carmeli aperuimus, per quam ſi ſe induci ſinant in terram Carmeli, indubiè comedent fructus ejus, & hæreditate capient terram iſtam, capient, inquam, plenariam poſſeſſionem partis Carmelitarum optimæ ſibi à Sanctis noſtris Patribus Eliâ & Eliſæo hæreditariâ ſucceſſione relictæ. Cæterùm quia fortaſſis multos reperire eſt, qui parùm, aut nihil curare videntur an hæreditatem illam cæleſtem perfectè adeant, an non; contenti veluti de longè aſpicere terram promiſſionis, abſque eo quòd feſtinent eam ingredi, & de illius fructibus in eâdem ſecu-

ſecurè vivere; non abs re nobis viſum eſt quartum hîc Tractatum adjicere, in quo ob oculos ponantur variæ diſpoſitiones animæ cujuſpiam, quæ jam frui cœpit parte Carmelitarum optimâ, quæ eſt, aſſiduè & amoroſè vacare Deo; idque eâ intentione & fine, ut alios videntes & audientes maximam felicitatem talis animæ, quæ jam fructibus ſpiritûs frui, & de oratione in ſolo Deo ſuaviter vivere cœpit, non pigeat inſtructionibus præcedentium tractatuum operam navare, quò ejuſdem felicitatis mereantur fieri participes. Licèt enim humano adminiculo aut directione anima vix plus ultrà deduci queat, niſi ſpecialis Spiritûs Sancti gratia eam efficaciter trahat, & in omnibus dirigat; ſic ut anima per fidele præcedentiũ inſtructionum exercitium quaſi manu-ducta uſque ad portam paradiſi

ſpi-

Digitized by Google

ſpiritualiũ deliciarum, cum humilitate præſtolari debeat, donec à Dilecto ſuo introducatur in locũ voluptatis, in cubiculum divini amoris, in cellam vinariam Regis ſæculorum, ad lectulum floridum ſponſi cæleſtis: attamen utile fuerit, hîc rudi minervâ deſcribere, & veluti groſſiori quodam penicillo depingere quaſdã habitudines & diſpoſitiones animæ amoroſæ & Deiformis, ut per hoc in aliis præſertim vi profeſſionis ſuæ eò tendere obligatis, efficax excitetur deſiderium æmulandi hæc chariſmata meliora, iiſque calcar addatur ad accelerandum aſcenſum montis Carmeli, ad feliciter adeundã hæreditatem partis Carmelitarũ optimæ, quæ eſt jugiter vacare Deo per fidem & dilectionem. Hoc vovemus, hoc unicè exoptamus, ad hoc uberes è cælo gratias nobis & omnibus humillimè imploramus.

CAP.

CAP. I.

Quomodò anima per activam annihilationem poſſit acquirere orationem ſimplicitatis cum magno fructu.

Contingit ſubindè, quòd anima amoroſa per activam annihilationem, id eſt, per actualem conatum omnia creata in Deo, quaſi arenulam ſeu guttulam, imò nihilum, in immenſo oceano dimittendi; per diligentem declinationem omnium phantaſmatum, ſpecierum, & tumultuationum partis ſenſitivæ, idque adminiculo vivæ aut nudæ fidei divinæ præſentiæ, & introverſionis; poſt aliquantulam moram perveniat ad magnam tranquillitatem, quietem, & ſimplicitatem animi, in quâ ſine labore perſeverat multo tempore: in hac animæ conſtitutione hinc indè per modum jaculationis miſcetur aliqua aſpiratio, & intima quædam ſpiritûs applicatio ad Dilectum ſuum tanquàm intimè præſentem & per amorem ſuaviſſimè unitum; nonnumquàm etiam

Quid activa annihilatio.

Per annihilation. act. acquiritur quies & ſimplicitas.

Oratio ſimplicitatis. cum deprecativâ reflexione ad pretioſum ſanguinem Chriſti: exempli gratiâ; Quæſo, Dilecte mi, permitte, ut ſacer hic ſanguis pluat in Purgatorio, *Ut refrigerentur, & liberentur dilecti tui*; & ſuper peccatores, ad veram cordis contritionem & pœnitentiam. Jeſu, tu ſcis, quia tuus ſum ego, & filius amabilis Matris tuæ; tu quoque totus meus es, prout noſti Domine: quæſo, ut unum fiamus & maneamus; ſicut tu & Pater unum eſtis &c. Hæc tamen & ſimilia ſimplicitatem non lædunt, quia Spiritus divinus ea quaſi in intimâ parte animæ operatur ex ſeipſo, ipſâ ſuaviter coöperante vel ſine colluſione partis ſenſitivæ, vel cum perfectâ ejuſdem partis ad ſpiritum ſubjectione, non ſine dulciſſimâ quâdam divini amoris quaſi ebullitione; quam tamen anima tunc modeſtè ſinit ſubſidere, nec fovendo attrahit: alioqui ſi tunc aliquid de proprio velit addere, vel ſimilia fovere propriâ induſtriâ, ſeu pluſquàm Spiritus divinus vult, vel diutiùs, quàm vult, vel aliter, quàm vult; videtur illicò quaſi extrahi ex quodam profundo ſimplicitatis & internæ recollectionis ad inutilem multiplicitatem, & naturæ vivacitatem,

Spiritus intùs orat in animâ ſine læſione ſimplicitatis.

Amoris ebullitio.

Quid ſit & quàm nocivum de proprio addere.

vacitatem, ſicque impedit myſticam divini Spiritûs in ſe operationem. Subindè per memoriam & repetitionem internam, vel etiam externam horum verborum Sponſæ ſpiritualis ad Sponſum, *Trahe me poſt te, & curremus*, potiſſimè ante vel poſt Sacram Communionem, anima vel omninò introtrahitur, vel ſuprà ſe attrahitur, cum evaneſcentiâ omnium creaturarum & ſuſpenſione potentiarum ab operationibus; membra etiam aliquouſque rigeſcunt, ſanguis conglomeratur, vultus palleſcit, & intereà anima ſimplici intuitu, & conformi amore affixa hæret informi ſuo Dilecto, id eſt, abſorpta manet in amoroſâ Dei contemplatione; ſic tamen, ut ſine ullâ formâ, & quaſi confuſè in Deum feratur. Tùm animæ ſummoperè cavendum eſt ab intruſione vel mixtione omnis propriæ, id eſt, à divino Spiritu non inceptæ operationis: aliòqui ſtatim ceſſabit illa intima recollectio; quocircà tùm debet anima omnem naturæ colluſionem diligenter declinare, ut in internâ ſolitudine manere, & ſoli tractui Sancti Spiritûs locum dare queat: in hac animæ conſtitutione tranſeunt facilè plures horæ ſine fatigatione.

Diverſus tractus ſpiritûs.

Quid ſit informi dilecto adhærere.

Quid ſit, & quàm cavenda hîc propria actio.

Fructus orationis ſimplicitatis eſt ſimplificatio. Fructus hujus cum Deo occupationis eſt alienatio ab omni re creatâ, circumſpectus & parcus uſus membrorum, ſenſuum & aliarum potentiarum, & non niſi juxta exigentiam neceſſitatis vel utilitatis, uno verbo, non niſi juxta Dei beneplacitum: atque hæc eſt illa ſimplicitas, cujus in his tractatibus frequens mentio fit; prout nimirùm opponitur multiplicitati, eamque omnimodè excludere, & reſecare contendit in cogitationibus, verbis & operationibus omnium potentiarum animæ; quam ſimplicitatem dum homo acquiſivit unà cum fidelitate ergà Deum, divino Spiritui facillimè in ſe locum præbet: quo animam in omnibus dirigente, nè dicam, plenariè poſſidente & ſupernaturaliter animante jam non eſt homini ampliùs difficile omnes animæ potentias interiùs recollectas tenere, & cor in omni puritate cuſtodire: nam dum Spiritus intùs trahit, non lubet ad exteriora ſe convertere.

Quid ſit ſimplicitas myſtica.

Agente Spiritu facilis eſt recollectio.

CAP.

CAP. II.

Quomodò anima in ariditate ſe gerat, & ſolâ Dei eſſentiâ contentetur.

DUm fortè contingit, animam in ſuâ poſt ſacram Communionem, vel aliàs, recollectione, difficulter aſſequi intimam iſtam ad unicum objectum divinum adhæſionem; amoroſè & humiliter ſubindè ſe convertit ad Matrem amabilem, vel ad Angelum tutelarem, ſupplicans, quatenùs ipſa vel ipſe dignentur ſupplere vices ſuas apud Dilectum jam in hoſpitio receptum, eum condignè excipiendo, cum ipſo de ſtatu interno agendo; utpotè cùm ipſa ſe pro tunc ad id ſentiat & exiſtimet ineptam, & indignam ad cum ipſo familiariter agendum: probè etiam novit, ſe nullam conquerendi habere rationem; nam radicata humilitas ipſam docet, nimium adhuc ipſi fieri favorem & gratiam à Dilecto, quòd eam tolerare dignetur inter creaturas in ſuâ præſentiâ; novit inſuper eſſe contrà ſimplicitatem, ad de-

In Aridit. poſt commun. ad D. V. recurſus.

Anima in aridit. manet contenta per humilitatem.

Deo relicta fuerit; exiſtimat enim ſe habere & inamiſſibiliter poſſidere quidquid poſſet deſiderare, ſcilicèt Deum eſſentialiter, ſeu ſecundùm ſuam eſſentiam, quam ab illâ nemo tollere poteſt, etſi foret in extremâ derelictione, imò (ut ſic dicam) in inferno; modò ſolummodò poſſit oculum fidei ad ipſum tenere apertum, ipſumque brachiis fortis, etſi non teneræ, dilectionis amplecti.

Modus vitandi omnem turbation. ſolo Deo contentari.

C A P. III.

De oratione quietis & fructibus ejuſdem.

ALiquandò anima devota facillimè potitur intimâ quiete & ſuſpenſione ſeu recollectione potentiarum, prout fit in oratione quietis, vel, ut alii vocant, ſomni myſtici; tunc ſolummodò ſervat ſimplicem & intimum intuitum ſeu contemplationem Dei cum ſuavi inclinatione ſeu influxu in informem & illimitatam Eſſentiam ſupremi Boni; reflexio verò ad aliquid aliud, etiam ad ſeipſam tunc in animâ rara eſt & exigua, ac facilè amiſſa; interim ſpiritus tunc optimè fovetur, roboratur, & quieſcit, abſque eo quòd ſciat, vel etiam po-

Quid ſit oratio quietis.

poſteà referre poſſit, quomodò aut qualiter. Poſt Orationem manent ſenſus & potentiæ valdè introverſi, non attendendo, ubi aut quomodò, remanetque in anima ſuavis propenſio ad perſeverandum in tali Oratione; cùm exteriores occupationes præſenti tunc diſpoſitioni videantur contrariari: tunc anima facilè diceret cum Principe Apoſtolorum; *Bonum eſt nos hîc eſſe, faciamus hîc tria tabernacula*; vellet enim ſic in tali abſtractione & à creaturis alienatione ſemper manere: miratur, & ſuaviter ac amoroſè conqueritur, quòd aliquot horæ tam citò tranſeant; quod difficulter credens, ſubindè auſcultat ad horam, quaſi è dulci ſomno expergiſcens, & ad illum adhuc propenſa; metuit, nè fortè aliquis naturalis ſomnus intercurrerit, utpotè cùm vix meminerit, quid illo tempore fecerit, non aliam habens reminiſcentiam, quàm in cõfuſo, quòd valdè intimè interiùs fuerit tracta, & ſimplici intuitu ac influxu in aliquid divinũ tetenderit, in quo omnia, ac ipſa cum omnibus omninò erat abſorpta, & hoc ſenſu quaſi annihilata; dum verò aliquid aut ipſa ſibi ipſi in mentem veniebat, noverat induſtriè ſubterfugere, nullam illius ſpeciem impreſſam retinédo vel fovendo. Poſt

Poſt illam oration. manet anima introverſa.

Matt. 17.

Somnolentia myſtica.

Poſt ſomnũ myſt. vix meminit anima quid fecerit.

Quid myſticè annihilari.

Digitized by Google

Poſt talem orationem legens horas, vel alias fundens preces vocales, id ita facit, ut vix maneat reflexio ad aliquid in particulari; abſolvit, antequam ſciat, modo quodam ſpiritualiori, lingua videtur promptior & expeditior in pronũciando, ita ut ſubindè ſubdubitet, an totum dixerit; ideò aliquandò aliqua repetit ad majorem ſecuritatem, ſed parùm juvat: non quòd ſit circa diverſa diſtracta; ſed quia potentiæ animæ quaſi in regione longinquâ, incognito quodam modo manent occupatæ, non diſcernendo, ubi: neque verò tunc aliquid occurrit, quod animam ad exteriora poſſit omninò revocare, aut à ſomno myſtico perfectè expergefacere: undè fit, ut recitatio orationis vocalis, devota contemplatio aut externa veneratio piarum imaginum, v. g. Matris amabilis, Crucifixi vel ſimilium, vel etiam aliæ ſenſuum operationes juxta exigentiam exercitii juxta ſuum ſtatum debiti aſſumptæ, quodam modo ſpiritualiſentur (quatenùs abſtractiori quodam ſtylo fiunt) & diviniſentur, quatenùs ſic abſtractiùs, & à corporeitate alieniùs, ac ſubtiliùs, à divino Spiritu in animâ exercentur.

Extremæ potentiæ in ſuis operat. tum non ita attendunt, ob introverſionem.

Quo ſenſu potentiæ ſenſitivæ ſpiritualiſentur & diviniſentur.

CAP. IV.

De perfectiori oratione quietis cum actuali oblivione omnium; ac de aliquâ obſcurâ claritate.

Per activam annihilationem intima introverſio.

IN oratione fit nonnumquàm, quòd anima in principio pêr activam remotionem ſeu ſubterfugium omnium objectorum, imaginum, ſpecierum impreſſarum &c. aliquantulùm temporis, mediæ v. g. horæ plus minus impendendo, veniat ad magnam tranquillitatem, ad intimam intuitûs ſimplicitatem, ad eſſentialem, id eſt, immediatam ſpiritûs unionem cum informi & ſummo bono: tunc evaneſcit actualis reminiſcentia omnium rerum, etiam ſui-ipſius; tunc ſubindè ad momentum quaſi unico reflexionis actu ſpontè exorto, ſubdubitat anima, ubi & in quâ conſtitutione ſit, an ſedens, an genuflectens, an in corpore vel extra: quod ut ſciat, ulteriorem adhibet reflexionem, imò motionem; ſed totum illicò dimittit; nam hæc ulterior reflexio

Quid unio eſſentialis.

Oratio intimæ quietis.

Minima reflexio, etiam a' ſe, nocet intimitati.

reflexio intimitatem ſpiritûs diminueret, & immediatam ejus cum Deo unionem tolleret, ac noxiam multiplicitatem induceret: ſicque facilè iterùm quaſi obdormit in Domino, ſicut aliquis expergefactus reflectens necdum eſſe tempus ſurgendi, facilè in ſomnum reincidit.

Anima iterum in Deo obdormit.

Poſt hunc ſomnum myſticum manet quædam quaſi ſomnolentia myſtica, ſeu ad talem ſomnum propenſio; quò fit, ut maneat in animâ magna quies & ſimplicitas in contemplatione informis ſui objecti, unici ſui & omnis Boni, ad exteriora verò quædam inhabilitas; ſic ut ſibi vim aliquam inferre debeat ad debitas functiones obeundas ſine confuſione, ad quas proindè ſe debet parùm extrovertere: quòd ſi iſta intima introverſio duraret, ad vitam activam exteriùs exercendam foret inidonea; ſicuti, qui ſomnolentiam excutere non poteſt, ingenio, vel aliter operari, aut cum aliis agere nequit, quin hinc indè vel invitus dormituriat, donec inclinationi ſatisfecerit; & quidquid aliòqui faciat, ſemper ad ſomnum inclinatum ſe ſentit: ità fit in animâ, ſpirituali ſomnolentiâ preſſâ; hæc enim ad alia ægrè ſe convertere

Somnolentia myſt. manet poſt ſomnum myſticum.

Inhabilitas ad exteriora.

Sicut in ſomnolento corporaliter.

Digitized by Google

Sic in myſticè ſomnolento.

vertere poteſt, ad minimum otium, reincidit, & vix ſibi præſens quidquid fecerit, ſe ad intimam illam quietem, ſeu ſomnum myſticum propenſam experitur.

Intimior abſtractio animæ.

Trahitur à caliginoſâ claritate.

Quid, & quàm impediat hîc propria operatio.

Sol ſub nubem ſe recondens.

Aliquandò pro modico tempore anima adhuc multò longiùs ab omni re creatâ, & ſimul à ſeipſâ videtur abſtrahi & alienari, ubi percipit quamdam (ut illi videtur) caliginoſam claritatem, à qua, ad quam, in qua totaliter attrahitur, invitatur & introtrahitur; quinimò facies corporalis ad illam ſuaviter componitur præter ordinarium per oſtenſionem alicujus eatenùs non viſi Boni: ſi tamen per propriam, id eſt, per naturalem & à Spiritu divino non excitatam operationem in fruitivâ illius boni contemplatione perſiſtere intendat, totum illicò evaneſcit: & licèt illâ caliginoſâ claritate diſparente fortè maneat, prout antè, in quiete & ſimplicitate ſpiritûs; attamen tanta eſt differentia inter unam & alteram animæ diſpoſitionem, ut in unâ videatur eſſe claritas ſtellæ, in alterâ, ſolis; accipe craſſam aliquam ſimilitudinem; perindè ac ſi ſol priùs ſe clarè manifeſtans, radioſque diſpergens, poſteà quaſi ſubito

bitò ſe ſub aliquam nubem retrahat, atque ità diei ſerenitatem ac claritatem commutans, unà ejuſdem delectabilitatem diminuat cœlo obnubilato. Anima Deiformis id vocat caliginoſam claritatem, eò quòd concipere vel exprimere, vel diſcernere non poſſit, quid illa in ſe ſit; & hoc ſenſu eſt caliginoſa, quia à comprehenſione intellectuali aliena; & nihilominùs eſt mira claritas ſeſe per animam diffundens, atque aliquid, neſcit diſtinctè quid, clariùs, quàm unquàm anteà, ipſi manifeſtans, quod ipſam totaliter attrahit & allicit, non tamen cum aliquâ diſtinctâ cognitione alicujus rei: poſtmodùm autem manet rurſus anima in ordinariâ quiete ac ſimplicitate abſque notabili introverſione.

Quare dicatur caliginoſa.

Et tamen claritas.

CAP. V.

In oratione introverſivâ ſubindè anima, imò & aliquouſquè corpus apprehenditur, attrahitur, irradiatur &c.

ALiquandò accidit, quòd anima contemplativa poſtquàm aliquanto tempore activè ſe habuit in ſubterfugio

omnium

Digitized by Google

Quid nuda fides. omnium objectorum, phantaſmatum &c. ac ſe in nudâ, ſeu nullâ ſenſibili experientiâ aut dulcedine ſuffultâ, nullaque ſpeciali illuſtratione veſtitâ, fide conſervavit; paulatim ad intimam deveniat introverſionem, id eſt, ad intimam ſpiritûs recollectionem & internarum ac externarum potentiarum à non Deiformibus actibus ſuſpenſionem: ità tamen ut aliqua hinc indè toleretur reflexio ad Deum vel ad aliquid divinum, vel Deiforme, id eſt, Dei beneplacito conforme, vel ad Deum conducens; aliquandò quaſi per ſubitos impetus quaſi arripitur ſpiritus, & veluti ſubitaneè abripitur, remanente corpore minùs idoneo ad ordinarias functiones: tunc ipſi videtur, quòd vix poſſet loqui, niſi balbutiendo, vel aliquid aliud peragere decenti modo, eò quòd membra videantur obriguiſſe; cor etiam in inſtanti aliquando abripi videtur per aliquem internæ illuſtrationis radium adinſtar fulguris penetrantem, vel inſtar ſagittæ velociter tranſeuntem ſpatio unius Ave: idque in tali conſtitutione aliquandò ſæpiùs iteratur. Antè & poſt hunc tractum, ſeu ſpiritûs penetrationem manet anima in quiete, & unitate mentis; quod tamen

Quid intima introverſio.

Quid Deiforme.

Abreptio ſpiritûs cum inhabilitate corporis.

Abreptio cordis per divinum radium.

Digitized by Google

men non impedit, quò minùs activo modo miſcere poſſit aliquod hinc indè verbum amoris, quò ſic ſtabiliùs & diutiùs in ſimili exercitio perſeveret; modò id fiat ex interno inſtinctu divini Spiritûs, quaſi ſpontè, non violentè: v. g. *O unicum Bonum meum, tu noſti, quià amo te:* vel; *trahe me poſt te; fac, ſim unus tecum ſpiritus*, & ſimilia. Si autem ſimilia quaſi à naturâ ſine directione Spiritûs Sancti extorqueantur, non capiunt locum, nec ad aliquid proſunt, niſi ad diſtractionem & multiplicationem animæ.

Admixtio verbi amoroſi, facta à Spiritu non impedit.

Secùs ſi à propriâ induſtriâ.

Porrò dum anima à divino Spiritu ultrò directa ad intimam ſolitudinem cordis ſic trahitur, ſi quis ad eam tunc accederet, timeret confundi, ratione ineptitudinis hominis exterioris: ità ut vix ſciat, quomodò aut quid loquatur, ex parte quaſi amens propter nimiam abſtractionem & ab omni creaturâ alienationem: aliquandò etiam pro modico tempore non percipit corporis conſtitutionem manens inſtar ſtatuæ quaſi paulò rigidior ſecundùm corpus, ſive ſedens, ſive ſtans, ſive genuflectens quaſi immota, & infatigabilis; poſtmodùm tamen ſentit membra fatigata & debilitata,

Anima à Spiritu in internâ ſolitudine ducta ad exteriora eſt inepta.

Immota quoad corpus & infatigata.

cuare (quantùm in ipſis eſt) ab omni inutili operatione, ſuſpendendo à ſuis operationibus tam internas, quàm externas animæ potentias, præſertim ſenſitivas, ac ſolùm locum dando ſimplici intuitui Dei, ac conformi affectui influxivo in ipſum, ſicque attentiſſimè, intentiſſimè, ſimpliciſſimè, ac placidiſſimè in Deo quieſcunt, excludendo quidquid ſimpliciſſimæ illi attentioni & quieti poſſet eſſe impedimento; undè patet eos non malo otio torpere, cùm imprimis in reprimendis phantaſmatibus & aliis præſertim partis ſenſitivæ importunis operationibus coërcendis continuè laborent, ac prætereà in actibus fidei & amoris nobiliſſimè occupentur; quod ut meliùs poſſint continuare, aliquas hinc indè aſpirationes, adorationes, ſuſpirationes, humiliationes, reſignationes &c. miſcent: vel potiùs Spiritus Sanctus ſimilia, ipſis vix advertentibus, in illis operatur: quo etiam fit, ut ſubindè ſequatur quædam animæ in Deum liquefactio, unio & transformatio: aliquandò etiam membra, humores, & quidquid in corpore eſt, videntur ad indiviſibile centrum aliquod in intimo cordis in inſtanti rapi: tuncque anima tractum fideliter

Internæ Orationis in aliquib.

Bonum & myſticum otium.

Nobiliſſima occupatio in fide & dilectione, &c.

Animæ liquefactio in Deo.

Digitized by Google

Quidquid in corpore eſt, etiam videtur introverti.

Immediata occupatio in Deo.

deliter ſequens velut ſola intrat in illud intimum cordis, ad nil ampliùs, nec ad ſeipſam reflectens, imò nec ad ipſum Deum, quatenùs ſcilicèt ſine ullâ diſtinctione, aut non ſciendo quomodò, immediatè in Deo occupatur. In tali diſpoſitione facilè tranſeunt aliquot horæ, quamquam non ſemper cum æquali introverſione paſſivâ; undè ordinariè in tali Oratione anima non impeditur audire, quæ circa ipſam fiunt, ſed omnia ſine reflexione prætermittit; ità ut corpus ſuum vix percipiat, niſi faciat probam movendo aliquod membrum; verùm & hanc reflexionem facilè dimittit, ſuaviter influens, ac ſe in Deo quaſi immergens & annihilans; abſque eò quòd poſteà ſciat de dictâ introverſione aliud dicere, quàm quòd in Deo placidè & amoroſè quieverit.

Vix ſentitur corpus.

Intima introverſio.

Anima tantùm remotè poteſt ſe diſponere ad introverſ.

Ut anima ad hoc bonum pertingat, valdè parùm coôperari poteſt, nec aliud utiliter præſtare, quàm ſe de longè diſponere per evacuationẽ omnium phantaſmatum, objectorum, ſpecierum impreſſarum, &c. ut omne divinæ operationis impedimentum tollat: Deus tamen non ſemper ad hoc attendit, nec ſervat tèmpus vel locum; ſed ſæpè etiam

in

in exterioribus occupationibus, in refectione, in choro, in conſortio aliorum, occaſione alicujus veritatis clarè in mentem incidentis, vel ratione alicujus ſententiæ ſacræ; vel etiam occaſione alicujus vanitatis diſplicentis, totus homo introtrahitur ad aliquid divinum, & ſubindè interiùs quaſi vulneratur & langueſcit jaculo intimi amoris; undè ſi poſſet, quæreret aliquem alicubi angulum ad quieſcendum, qui ſi ei poſſit contingere, quaſi amore languidus jacet in brachiis Dilecti, & dicit; *læva ejus ſub capite meo, & dextra illius amplexatur me*: tunc omnes ei creaturæ nauſeam pariunt, & quàmdiu ſic eſt, vita ejus ei eſt in patientia, & mori lucrum.

Deus introtrahit improvisè, & occaſionaliter.

Amore languidus & vulneratus quietem quærit.

Cant. 2.

CAP. VII.

Alia methodus orationis internæ.

Aliqui per experientiam didicerunt aliam ſpeciem orationis mentalis, quæ modo ferè oppoſito in anima Deo fideli exercetur; non per introtractionem potentiarum, ac omnium quæ in homine ſunt ad centrum cordis intimam recollectionem; ſed per quamdam ſur-

Digitized by Google

recollectionem; ſed per quamdam ſurſum-volationem ſpiritûs, hoc modo; aliquando unum verbum bonum, vel ſententia pia, vel aliquid aliud interiùs vel exterius, dabit homini contemplativo occaſionem, quòd quaſi in inſtanti arripietur, & inſtar ſtatuæ immobilis fiet; anima intereà quaſi tendit ſurſum ſecum trahendo corpus, perindè ac ſi ſurſum volare vellet, ſicut ignis incluſus rem cui includitur ſurſum impellit, ut ſecum ad centrum ſuum evolet; ſic enim anima tunc igne divini amoris ſuccenſa nititur ſurſum, ac corpus ſecum trahere conatur: undè facilè contingit, ut quis ſic tractus ſtet ſuper digitos pedũ, vel à terrâ ubi ſtat, vel genuflectit, vel ſed &, videatur velle volare ſurſum; cor etiam inflammatur in altum cum impetu amoris quaſi halitum præcludente, quem impetũ non ipſe homo propriâ induſtriâ, ſed ſpiritus Dei in ipſo ſubitò operatur, ipſo fideliter impetum ſequente & omnem attentionẽ ſurſum ad aliquid divinum ſuſpenſam tenente, quãdiu Deo placuerit ipſum ſic agere.

Oratio interna per modum evolationis ſpiritûs.

Attractio animæ ſurſum.

Per ignem amoris.

Inflammatio cordis ex impetu amoris

Hoc non ſemper contingit cum tali indiſtinctione, ut ſuprà, ſed per vivam impreſſionem alicujus myſterii divini; undè anima tunc & poſteà benè ſcit, quid vi-

Poſt hanc orationem ſcit anima quid viderit.

viderit, vel videat; quamquàm id, quod videt, totum in unitate divinæ eſſentiæ immerſum, penetratum, & veluti conditum appareat; ità ut myſteria illa quidem aliquandò per ſpecies impreſſas & imagines repræſententur; ità tamen, ut non ponant medium inter Deum & animam; non plus, quàm vas cryſtallinum impediat aſpectum ſolis, vel globus æneus ignitus ponat medium inter ignem & manum ſibi applicatam.

Species impreſſæ tunc non impediũt immediationem.

In hac animæ diſpoſitione omnia hæc inferiora videntur quaſi eſſe deorſum, & evanuiſſe propter diſtantiam à ſpiritu ſic elevato: tunc enim reipſâ habet converſationem ſuam in cœlis, & quemdam prægustum beatitudinis, certo modo imitando beatos in fruitione Dei in creaturis, & creaturarum in Deo: tunc incipit Deus illi eſſe omnia in omnibus cum diſtinctione ſine diſtinctione. Hic tractus animæ eſt diſpoſitio ad extaſim; imò dum vehemens eſt, & aliquamdiu durat, ſequitur languor & deliquium potentiarum, imò & membrorum, eo quòd halitus ſaltem ex parte impediatur: aliquandò hunc tractum præcedit exultatio & jubilus cordis cum difficultate reſpirandi, & impedimento in loquen-

In oratione evolationis terrena videntur procul ſita.

Imitatio Beatorum.

Deliquium myſticum.

Cavenda hîc impetuoſa coôperatio.

loquendo; tunc oportet ſibi cavere ab impetuoſa & vehementiori coôperatione, & quantùm in ſe eſt, omnia ſuaviter dimittere; quo fiet, ut anima quaſi violentiâ obruta, nec potens in tali ſurſum-volatu propter corpus ipſam aggravans diutiùs conſiſtere, incipiat concidere, & in intimam quietem in fundo cordis recolligi, ac in Deo quaſi amore victa, ſuaviter quieſcere.

A ſurſum-volatione anima amore victa in intimum recidit.

CAP. VIII.

Anima devota ſe perfectè gerit in externis occupationibus & converſatione.

DUm anima ad prætactas diſpoſitiones ac modos orandi propenſa, ab illis ceſſat aliis rebus ſtatui ſuo congruis vacatura; ac proindè cum aliquibus loqui, vel de aliis negotiis audire, vel agere debet; conatur ſe in omnibus gerere ſine adhæſione, ſine curioſis reflexionibus, non plus quàm opus eſt, ſibi attrahendo, nec anxiè ſe circa illa habendo; undè fit, ut nihil vel parùm illa ipſam impediant ab immediatâ unione

Quomodò anima interna ſe gerat in occupationibus externis ſine impedimen-

ne

ne cum Deo, utpotè cùm in illis non hæreat, ſed cum magnâ circumſpectione, & cuſtodiâ ſui perſiſtat in perfectâ omnium renunciatione, & conſequenter in verâ ſpiritûs libertate, ab omnibus ſoluta & libera. Porrò in his omnibus ad manum habet, & ſequi ſatagit internam Spiritûs Sancti directionem, inſtructionem & quaſi manu-ductionem, ut videat & ſciat, quomodò deinceps ſine impedimento, vel detrimento ſpirituali, in externâ converſatione & aliis occupationibus ſe gerere debeat; undè procedit in omnibus cum majori ſui cohibitione, cum exactiori attentione ad Deum, & ad perfectiſſimum ejus beneplacitum; non ſine continuâ & actuali affectuum ab omnibus expeditione, ſolutione, emundatione, & abnegatione omnium, quæ videt, audit, vel intelligit; quæ ipſa conatur in Deo videre, audire, & intelligere, ac iſto ſenſu in Deo annihilare, per converſiones, per aſpirationes, per introverſiones, ſuique in ipſo ab affectu adhæſivo exinanitiones: hæc tamen omnia fiunt ſuaviter, ſine violentatione ſpiritûs, ſine fractione capitis; neque verò hæc acta ſui cuſtodia, circumſpectio, &

to immediatæ cum Deo unionis.

Actualis abnegatio omnium.

Quomodò anima omnia in Deo operatur, cum ſui exinanitione.

Arcta ſui cuſtodia non tollit amicabilitatem.

& renunciatio, ſeu annihilatio omnium in Deo, impediunt aut tollunt, aut minuunt amicabilitatem in vultu, in verbis, in modo converſandi, ad dandam unicuique debitam ſatisfactionem ſecundùm negotiorum & conſortii exigentiam; quin potiùs aliquid divinum propter æquanimitatem & conſtantiam ac in agendis ſuavitatem omnium ad illam animos convertit.

CAP. IX.

Quomodò anima devota ſe habeat in contemplatione Myſteriorum, v. g. Mortis Chriſti.

Magis activa contemplatio alicujus myſterii.

DUm anima Deum amans ſe dans orationi, fortè non aſſequitur intimam recollectionem, nec in ſe experitur ſpecialem Dei operationem, aliquandò contemplatur, ſeu ſimplici intuitu attendit ad aliquod myſterium, v. g. ad ſeparationem animæ Chriſti à corpore ejus benedicto; tuncque aliquâ illuſtratione ſuperveniente incipit, v. g. anhelare, ut divinus ille Spiritus dignetur

tur in ſe, & in omnibus ſibi charis hoſpitari ad excluſionem & ejectionem malignorum ſpirituum, ac omnium divinæ directioni contrariantium, ex cordibus ſingulorum; cùm ratio poſtulet, ut ipſe ſolus manſionem apud nos & in nobis faciat, noſque in omnibus ſine ullo impedimento regat juxta ſuum beneplacitum, præſertim, quià nulla eſt conventio Chriſti cum Belial, nec lucis ad tenebras, nec ſpiritûs proprii amoris, aut hujus mundi cum Spiritu Chriſti. Talia deſideria exercentur tunc in animâ ex conſideratione, quomodò *Jeſus inclinato capite tradidit ſpiritum, emiſit ſpiritum, exſpiravit*, prout ſonant ſacra Evangelia: ideò anima devota quaſi tùm captat occaſionem attrahendi, invitandi, alliciendi ad ſe Spiritum Chriſti de corpore exeuntem, quatenùs non aliò, quàm ad ſe divertere, in corde ſuo hoſpitari, ſeque quaſi animare ſeu informare dignetur; atque ideò, perindè ac ſi id actu fieret, ipſum cum ſummâ reverentiâ, & tenerrimo amore excipit, amplectitur, alloquitur, quaſi in ipſo, & per ipſum ſolum deinceps reſpiratura, victura, & exſpiratura.

Joan. 19. Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23.

Invitat ſpiritum Chriſti ut ad ſe veniat & inhabitet.

Intẽtio Chriſti exſpirantis ut nob. ſpiritum ſuum inſpiraret.

Equidem ſibi perſuaſum habet, talem fuiſſe intentionem Chriſti exſpirantis, & ſpiritum emittentis, ut ſcilicèt à fidelibus arriperetur, & hoſpitio exciperetur; hinc ex teneritudine amoris loquens ait, v. g. Jeſu, mi Jeſu; tradidiſti tuum ſpiritum, eum emiſiſti, & exſpiraſti, ut illum nobis donares, ut ille nos vivificaret, nam verè ille *Spiritus eſt*, & nullus alius, *qui vivificat*: benè, optimè, fiat ita; os aperiamus, & attrahamus ſpiritum illum, ipſe cor noſtrum poſſideat, ac illud pleno jure inhabitet. Eccè ille à Chriſto emiſſus eſt, ſicut olim columba ex arcâ Noë: quærit alicubi figere pedem & quieſcere; eccè paratum cor noſtrum, Jeſu, paratum cor noſtrum! nè igitur, obſecro, ſe ampliùs fatiget ſpiritus Jeſu mei; veniat Dilectus meus, & quieſcat in cubiculo cordis mei, ac in omnibus Dei electis; inhabitet, regat, & perfectè poſſideat nos juxta ſuum beneplacitum: verùm nullus ibi ſubſiſtere poteſt ſpiritus ſuperbiæ, odii & rancoris, proprii amoris &c. cum ſpiritu Chriſti, qui eſt ſpiritus humilitatis, charitatis, & dilectionis; quocircà ô bone Jeſu, extermina & expelle à nobis, quidquid ſpiritui tuo contra-

Spirit. Chriſti debet ſolus nos informare.

contrarium inveneris, cùm tu ſolus illic inhabitare debeas; permitte quæſo, ut capiamus te, & ſinguli dicere poſſimus: *Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum* brachiis dilectionis, in funiculis charitatis, *nec dimittam.* Cant. 3. Similes amoroſæ contemplationes non raro exercentur in animâ Deum amante; amor enim diverſimodè operatur, nec ſemper eundem modum ſervat, ſed ubi vult, & quomodò vult, ſpirat, & agit.

Amor variè operatur.

CAP. X.

Oratio ordinariæ ſimplicitatis per noſtram coöperationem, attamen ſine violentiâ.

Annihilatio activa.

ALiquandò contingit, quòd anima in oratione per activam annihilationem, id eſt, per actuale & ſedulum ſubterfugium, & remotionem omnium objectorum, phantaſmatum, cogitationum, earumque in Deum converſionem, ſeu in Deo amiſſionem per exercitium fidei, perfringat quaſi condenſam

Oratio ordin. ſimplicitat.

Digitized by Google

nebulam & pertingens ad mentis ſerenitatem magnam aſſequatur quietem, & intimam introverſionem; ſicque aliquamdiu maneat tota in Deo abſorpta, & occupata, abſque eo, quòd ſciat quomodò. Atque hanc voco ſimplicitatem extraordinariam, quam Deus ſolus animæ donare poteſt; poſt illam tamen remanet in ſimplicitate & quiete ordinariâ, id eſt (prout ipſi videtur) quam per ſollicitam ſui cuſtodiam, & actualem conatum ſubterfugiendi omnia ſpiritûs impedimenta, aliquo modo conſequi, & ſtabiliter conſervare poteſt.

Simplicitas extraord. ſeu intima introverſio.

Simplicitas ordinar.

Porrò hæc ſimplicitas non cauſat notabilem alienationem ſenſuum, benè tamen eorum quamdam ſoporationem, quæ impediat nimiam eorum vivacitatem; potentiæ animæ hinc indè nonnihil evagantur, ſed ſunt quaſi in ſubjectione, & facilè revocantur, ſicut aviculæ fulcimento alligatæ, quæ ad libitum retrahuntur, manent tamen pronæ ad avolandum; eò quòd ſpiritus pro tunc nihil notabile videatur operari, nec eas ad interiora efficaciter trahat, vel earum evagationem impediat: hoc tamen non obſtante videntur in fundo animæ ſubindè excitari aliqui ſimplices Dei intuitus cum aliquibus

Non cauſat alienationem ſenſuum notabilem.

Potentiæ ſoporatæ ſpiritui ſubjectæ.

aliquibus piis motibus; qui propriè non ſunt orationculæ jaculatoriæ, nec vehementes impetus, v. g. amoris, ſed ſunt quidam actus liberiori, ac magis ſpontaneo quodam, ac minùs laborioſo ſeu activo modo exerciti, ſervientes tamen ad ſpirituale animæ pabulum, ad ejus confortationem & contra malum otium defenſionem; ſiquidem hæret fides in intellectu, & conformis affectus in voluntate cum aliquot hinc indè reſultibus ſpiritûs, uti tactum eſt. *Internæ operationes in ſimplicit, ordinariâ cōtra malū otium.*

Hæc ſpecies orationis etiam facillimè per horas continuatur ſine fatigatione, dum illi anima eſt nonnihil aſſuefacta; nam per activam illam annihilationem potentiæ animæ ſunt quaſi edomitæ & directioni ſpiritûs ſubjectæ, mortificatæ, nec nimis vivaces; ſicque ſine magnâ moleſtiâ continentur ſeu coërcentur, & diſtractiones occurrentes facilè declinantur; cùm verò aliundè anima ſupponatur in nudâ vel vivâ fide exercitata, in ejus exercitio, & piis voluntatis motibus ad exercitium fidei reſultantibus facili negotio ſeſe occupare poteſt: alioqui in principio, antequàm aliquis habitum ſeu conſuetudinem acquiſivit, talis modus orationis eſt ſatis difficilis, & capiti noci- *Oratio ſimplicit, ordinariæ eſt facilis.* *Potentiæ edomitæ.*

Digitized by Google

Cavenda violentia. vus, niſi ſciat diſcretè & ſine violentiâ illum paulatim in praxim redigere.

Spiritus nũquam violentandus. Regula quædam generalis eſt hîc neceſſaria, ſcilicèt, nunquam violentare ſpiritum in ullo exercitio, ſeu nunquàm cum violentiâ aut vehementiâ procedere, ſed ſua facere fortiter, ſeu conſtanter, & ſuaviter; quę regula poteſt & debet ſervari in plurimis caſibus, tentationibus &c. aliòqui fiet, ut plerumque multùm fatigemur ſine fructu, & cùm præjudicio ſanitatis, prout experientia docuit in multis, qui ex indiſcreto & violẽto procedendi modo multis & continuis capitis doloribus facti obnoxii, ad omnia effecti ſunt ignari & inutiles, cum magno detrimento profectûs ſpiritualis; ſic ut qui antè tempus volare velle videbantur ad ſummam perfectionem, poſteà deſides facti ſint, propriæ commoditatis amatores, & ſpiritualis profectûs neglectores.

Violentia nociva corpori & animæ.

CAP. XI.

Anima per ſuam negligentiam in ariditate relicta, humiliando ſe, reſtauratur.

TRanſeunt ſubindè aliquot horæ in oratione, abſque eo, quòd anima ſciat,

ſciat, quomodò tempus elapſum ſit, partim in intimâ recollectione, partim in ordinariâ ſimplicitate: metuit tamen aliquandò, nè pro aliquo tempore naturalis quies, & falſum otium colludant; quod dum ex notabili aliquâ ejus negligentiâ contingit, etiamſi fortaſſis mentis ſimplicitas, ac introverſio non omninò evaneſcant; interiùs tamen durè & rigidè à Deo corripitur & arguitur, de illo tempore pro parte negligenter, & infructuosè tranſacto; ac in pœnam illius aliquandò Deus permittit & relinquit illam in ariditate, & derelictione ſpiritûs cum aliquâ mœſtitiâ tendente ad puſillanimitatem; eò quòd habeat indè impreſſionem aliquam quòd omnia ſua exercitia Deo diſpliceant, quòd vita ipſius ſit mera hypocriſis, quòd omnes decipiat apparendò bona, & pia, & purè quærens Deum, cùm non ſit; quòd modus ejus vivendi pluribus videatur rectus, & in Dei Spiritu fundatus, cùm ſit plenus dolo, & naturâ; etenim menti ipſius incidit, quòd natura potuerit inſtar ſimiæ imitari gratiam: undè quod confidebat anteà à gratiâ & divino Spiritu procedere, jam à naturâ proceſſiſſe veretur; ſicque in incertitudine fluctuat, an omnes ſuæ virtutes,

Interna correptio ob negligentiam in oratione.

Ariditas.

Anxietas animæ in culpabili ariditate.

Natura ſubinde agit ſimiam gratiæ.

tes, orationes &c. non fuerint & ſint merè naturales, uti & omnes præcedentes in ſpeciem piæ motiones, impetus, fervor, Dei amor &c. eò quòd tunc ſibi imaginetur, quod naturalis complexio, naturalia motiva, & corporalis diſpoſitio ad iſta omnia plurimùm poſſint conducere; ſicque metuit, utrum omnia, vel major eorum pars, non ſint in naturâ fundata, & fomentata, quæ anteà ut à divino Spiritu profecta ipſa æſtimabat, ventilabat, & alii in ipſá ſuſpiciebant.

Animæ humili grave eſt quòd ſit in bonâ opin. apud alios.

Tunc judicium ſibi grave imminere cordialiter cogitat, & plurimùm dolet, ex eo quòd ſciat multos bonam de ſe opinionem formâſſe, quaſi eſſet perfectioni proxima, cùm tamen ſe ità aridam, & in charitate tepidam &c. experiatur & ſentire videatur. Porrò hîc tempus eſt, ut anima ſe profundiſſimè humiliet coram Deo, & per cognitionem ac confeſſionem propriæ imbecillitatis & infidelitatis in nihilo ſui deliteſcat, excludens tamen omnem puſillanimitatem per firmam in Deum fiduciam;

Humilis non ſit puſillanimis.

quam ut foveat, opportunè ſub præſidium Matris amabilis confugere poteſt, per ejus interceſſionem à Deo veniam

ſuæ

Digitized by Google

ſuæ infidelitatis & negligentiæ humiliter poſtulando; in quem finem huic Matri benigniſſimæ blanditur, & inſtantiſſimè ſupplicat, quatenùs apud Filium loqui dignetur pro ſe bona: hîc miſcentur verè filiales ad ipſam recurſus, alloquia, ſupplicæ, cum innocentiâ & humilitate cordis; quo pacto tempeſtas nonnihil ſedatur, tranquillitas redit, turbatio evaneſcit, reſignatio ad omne Dei beneplacitum creſcit, tandemque tota in Deo quieta manet, quidquid ex diſpoſitione divinâ illi acciderit; id quod potiſſimè fit, dum ſe reſolvit ad voluntariam carentiam omnium donorum Dei; ſaltem quoad ſentire vel experiri, utpotè quibus ſe planè indignam fateatur; ſeſe adhuc nimis felicem reputans, quòd non obſtante ſuâ negligentiâ & infidelitate ergà Deum in multis, adhuc Dilectum ſuum ſecundùm ejus eſſentiam in ſe habeat, in ſe poſſideat, ac ubique inveniat, abſque eo, quòd id ab aliquo impediri poſſit, ut alibi dictum eſt.

Recurſus ad D. Virgin.

Quies animæ humilis in derelictione.

Digitized by Google

CAP. XII.

Anima perfecta quærit Deum ſecundùm ſe, non in ejus donis; non ſine morte naturæ.

Perfectiores clariùs vident ſuos defectus.

QUò anima Deiformis magis proficit in ſpiritu; eò magis & magis detegit inſidias & ſubtiles inventiones proprii amoris; quocircà ab omni adhæſivo affectu creaturarum ſeſe evacuans ſubindè intimiùs introducitur, & interiùs perfectiùs inſtruitur, quomodò abſolutè nihil aliud intendere vel prætendere liceat, quàm Deum eſſentialiter, ſive ſecundùm ſuam eſſentiam, ſecundùm quod in ſe eſt, nimirùm ſummum Bonum abſolutum, ſine reſpectu ad creaturas, vel ad dona &c. Item quomodò ſe gerere debeat in actuali carentiâ omnium, quæ Deus non ſunt (dum ei ità viſum fuerit) cùm plenâ animi ſatisfactione in ſolâ eſſentiâ ſummi Boni, Dilecti ſui. Tunc etiam cognoſcit ſtatum ariditatis, deſolationis, & carentiæ non eſſe imperfectiorem, quàm ſit ſtatus dulcedinis, illuminationis, internæ conſolationis, ac ſenſibi-

Nil intendeṅ ſi puriſſimè Deum.

Quid agendum in actuali carentiâ omnium &c.

Status ariditatis non eſt imperfectior, ſed ſæpè utilior.

ſibilis divinorum chariſmatum fruitionis; quin imò clarè videt talem ſtatum ſibi eſſe utiliorem & convenientiorem ad hoc, ut in puritate ſpiritûs magis impermixtè procedat; utpotè cùm extrà omne periculum adhæſionis ad aliquid creatum, Dilectum ſuum immediatiùs in fundo cordis ſui poſſideat, & eum prout in ſe eſt, ſine ullo prorſus impedimento amplexari poſſit; quòcumque ſeſe verterit, inveniendo puriſſimè divinam eſſentiam tam intrà, quàm extra, ſine admixtione ſenſibili donorum ejus, ac proindè ſine periculo alicujus adhæſionis ad aliquid extrà Deum: alioqui ſi anima aliter ſe gerat affectando aliqua ſenſibilia Dei dona, eorumque carentiam graviter ferendo, ſatis innuit ſe non purè quærere Deum ſecundùm ſe, ſed ut iſtis donis veſtitum, ac proindè ipſi immediatè uniri nequit; quia verò fragilitas naturæ noſtræ tanta eſt, ut facilè ineſcetur & inhæreat dulcedini, ac illuſtrationi, aliiſvè ſenſibilibus Dei donis, ſicque abſtracta & illecta à puriſſimo Dei amplexu impediatur, ſatiùs eſt Dei dona ac gratias ſine ſenſibilitate poſſidere, ſeu eis quoad ſenſum & guſtum carere, ut ſic fragilitati noſtræ meliùs con-

Pro puritate ſpiritûs.

In aridit. minùs periculum adhæſionis ad creaturas.

Qui affectat Dei dona, non quærit ipſum nudè ſed ut veſtitum donis ſuis.

Eſt tutius ſtare ſine gratiis perceptibilibus.

Anima aliquidquærens extrà Deum non poteſt ſe levare ſupra ſe in Deo.

conſulatur; alioqui quamdiu anima aliud prætendit, manet inſtabilis, nec ſe ſuper omnia ad Deum & in Deo ſublevare poteſt: at ſi ſe ipſam in hoc ſuperaverit, nihil extrà Deum quærendo, ac ipſum Dilectum ſuum eſſentialiter, extrà omnem modum, purè in ſeipſo, ſeu in ſuâ eſſentiâ poſſidendo in quacunque diſpoſitione, non faciendo diſcrimen inter unam vel alteram; vix alicui mutabilitati ampliùs ſubjecta eſt, præſertim quoad partem rationalem; imò nec multùm quoad ſenſitivam, utpotè parti rationali ritè ſubordinatam. Ratio eſt, quia eſſentia divina non mutatur, ac proindè in qualitate objecti non cauſat mutationem, quia ut ſic ſemper eſt eadem, & abſtrahendo ab accidentibus, ut eadem proponitur, & apprehenditur.

Purè quærens Deum ſecundùm ſe fit quaſi immutabilis.

Ratio, quare.

Totalis abnegatio eſt naturæ dura.

Verumtamen natura ægrè hoc videtur velle intelligere, eſtque illi continua mors, ſic ab omnibus rebus creatis affectu ſeparari, ac ad talem carentiam totaliter ſe reſolvere: ſiquidem natura appetit ſemper aliquid, cui innitatur, ac habere certitudinem aliquam pro aſſecuratione; nunc autem debet renunciare omni certitudini, omni fulcimento, ac omnia prætermittere. Verumtamen illi

Digitized by Google

illi ſic mori lucrum, etſi videatur durum, cùm ad carentiam omnis ſolatii ſe reſolvere debeat: quòd ſi anima multùm profecerit in humilitate & ſui annihilatione, mors illa mirabiliter dulceſcit; humilitas enim facit, ut anima nihil aut parùm indè patiatur: anima quippè perfectè humilis, & annihilata novit ſibi nil deberi præter deſolationem & carentiam omnium, imò nimium favorem adhuc reputat, in Dei præſentiâ tolerari; quin eò venit, ut vix ei de hoc incidat cogitatio; multò minùs conqueritur, cùm nihil prætendat, benè ſciens nihil ſibi deberi; quocircà manet omninò quieta, & ſemper ſatisfacta; ſolummodò affligitur, dum videt ſe aliquam ergà Dilectum ſuum, & unicum Bonum committere infidelitatem, eò quòd ſic etiam ejus eſſentiali præſentiâ poſitivè fiat indigna, & intolerabile illi videatur, quòd unum nihilum contrà Omne, contrà Omnipotentem inſurgat. Attamen anima annihilata hoc etiam modeſtè & ſuaviter prætermittit cum profundâ agnitione ſuæ temeritatis & fragilitatis, idque ſimpliciter, nec plus; alioqui in illis nimis anxiè & inquietè hærendo, delinqueret contrà ſimplicitatem & nihileitatem, &

Humilitas facit iſtam abnegationem facilem.

Perfecta humilitas.

Humilis animæ ſenſus in defectu commiſſo.

& inutiliter turbaretur ergà pluri-ma.

CAP. XIII.

De amore Dei ſine proprio intereſſe, cum Reſignatione ſui in tempore & æternitate.

ANimæ amoroſæ ſubindè venit in mentem, an Dilectum ſuum etiam amet ſine admixtione proprii intereſſe, cum perfectâ ſui ad ipſum reſignatione in omnibus, quæ eo diſponente vel permittente ipſi vel aliis poſſent evenire in tempore & æternitate, ſivè bona, ſivè mala? ad hoc reſpondet, ſe eſſe nimis parvam, ut ſe reſolvat; ſi tamen ulteriùs urgeatur, videtur reſpondere, quòd ſic; cùm conditione, quòd ſi deberet gravibus & diuturnis malis afflictari, vel etiam pœnas inferni ſubire, maneret præſervata ab impatientiâ, blaſphemiis, & odio Dei, atque in ejus dilectione firma & radicata; quòd alioqui ad iſta mala ſe reſignare non poſſit, nec velit: poſt ſimile reſponſum videtur ſubindè veluti quieſcere in ſinu & ad ubera Matris amabilis, omninò amoroſè & tenerrimo

Reſignatio in voluntate Dei in tempore & æternit.

Excepto peccato.

rimo affectu ad illam converſa, cum ulteriori influxu amoris in Dilectum ſuum: hoc fit per aliqua hinc indè verba amoris nunc ad illam, nunc ad illum, non per longos diſcurſus, ſed per anfractus verborum, ſinens omnia fluere in dilectionem Dilecti: tunc enim vel unicum verbum ſufficit, & provenit ex tenerrimo affectu: undè ei dulciſſimum eſt ſic manere.

Quies in D. Virgin. & unà in Deo.

Aliàs quantum ad perfectam illam ſui reſignationem in voluntate Dei, in tempore, & æternitate, anima facilè ſic eſt diſpoſita, ut etiamſi nec cœlum eſſet, nec infernus, tamen nihil minùs facere vellet, quàm facit; imò etſi ex revelatione illi conſtaret de futurâ ſuâ damnatione; equidem nihil agendorum omittere vellet, quatenùs ut minùs, tam modico temporis ſpatio, quo durat vita noſtra, meliori, quo poteſt, modo ſervire poſſet Dilecto ſuo, ac virtutes exercere ſecundùm exigentiam ſui ſtatûs, & divini beneplaciti: ſiquidem æſtimat magnam eſſe felicitatem, magnam gratiam & favorem, ſervire tam bono & tam magno Domino; cujus vel ſola memoria ipſi per totam æternitatem dulcis foret & conſolatoria, ſtantibus conditio-

Anima perfectè reſignata nil omitteret de agendis, etſi ſciret ſe damnandam.

Magnus honor etiam gratis Deo ſervire.

ditionibus, ut ſupra, de Deo nunquam blaſphemando, odio habendo, vel aliter offendendo.

CAP. XIV.

Anima in intimâ oratione certo modo eſſentialiter fruitur Dilecto ſuo.

ANima Deum intimè amans, non rarò ſe invenit inclinatam ad abſtractiſſimam introverſionem & internam quietem, ac ſe dans orationi, plures facilè horas in illâ impendit. Porrò quies illa eſt inſtar dulcis ſomni in Deo, quaſi unius infantis ad ubera matris: comitatur ſuavis, & (ut videtur) eſſentialis, ſive in intimo cordis exercita, occupatio, ſeu reſpiratio in divinâ eſſentiâ, per ſimplicem perceptionem, & indiſtinctam cognitionem ac ſuavem fruitionem ejuſdem, animâ quaſi ſuaviter in eâ reſpirante, & ſoporoſè quieſcente. Alienatio ſenſuum tunc non eſt adeò notabilis, quamquam etiam quaſi ſint ſoporati, minùs vivaces, & ad interiora invitati; undè hinc indè miſcetur quædam ad ſeipſam vel ad aliquid aliud reflexio,

Oratio quietis inſtar ſomni in Deo.

Quid hîc eſſentialis fruitio Dei.

Senſus ſoporati, & introtracti.

reflexio, ſed ſine adhæſione vel ſiſtentiâ; quarè & facilè amittitur: res aliæ repræſentantur ibi rarò & modicè, ac facilè prætermittuntur; eò quòd internus aſpectus in divinâ illâ & informi Eſſentiâ jugiter occupetur, & ſpiritus videatur tunc omnes animæ potentias ſuo habere ſubjectas motui & imperio; ibi videtur etiam doceri, quòd hoc ſit Deo frui eſſentialiter, id eſt, in ſe ipſo, impermixtè ab omni accidente creaturarum, quantùm ad actualem perceptionem; tunc anima quaſi ſatiatur cum inſtructione, quòd nihil aliud deſiderare meritò poſſit, aut liceat; & reverà avarus valdè judicaretur, cui Deus ſic non ſufficeret.

Quid frui Deo eſſentialiter.

In tali conſtitutione quaſi ſpontè ſubindè excitatur ſimplex & ſuavis aſpectus Matris amabilis, cum invitatione, pellectione, & ſtatim ex parte evaneſcente inclinatione ad unà cum ipſâ in Dilecto quieſcendum, ad quem ſuavis ille & ſimplex intuitus videtur fluere, & in eo perdi; ſicut ſi infans dormituriens cùm interiori jubilo viſâ matre, eam ad ſecum quieſcendum invitaret, & in complexu matris obdormiſcens ejus reminiſcentiam amitteret, & dulcem ad eam converſionem evaneſcere, & in ſomnum fluere

Tenerrimus affectus ergà D. V. deſinens in Deum, & ibi quaſi cum ipſâ obdormiendo.

More infantis in ſinu matris.

fluere ſineret: undè patet, quòd hæc omnia ſimpliciſsimè, ſuaviſſimè & ex parte, paſſivo potiùs, quam activo modo peragantur in animâ, ſine impedimento ſpiritûs, quin potiùs cum fomento iſtius in Deo quietis; ſicque omnia ſimul fluunt in Dilectum; imò tunc omnia videntur coôperari ad fovendam illam introverſionem & quietem.

Omnia coôperantur ad quietem in Deo.

CAP. XV.

Poſt orationem quietis remanet tranquilla diſpoſitio animæ, ſine adhæſione ad aliquid.

Poſt orationem quietis manet anima recollecta.

POſtquàm anima amoroſa in tali oratione quietis optimè fuit excepta & refecta, eamque jam debet deſerere ad peragenda negotia ſuo ſtatui conformia; manet equidem cum omnibus potentiis ſuis internis & externis ſuaviter recollecta, eas quaſi habens ad nutum & edomitas; retinet inſuper ſimplicem quandam occupationem interiorem cum divino illo objecto (in quo anteà placidiſſimè quievit) interno fidei oculo, imò & aliquo modo, corporeo, quaſi introtracto, nec ab eo avertibili: quòd ſi anima hîc ſe fideliter gereret, ac cuſtodiret,

Cum ſuavi occupatione in Deo.

diret, videtur quòd ſit ſatis facile in tali introverſione, & ad quietem intimam diſpoſitione perſeverare; ſolùm enim cavere debet à nimiâ ſenſuum vivacitate, à curioſâ & non neceſſariâ occupatione, à phantaſiæ evagatione, ab appetitûs ad aliquid creatum adhæſione, à deliberatâ ad futilia reflexione; quod pro tunc omninò facile eſt, quia ad interiora tunc cum omnibus potentiis allicitur, ſuaviter trahitur, nec ſine aliquâ violentiâ in principio, extrotrahitur.

Modus introverſionem fovendi poſt oratione quietis.

Tunc anima perfectè intelligit, quid velit Apoſtolus, dum monet gaudendum, quaſi non gauderemus; flendum, quaſi non fleremus; habendas uxores, quaſi non haberentur; utendum hoc mundo, quaſi non uteremur; item conſequenter, quid ſit videre, audire, guſtare, loqui &c. quaſi non videremus, audiremus, guſtaremus, loqueremur &c. tunc cognoſcitur, quòd ex his omnibus non remaneant in animâ imagines ſeu ſpecies impreſſæ ſpiritum impedientes; tunc experientia docet, quòd nullæ creaturæ intuitum animæ, nec ejus converſionem, introverſionem vel immediatam cum Dilecto unionem poſſint impedire: ſiquidem dum omnia ità ſine vivaci reflexione, attractione, & ſine

Quid ſit gaudere, quaſi non gauderemus, uti creaturis quaſi non uteremur &c.

Nullæ creaturæ à Deo impediunt, dum ad illas nulla eſt adhæſio.

Digitized by Google

Quo ſenſu ſunt quaſi nõ eſſent. ſine affectâ adhæſione peraguntur, ſicut anima in illis non ſiſtat, nec hæreat; tùm omnes creaturæ, objecta, uſus potentiarum, applicatio ſenſuum, lætitia, triſtitia &c. ſunt quaſi non eſſent; eo quòd internus aſpectus omnia obiter & velut inadvertenter prætereat, & hoc ſenſu annihilet, ac in Dilecto fixus maneat cum ſuavi ad ipſum & in ipſo amoris influxu. Simile frequenter contingit hujus ſæculi amatoribus, qui aliquandò ad aliqua, v. g. ad commercia, ad aliquam perſonam, ad alias vanitates totâ imaginatione & appetitu ità abripiuntur, ut reliqua omnia non attrahant, ſuperficialiter faciant, nec poſteà ferè eorum recordentur, aliis toti intenti.

Quid ſit annihilare creatur.

Attentio ad Deum.

Simile in mundi amatoribus.

Fidelitas neceſſ. r a, ut introverſio conſervetur. Porrò anima debet hîc eſſe fideliſſima, ut ſe ſic introverſam teneat, & ab omnibus liberam conſervet; aliòqui hanc intimam in Dilecto occupationem facilè amittet, & ad naturæ vivacitatem in applicatione ſenſuum, in uſu creaturarum &c. illicò redibit cum magno detrimento ſpiritualis profectûs: Dilectus enim per animæ tunc infidelitatem alienatur, & conqueritur, quia *Oculi* animæ ab intuitu illius ad aliquid aliud obtutum figentes *Ipſum avolare fecerunt*, eò

Dilectus vult ſolus amari.

eò quòd Sponſus *Zelotes ſit nomen ejus:* quòd ſi anima manſerit hîc fidelis, mirabiliter proficit in puritate cordis; quia per internam illam & ſtabilem introverſionem brevi amovetur, & conſumitur, quidquid in animâ naturale, ſenſuale & imperfectum eſt. Felix proindè anima, quam Dilectus taliter ad ſe, & in ſe trahit, ac ad ſe ſolum reſpicere facit, & quæ tractum illum fideliter ſequitur; verè talis meritò clamat: ô amor meus, omne bonum meum, *Trahe me* ſic ſemper, *poſt te*, ut reliqua omnia nihili faciens non digner ea vel ſemel reſpicere, ſed ad te ſemper ſit converſio mea, tibi ſoli omni tempore adhærendo, ut unus tecum ſpiritus efficiar.

Introverſio cauſat purit. cordis.

Cant. 1.

Votum pro ſtabili introverſione.

CAP. XVI.

Intimæ operationes Spiritûs cum amiſsione omnium Creaturarum in Deo.

DUm anima ſic vivit, quaſi non viveret, utitur creaturis, quaſi non uteretur, ut dictum eſt, ſubterfugiendo omnem nimiam in illis vivacitatem, affectatas reflexiones, & adhæſiones (quod in

Quid vivere quaſi non vivere &c.

in præſcriptâ conſtitutione facilè oſtendimus poſſe fieri) tùm experitur, quòd aliqua objecta quaſi ſponte à divino ſpiritu in intimo cordis ſuggeſta, v. g. aliquis, pro quo Deus vult orari, Mater Amabilis, Puer Jeſus, vel aliquid aliud in Deo charum, aliqua anteà facta, aliqui noſtræ curæ commiſſi, vel nobis commendati &c. non impediant ſpiritum in ſuâ ad Dilectum converſione, in intimâ ad Deum introverſione, ſed facilè accipiantur in ſimplicitate cordis.

Aliqua à Deo ſuggeſta à Deo non impediunt.

Quid ſit Deiforme.

Tunc anima diſtinctè cognoſcit quaſi unico ictu oculi, quid ſit Deiforme, ſeu quid conformiter divino beneplacito faciendum vel omittendum ſit: dùm pro aliquâ re orat, id facit per ſimplicem præſentationem & humilem ac ſuavem commendationem, quaſi amoroſo oculo oſtendendo Dilecto neceſſitatem, ſperatam utilitatem, ejus ex exauditione gloriam, ac deindè committit totum divinæ ejus providentiæ ac beneplacito cum plenâ reſignatione. Idem eſt, dùm illi adveniunt aliquæ illuſtrationes circa aliqua myſteria, v. g. circà nativitatem, ſive infantiam Jeſu, circa Chriſti paſſionem, & ſimilia; vel etiam dum experi-

Modus orandi animæ introverſæ.

tur

tur aliquas alias circà iſta ſpiritûs operationes; ſcilicèt, quòd dum illæ operationes, illuſtrationes, ſeu claræ cognitiones interiùs quaſi ultrò à Spiritu divino proveniunt, ibi omnia iſta in animâ fieri & manere poſſint, ſine impedimento, vel mediatione faciendâ, quaſi in unitatem ſpiritûs converſa, nec cauſantia ſpecies vel imagines impreſſas, quæ immediationem animæ cum Deo impediant; utpotè cùm non attrahantur, & ſic ſint, quaſi non eſſent.

Cognitiones, illuſtrationes &c. à Deo intus cauſatæ immediatam unionem non tollunt.

Id quod eſt notatu digniſſimum in ſimili modo loquendi in tali vitâ, dùm dicimus v. g. nullas in animâ eſſe, vel admitti debere creaturarum, nequidem D. Virginis, Chriſti Domini, vel etiam Sanctiſſimæ Trinitatis imagines, vel ſpecies impreſſas, nullas proprias operationes, affectiones ad aliqua, & ſimilia; quæ omnia accommodè & ſenſu dato intelligenda ſunt: anima enim in ſtatu de quo in hoc tractatu agimus, nunquàm otiatur, ſed excellentiſſimè operatur cum divino Spiritu ipſam agente, manens ſolummodò libera à ſuis groſſioribus & à naturali ſpiritu ſuggeſtis vel imperatis operationibus; atque hoc ſenſu otioſa, ſed ſe à divino Spiritu agi ſinens,

Quo ſenſu imagines etiã piæ, propriæ operationes &c. debeant vitari.

Amoroſa anima ſemper cum Deo agit.

Otioſa à propriis.

&

& illi fideliter coöperans, à cæteris omnibus, vel à fixâ ad cætera omnia reflexione, & extra Deum adhæſione ſibi ſtudioſè cavendo. Undè tùm omnia novit accipere in Deo per modum tranſeuntis, & præterfluentis, eo ferè modo ſicut in mari aliqua hinc indè videmus emergere, & iterùm ſtatim undis involvi, ad quæ proindè nemo ſenſatus diuturnum obtutum convertit, nec cor apponit: ſic enim etiam anima aſpicit omnia in immenſo Divinitatis oceano per modum tranſeuntis, cum renunciatione & non attractione omnium; ex quo in ipſâ ſequitur habitus perfectæ abnegationis omnium, totalis animæ in Deo quaſi immerſio, ac cum Deo, ejuſque beneplacito in omnibus conformatio.

Omnia accipere in Deo tranſeunter.

CAP. XVII.

Transformatio animæ in Deum; quomodò anima ſe tunc habeat in intimo ſilentio.

EX prætactâ animæ amoroſæ conſtitutione, ſequitur ſubindè (ut ipſi videtur) quædam in Deum transformatio,

Digitized by Google

matio, ſeu potiùs proxima ad eam diſpoſitio; quæ tum aliquandò fit per quamdam immerſionem, inundationem, amiſſionem animæ & omnium creaturarum in Deo; illa autem immerſio, vel inundatio, vel amiſſio nihil eſt aliud, quàm actualis omiſſio reflexionis ad ea, ſeu actualis eorum in Deo oblivio; cauſata per intimam actionem divini Spiritûs, ſeu per amoroſam illiquefactionem animæ in Deo; in quo pro aliquo tempore videtur abſorberi, & immergi, ac ſimul perire omnis reflexio ad ſe vel ad ullas creaturas.

Transformatio in Deum.

Quid amiſſio rerum in Deo.

Hoc ferè fit paſſivo modo, & ſine propriâ, ſenſu dato, operatione; ſiquidem anima hîc parùm præſtare poteſt, niſi tollere omnia impedimenta, & in ſilentio præſtolari tractum Dilecti, qui quando vult, ſpirat & trahit, ac ſæpè inexſpectatus venit; quo etiam caſu ipſemet animam diſponit, etiam dum minima ad hoc erat apparentia. Hæc eſt ejus bonitas. Porrò dùm anima à Spiritu divino ſic non agitur, *Bonum eſt cum ſilentio præſtolari ſalutare Dei:* volo dicere, cum interno ſilentio potentiarum, paſſionum, appetituum, phantaſiæ, ſpecierum impreſſarum, effi-

Anima ad transformat. nil poteſt niſi tollere impedimenta.

Solus Deus agit.

Tren. 3.

Cum ſilentio interno exſpectare Dominum.

 ciendo,

ciendo, nè inde ſtrepitus inordinatarum & rudium operationum in ſpiritu excitetur, & interiorem ad vocem Dei obtundat auditum, divinamque impediat actionem; ſiquidem ad hanc diſpoſitionem anima aliquid conferre poteſt; etſi in eâ non multùm niti liceat; neque enim Dilectus eam multùm curat, ſed venit, dum ipſi placet, & plerumque vult ſolus facere totum; tuncque fit *Silentium in cœlo, quaſi mediâ horâ*, id eſt, in cœlo Deiformis animæ oritur ſupermagna tranquillitas & quies ſine motione, ſine turbine, ſine tumultu creaturarum, ſine reflexione, ſine adhæſione ad aliquid creatum, pro aliquo tempore: hoc eſt magnum ſilentium perfectorum Carmelitarum, quod nè verbulum patitur, imò vix nutibus loqui permittit; quo durante dilecta Deo anima cum Dilecto in florido lectulo mundi & amoroſi cordis quieſcit, & myſticè unitur; quam quietem nè quis præſumat interrumpere, quam unionem nè quis ſolvat, omnibus creaturis, omnibus animæ potentiis, præſertim ſenſitivis, imò & aliis ſtrictiſſimum indictum eſt ſilentium, & cautum, nè quis animam excitet, vel impedimenta, vel

Dilectus venit, dum ipſi placet.

Apoc. 8.

Silentium myſticum.

Magnum ſilentium perfectorũ Carmelit.

Quies & ſomnus in Dilecto.

vel inquietudinem cauſet in ſomno myſtico Dilectæ cum Dilecto; nam ex parte Dilecti tunc exiit edictum: *Adjuro vos Filiæ Jeruſalem, nè ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.*

Silentiū myſtic. indicitur à Dilecto.

CAP. XVIII.

Propria activitas multùm hîc impedit: quomodò illa cognoſcenda & compeſcenda.

PRætacta conſtitutio (uti dictum eſt) à divino Spiritu in animâ cauſatur, ipſâ parùm aut nihil ad hoc conferente: in myſtico tamen illo ſomno anima ſubindè non otiatur, ſed ſicut in ſomno corporali, ità & in hoc cum aliquâ ſimilitudine, occurrunt aliqua aliquandò objecta, & intimæ potentiarum internarum operationes, quaſi ultrò ſine propriâ activitate aut induſtriâ in fundo animæ, agente divino Spiritu, & ſic unionem myſticam intimis alloquiis, amplexibus, oſculo oris ſui ſuaviſſimè fovente, vel etiam alia pro ſuo beneplacito

Operationes ſpiritûs in ſomno myſt.

Digitized by Google

cito in ipſâ operante : at planè aliter res ſe habet, dum anima ex propriâ, ſine directione Spiritûs, activitate, & induſtriâ ſimilia objecta vel operationes vult intrudere, vel à divino Spiritu inchoatas continuare; tunc enim objecta & operationes intruſæ, adducunt quaſi tenebras, & umbras in animâ, obſcurant mentem, Dei operationes impediunt, voluntatem palpabiliter, ut ſic dicam, flacceſcere, ac amorem tepeſcere faciunt; animamque è ſomno, ex fundo ſimplicitatis excitant, & attollunt ad latum & inquietum campum multiplicitatis.

Propria activitas in ſomno myſtico cavenda.

Utpotè perniciosa.

Cùi rei dum anima non tempeſtivè advigilat, ceſſando à prædictâ propriâ activitate, & induſtriâ naturali, illicò experitur intimum tractum quaſi evaneſcere, naturam reviviſcere, mentem diſtrahi, ac ad creaturas evigilare: v. g. ſi anima quaſi ab extrinſeco tunc velit adferre, & intrudere ad orandum pro aliquo, ad myſterium aliquod penetrandum, ad aliquos actus virtutum, vel etiam charitatis exercendos, ad ſe amorosè ad aliquid convertendum, Deo interim aliter in eâ operante, eamque aliò agere volente; nihil boni faciet,

Propria operatio impedit ſomnũ myſt.

Operationes ſine internâ directione factæ, impediũt ſpiritum.

ciet; & quidquid neglectâ internâ directione fecerit, Spiritum obſcurabit, mentem alienabit, ac naturam quaſi ſurſum ad noxiam vivacitatem trahet, evaneſcente actione Dei, & intimâ introverſione.

Idcircò dum anima percipit per propriam, & à ſe intruſam activitatem ſimile quid fieri, illicò abſtinere & omnia dimittere debet, modeſtè in fundum ſui nihili deſcendendo, cùm attentâ auſcultatione, & quietiſſimâ exſpectatione, quid in ſe loquatur Dilectus, quidque ipſe in illâ, vel per illam agere deſideret; equidem ſi anima in hoc fuerit fidelis, Deus in ipſâ, & per ipſam omnia ſuo tempore & loco fortiter & ſuaviter, ſeu efficaci & ſuavi liberi arbitrii inductione, operabitur, tum in oratione, tùm in dilectione & amoroſis amplexibus, tùm in humilitate, tum in praxi aliarum virtutum ſecundùm exigentiam vocationis & ſtatûs uniuſcujuſque, tum in contemplatione divinorum myſteriorum, tum in aliis juxta ſuum beneplacitum; idque incomparabiliter perfectiùs, quàm anima ex propriâ activitate & induſtriâ facere poſſet, utpotè omnia divino modo, mediante concurſu ſupernatura-

Modus vitãdi propriam activitatem.

Auſcultatio interna.

Anima fidelis poteſt in omnibus habere & ſequi directionem Dei juxta exigentiã ſui ſtatûs.

Divino modo & mediante concurſu ſupernaturali.

lis gratiæ: cui ſi anima fideliter ſe accommodet, audiens ſemper quid in ſe loquatur Dominus Deus, in omnibus, Spiritu Dei agetur, ac divinam vitam deget in terris; nec jam ipſa vivet, vivet verò in illâ Deus, & omnia opera ejus operabitur illi.

Vita divina.

CAP. XIX.

Differentia vitæ contemplativæ, & ſupercontemplativæ; in utrâque omnia debent eſſe ſupernaturalia & divina.

SÆpè fit mentio de vitâ contemplativâ, & ſupercontemplativâ, de animabus contemplativis & ſupercontemplativis inter ſcriptores myſticos; differentia autem inter unam & aliam vitam, inter unas & alias animas aliquouſquè colligi poteſt ex anteà dictis; ſcilicèt, dum anima Deum amans in ſupradictâ intimâ introverſione, aut ſupermagnâ quiete in Deo, in magnâ abſtractione & ſenſuum alienatione, agitur à Deo in intimo cordis, ſic ut non ſit tam ipſa, quæ agit, quàm Deus in ipſâ, v. g. ad contemplandam aliquam veritatem, eamque in ſimplicitate amplexandam, vel

Quomodò anima ſe habeat in vitâ contẽplativa.

vel ad orandum pro aliquo, vel ad aliquid operandum, ſic ut per aliquam illuſtrationem deveniat in notitiam alicujus rei divinæ, alicujus veritatis, attributorum Dei, putà, dilectionis ergà electos, juſtitiæ ergà reprobos, miſericordiæ, providentiæ, omnipotentiæ &c. cùm diſtinctâ & clarâ cognitione, cum admiratione & adoratione divini numinis in illis, vel etiam in creaturis, in quibus etiam contemplatur radios divinitatis, ſeu aliquid divinum communicatum; ità ut quævis creaturæ illi ſerviant inſtar ſpeculi, in quo Deum aut aliquid divinum cōtemplatur, reveretur, admiratur, amat, adorat, atque ex his facilè captat occaſionem ſtabiliter ſe in Deo occupandi, vitam ſuam Deiformiter componendi, & ex abundantiâ cordis tempore & loco de illis cum aliis conferendi; dum, inquam, anima modo dicto ſe habet, ducit vitam cōtemplativam; ſed dùm poſt tales divini Spiritûs in ſe operationes (quæ quaſi ab intrinſeco ultrò in fundo animæ exercentur ipſâ de ſuo parùm conferente, fideliter tamen tractum ſpiritûs ſequente) intimiùs trahitur, amittendo omnem ad ſeipſam aut quaſvis creaturas reflexionem & adhæſionem, acta veluti à ſpiritu in deſertum,

Animæ contemplativæ occupatio in Deo.

Vita ſupercontemplativa, ſeu ſupercontemplatio.

ſertum, ſeu internam ſolitudinem, id eſt, in perfectam ab omni re creatâ abſtractionem & oblivionem, abſque eo quòd ſciat, quomodò aut ubi; ſic ut in Dilecto ſuaviter quieſcat, & amorosè obdormiat extra omnem modum, extra omnem diſtinctam cognitionem, ſcientiam vel experientiam, propter ſubitaneam ſpiritûs abreptionem, quæ ſubindè contingit occaſione alicujus internæ Dei ad cor locutionis, aut aliter: ità tamen, ut in particulari aut diſtinctè non poſſet dicere vel exprimere, qualiter & quomodò Deus pro illo tempore in ipſâ operatus fuerit, quid viderit, in quo aut quomodò occupata fuerit; ſed ſolummodò in confuſo, quod in Deo aut in divinis ſine modo, ſine imaginibus aut ſpeciebus aliquarum rerum, etiam divinarum expreſſivis & diſtinctivis, ſuaviter & utiliter abſorpta fuerit, prout ex conſequenti conſtitutione, modo vivendi, & fructibus vitæ indè pullulantibus abundè colligitur; dùm, inquam, anima in tali quaſi extaſi occupatur, volavit ſuprà contemplationem: atque hæc, meo judicio, appellari poteſt vita ſupercontemplativa; & ſecundùm quod anima in unâ vel alterâ conſtitutione, ordinariè plus occupatur, & trahitur, prout

Volare ſupra contemplationem.

Digitized by Google

prout etiam extrà tempus orationis ad unam, vel aliam magis inclinatur, contemplativa, vel ſupercontemplativa meritò nominatur.

Quæ anima contemplat. vel ſupercontempl. dicenda.

Porrò, uti ex dictis clarè patet, tàm in uno, quàm in altero ſtatu totum debet eſſe ſupernaturale & divinum, ſine propriâ, id eſt, à divino Spiritu non profectâ operatione & induſtriâ, puriſſimè à Deo, in Deo, & cum Deo: ità tamen ut in animâ contemplativâ intimæ operationes ſint magis perceptibiles, eò quòd anima magis perceptibiliter agatur à Deo, qui plenè eam poſſidet, perfectè regit, ac omnia fermè ejus opera in ipſâ mediante ſuâ gratiâ operatur, ipſâ ex parte ſuâ omne impedimentum tollere ſollicitâ, & fideliter coöperante: at verò in ſtatu ſupercontemplationis, anima nil poteſt attingere, diſtinctè intelligere, aut exprimere de divinis in ſe operationibus; eò quòd illæ adeò ſint abſtractæ, introverſæ, & ab omni diſtinctâ non ſolùm ſenſibili, ſed etiam intellectuali perceptibilitate alienæ, ut videantur à Dilecto in aliquibus ignotis & in fundo animæ abditis potentiis exerceri: id quod ſic apparet, quia Deus eas ibi operatur ſine colluſione phantaſiæ, vel alicujus potentiæ ſenſitivæ,

In utrâque hac vita omnia ſunt ſupernatural. & divina.

In vitâ contempl. operationes ſunt magis perceptibiles.

Non in vitâ ſupercontemplat.

 omni-

Quare aliquæ intimæ operationes Dei imperceptibiles.

omninò ſpiritualiter, ſeu ab omni ſenſu corporeo abſtractè, ac proindè animæ adhuc corpori unitæ, & non niſi dependenter à phantaſmatibus intelligere & judicare ſolitæ imperceptibiles, ſaltem diſtinctè; niſi fortè in ænigmate ſeu ex conjecturâ occaſionatâ ex effectibus, ſeu diſpoſitionibus conſequentibus.

Undè anima nō poteſt illas exprimere.

Undè fit, ut dicere vel exprimere nequeat, quid in ſe illo tempore agatur, niſi ſolummodò quòd ſit in Deo abſorpta, & videat & amet, quæ non licet homini loqui, eo quòd non poſſit: ex illâ conſtitutione ſupercontemplativâ pullulant, & colliguntur perfecti fructus Spiritûs,

Fructus vitæ ſupercontemplativæ.

Charitas ardentiſſima & fortiſſima, in proſperis & adverſis inſuperabilis; *Gaudium* in Spiritu-Sancto; *Pax* Dei, *quæ exſuperat omnem ſenſum*; *patientia Chriſti & Sanctorum*, ità ut vita illi ſit in patientiâ, & mori lucrum; *Longanimitas* in ſupportandis proximi infirmitatibus, *Bonitas* ad omnes, *Benignitas* in converſatione, &c. prout modus ejus vivendi ſatis innuit; ex quibus etiam fructibus omnibus notorium eſt eam à divino Spiritu agi, ac in omnibus dirigi, ſine umbrâ deceptionis.

CAP.

CAP. XX.

Differentia inter vitam contemplativam, vel ſupercontemplativam & vitam meditativam vel naturaliter contemplativam.

EX jam dictis clarè etiam colligere licet differentiam duplicis ſtatûs contemplativi & ſupercontemplativi ab unâ parte, & ſtatus meditativi vel etiam ad captum multorum contemplativi ab alterâ: anima quippè meditativa ſeipſam juvat naturali ratiocinatione & induſtriâ; ac proindè veriſimile eſt, omnes ejus exercitationes, affectiones, & internas motiones plerumque eſſe fundatas in naturâ, & conſequenter inſtabiles, nec divinas, imò ad vitam divinam, ſeu myſticam planè ineptas, & in intimâ converſione, introverſione, & animæ cum Deo unione craſſum impedimentum, prout ſuprà dictum eſt, & anima amoroſa per experientiam diſcit. *Anima meditativa ſeipſam juvat naturali ratione.* *Pleræq; illius operationes ſunt naturales & mediant à Deo.*

Bonum tamen eſt ab illis incipere; nam ratiocinando, mentaliter diſcurrendo, & rationabiliter volendo homo fit homo, id eſt, diſcit vivere humano modo, ut hominem *Per meditationem fimus homines.*

minem decet, ſecundùm rationem; ſicque paulatim ad vitam ſpiritualem diſponitur, quatenus nimirùm groſſiora ſpiritûs impedimenta tollit; atque ſecundum ordinarium curſum, divina gratia in talibus citiùs & inimpeditius ſolet operari, quàm in hominibus rudioribus, & à ratione alienioribus: ſicuti enim ignis citiùs & expeditiùs accendit & conſumit ligna ſicciora, quàm viridia; ita gratia Dei citiùs locum capit & expeditiùs operatur in animâ per rationis exercitium ad veritatem percipiendam & ſequendam diſpoſitâ, quàm in aliâ rudiori, nec ſic diſpoſitâ; dummodò tamen anima meditativa ſit bonæ voluntatis, nec propriæ induſtriæ aut rationi naturali nimiùm innitatur, ſed ſe paratam teneat ad internum Dei tractum, ad vocem Dei ad cor loquentis, atque ad intimas Spiritûs Sancti operationes ſequendas, audiendas & ſine impedimento recipiendas; alioqui enim fixa hærebit in naturâ quoad ratiocinationes, affectiones, operationes, præ ſe ferens quidem exteriùs prudentem, diſcretum, ſedatum virum ſecundùm naturam & mundum, ſed non ſecundùm ſpiritum, nec ſecundùm Deum; vel certè valdè mixtè.

Et ad vitam ſpiritualem de longè diſponimur.

Gratia citius operatur in intelligente quàm in rudi.

Anima ſe paret ad ſequendum tractionem Dei.

Non propriæ induſtriæ innitendum.

Idem

Digitized by Google

Idem eſto judicium de animâ contemplativâ, quæ dumtaxat, vel potiſſimùm per ratiocinationes naturales pertingit ad aliquem gradum contemplationis, ſeu ad contemplationem, ſeu ſimplicem intuitum & fixam cognitionem alicujus Veritatis, vel myſterii: ubi enim media omnia, vel majori ex parte ſunt naturalia, ibi finis obtentus totus, vel majori ex parte naturalis ſit, neceſſe eſt; finis quippè & media debent invicem proportionari: hinc non caret fundamento, id quod dicunt aliqui, ſcilicèt quòd naturalis activitas intellectûs non ſit idonea ad quærendum Deum, multò minùs ad illum inveniendum; intelligendo nimirùm in ſenſu accommodo, in quantùm propria, naturalis, & à divino Spiritu, mediante gratiâ ſupernaturali, non eſt adjuta & elevata, ac in actum redacta; quòd ſi à divino Spiritu ſic adjuvetur, aliundè tamen vel curioſitate, vel vanitate, vel alio defectu veniali vitietur, in quantùm à gratiâ adjuta prodeſt, ſed in quantùm venialiter vitiata nocet, & impedit animam à puritate ad perfectam contemplationem requiſitâ; ſimile cum proportione de activitate voluntatis eſt dicendum.

Contemplatio naturalis.

Media proportionantur fini, naturali naturalia, & ècontra.

Naturalis activitas non eſt apta ad inveniendum Deum.

Actus in ſe bonus, & venialiter malus prodeſt ex parte, & nocet.

Porrò

Porrò magnum hîc latet myſterium à paucis conſideratum; pauci enim attendunt ad hoc diſcrimen ſpiritûs; quod tamen veriſſimum eſt, uti ruminanti facilè patebit: ex quo verendum, quòd multi fruſtrà, vel non cum debito fructu laborent, hærentes vel ex toto, vel ex magnâ parte in naturalibus, manentes magis diſcipuli Platonis, Triſmegiſti, Senecæ, & ſimilium (qui etiam fuerunt ſpiritûs meditativi, imò contemplativi & in contemplatione rerum divinarum verſati) quàm Chriſti, utpotê abnegationem ſui, & renunciationem rerum omnium non debitè exercentes, nec Patrem in ſpiritu & veritate ſcientes adorare, eique puro corde, & ab omni proprio intereſſe defæcato affectu adhærere: nónne Plato erat verſatus in rebus divinis, quem indè divinum vocitârunt? Triſmegiſtus plurimùm profecerat in contemplatione divinæ in omnibus & ubique præſentiæ: Seneca & plurimi alii viri ſedati, ſecuti lumen naturæ, in multis virtutibus erant exercitati, de earum excellentiâ & pulchritudine, ac de vitiorum oppoſitorum enormitate ac vilitate multùm ſpeculantes ac concinnè diſcurrentes; ſed nihil eis profuit ad ſalutem,

Multi fruſtrà, vel non cum debito fructu laborant.

Etiam ethnici fuêre meditativi & naturaliter contemplativi.

Plato.

Triſmegiſtus.

Seneca, &c. moraliter virtuoſi, ſed non ſalutariter.

Digitized by Google

tem, quia Spiritum Dei in ſe non habuerunt, ſed evanuerunt in curioſis cogitationibus ſuis, id quod non rarò adhuc contingit in ſapientibus hujus mundi, inter quos ſecundùm exteriorem apparentiam & naturam reperire eſt multos inſignes, morigeratos, ſedatos & prudentes, ſed coram Deo a vero Spiritu Dei & veritate longè alienatos, imo ſuâ naturali induſtriâ, ac mundanâ prudentiâ Spiritum Dei exſtinguentes, & veritatem oppugnantes.

Quia non habuerunt Spiritum Dei.

Multi apparenter virtuoſi, ſed non coram Deo defectu gratiæ.

Verum planè aliter ſe res habet in contemplativis aut ſupercontemplativis animabus, de quibus agimus in hoc tractatu; hæ enim, quidquid mundanam redolet prudentiam, quidquid purè in naturâ fundatum eſt, quidquid proprium ſpirat amorem, curioſitatem, vanitatem, renunciantes, à ſe rejicientes, ac naturalem rationem divino ſpiritui ſubjicientes, illique plenarium in ſe dominium & directionem offerentes, unicè eò collimant, ut ab illo divino Spiritu, ſemper & ubique perfectè poſſideri & juxta perfectam Dei voluntatem ſine impedimento, vel ſine colluſione alicujus ſpiritûs non recti, agi poſſint: quòd dum aſſecutæ ſunt, & naturam in quaſi ſupernaturam

Contemplativi myſtici purè quærunt Deum, & ab ipſo regi ſatagunt.

Expurgant quidquid naturale eſt.

 Spiritus Dei ſecundùm naturam Dei aſpirante gratiâ commutârunt per totalem ſui erga Deum ſubjectionem, eò tandem perfectionis deveniunt, ut vitam ducant planè ſupernaturalem & divinam, eò quòd plerumque & ferè in omnibus operationibus à Spiritu Dei agantur, eique agenti fideliter coôperentur, undè fit, ut omnes ferè earum actiones ſint ſupernaturales, imò divinæ, utpotè à Spiritu Dei principiatæ, elicitæ, vel imperatæ.

Animæ perfectè Deo ſubjectæ ab ipſo in omnibus ſupernaturaliter aguntur & ducunt vitam divinam.

CAP. XXI.

Spiritus Dei non eſt otioſus in animâ, ſed omnia ſecundùm exigentiam operatur.

Error aliquorum malum otium prædicantium.

PLurimi errant, ſibi perſuaſum habentes, imò fortè etiam docentes, quòd anima contemplativa ſe evacuare omninò debeat ab omni operatione, abſque eo, quòd aliquid agat; undè non verentur etiam ſubindè dicere, quòd talis anima non debeat elicere bona propoſita, contritionem de peccatis, bonas intentiones & ſimilia, nec etiam invocare Sanctos, imagines ſacras colere &c. exiſti-

Digitized by Google

exiſtimant enim hæc omnia contrariari immediatæ vitæ divinæ, ac myſticæ unioni cum Deo: ſed non eſt ita; nam talis anima nec per hæc, nec per alia ab immediatâ ad Deum adhæſione impediri poteſt; quin potiùs iſta omnia ad illam adhæſionem coôperari videntur; ſi nimirùm Spiritui Dei in ſe det locum modo anteà dicto, & plenam ſui poſſeſſionem ac directionem: tunc enim iſta omnia tempore & loco ſecundùm exigentiam ſuæ vocationis & ſtatûs operatur in eodem & cum eodem ſpiritu; vel potiùs Spiritus Dei ſecundùm quod exigit ſtatus ſeu conditio ipſius, omnia iſta in ipſâ operatur, modò illa non ponat impedimentum: uti enim in naturalibus operatur omnia in omnibus ſecundùm exigentiam naturæ cujusque rei; ſic etiam in ſupernaturalibus omnia operatur in omnibus, ubi non invenit obicem, ſecundùm exigentiam ſtatûs, ad quem unumquemque vocavit; nam ſicuti concurſum ſuum naturalem alligavit naturæ cujuſque rei, illi coôperans juxta exigentiam naturæ; ità veriſimile eſt, quòd alligaverit concurſum ſuum ſupernaturalem vocationi & ſtatui cujuſque, ſic ut ſicuti v. g. canis habet concurſum Dei para-

Vita activa & actus virtuoſi &c. non impediunt immediatam unionem cum Deo, ſed juvant; ſi à Spiritu Dei principientur.

Spiritus Dei operatur in animâ fideli omnia ſuo tempore ſecundùm exigentiam ſtatûs.

Deus uti cöcurrit naturaliter, ſecundùm exigentiam naturæ, ita in anima fideli ſupernatur. ſecundùm exigentiã vocationis.

paratum ad latrandum, quia latrare eſt ſecundùm exigentiam naturæ ipſius; homo habet concurſum Dei paratum ad loquendum, ad ſe movendum &c. quia eſt conforme naturæ hominis loqui & ſe movere; ità anima ad finem ſupernaturalem vocata habet paratum concurſum Dei ſupernaturalem ad omnia, quæ à divinâ providentiâ illi ad finem illum ſupernaturalem ordinata ſunt; ſecundùm exigentiam ſtatûs ſui; cui conformiter operanti, Deus ſemper paratus eſt coöperari; cùm autem Deus nihil æquè deſideret, quàm ut quiſque vivat ſecundùm exigentiam ſtatûs ſui; ſi anima Spiritui Dei ità parato morem gerat, ab illo in omnibus agetur, & ipſe ſpiritus aget omnia in illâ, & cum illâ; ipſe orabit in illâ gemitibus inenarrabilibus, ipſe eliciet contritionem de peccatis, ipſe faciet in ipſâ bona propoſita, ipſe communicabit, ipſe orabit ſanctos, colet ſacras imagines, imò ipſe in illâ loquetur, & omnia faciet, id eſt, faciet orare, elicere contritionem, bona propoſita, communicare, orare ſanctos, colere ſacras imagines, loqui &c. imò hæc omnia cum ipſâ faciet per concurſum ſupernaturalem, tempore & loco, quo ſtatus & vocatio

Gratia eſt parata ad omnia à Deo ordinata ad finem ſupernaturalem.

Anima perfectè vivens ſecundùm ſtatum, ad quem à Deo vocata eſt, agitur in omnibus à Deo.

Deus operatur omnia in animâ amoroſâ & perfectâ.

ipſius

ipſius poſtulabit ſimilia fieri: quo poſito, non eſt dicendum ſimilia perfectionem impedire, ſed tanquam opportuna media ad eam optimè conducere, undè potiùs unuſquiſque exſtimulandus eſt, ut petat à Deo lumen, quo videat, quid Deus omni tempore & loco à ſe exigat fieri conformiter ſuo ſtatui & vocationi, certus, quia hoc ſciens & inſtinctui divino fideliter auſcultans omnia cum Deo faciet, & Deus cum illo.

Et tunc iſta omnia ſuo tempore à Spiritu Dei acta ſunt media optima ad Deo adhærendũ.

Attamen verùm eſt, quòd anima contemplativa in actuali tractu divini Spiritûs ad intimam introverſionem, extaſim, ſenſuum alienationem, omnium rerum oblivionem, ad immediatam cum Deo unionem, in eò abſorptionem, & colliquationem &c. ſe extrovertere non poſſit, nec per propriam activitatem ad orandum, ad contritionem vel bona propoſita elicienda, ad ſanctorum, vel ſacrarum imaginum cultum convertere, quia ſic corrumperet omnia, & Dei in ſe ultrò operantis nobiliſſimam actionem, actione pro tunc impertinente impediret. Atque hoc ſenſu intelligẽdi ſunt ſcriptores myſtici, dum aſſerunt animam contemplativam vel ſupercontemplativam à ſimilibus ſibi debere cavere, non oran-

In actuali tractu Dei non oportet miſcere de ſe actus alioqui pios.

Quia illi tum ſunt impedimento.

orandum, Sanctos non invocandos &c. intellige, in actuali tractu, vel dum ſe dat intimæ introverſioni, & à Deo agi ſinit: alio verò tempore non importunè opportunè quælibet aggredi debet, ſed cum libertate ſpiritûs, de horâ in horâ, imò de momento in momentum, ut ſic dicam, interiùs audire, quid loquatur in ſe Dominus Deus, quid ipſe à ſe fieri, vel in ſe & ſecum agere deſideret, conformiter ſtatui ſuo.

Quomodò aliqui intelligendi, qui dicunt non orandum &c.

Extra orationem anima attendere debet quid Deus à ſe requirat.

CAP. XXII.

Quo ſpiritu, & quomodò omnia Deiformiter agenda ſint.

NOn eſt dubitandum, quin anima intenta, ut audiat, quid in ſe loquatur Dominus Deus, & fideliter obedire parata voci Domini intus ad cor loquentis & voluntates ſuas manifeſtantis, interiùs docebitur, quid agendum, quid omittendum; & nè vel in minimo aberret, vel in ſubſtantiâ, vel in modo, quaſi manu-ducetur, ut diſcat & ſciat, quòd contritio, v. g. de peccatis, lacrymæ, bona propoſita, aliaque opera virtutum poſ-

Anima fidelis intus docetur, quomodò omnia ſuo tempore in ſpiritu & cum ſpiritu agenda ſint.

Digitized by Google

poſſint, & debeant in fundo animæ, quaſi ab intrinſeco à Spiritu Dei cum ipſâ, & ab ipſâ cum ſpiritu exerceri; v. g. dum debet confiteri, vel etiam, dùm occurrunt illi peccata præterita, vel dum gravi aliquâ pulſatur tentatione, vel aliter Deo placere novit, debet ipſa permittere Deum in ſe agere, & ipſa debet agere cum illo, eliciendo v. g. contritionem, actum fidei, ſpei, vel Charitatis, vel aliquid aliud, prout ſtatus ſuus ſeu conſtitutio pro tunc requirit. *Quando & quomodo contritio cũ ſpiritu Dei elicienda.*

Et verò, niſi Spiritus Dei taliter in ipſâ & cum ipſâ omnia operetur, nihil vel parùm proderunt, etiamſi ipſa quoad exteriorem hominem ſimilia operari videretur; quippè ſupernaturali Dei concurſu, ſive in ipſâ & cum ipſa operatione, non præveniente & comitante, totum quod faciet anima, erit naturale, vel multùm cùm naturâ mixtum, & conſequenter vel ad nihil proderit, vel parùm, eò quòd in quantum à naturâ vitiatum, pro illâ ſaltem parte perfectionem vitæ myſticæ impediat, & fervorem charitatis refrigeſcere faciat; ideoque illis non eſt multùm innitendum. Quocircà omninò conſultum eſt, ut anima Deum perfectè amare intendens ſe conſervet in perfectiori *Cõtritio &c. niſi à ſpiritu & cum ſpiritu Dei elicita nil prodeſt.* *Opus bonum in quantum à naturâ vitiatum obeſt myſticæ unioni.*

Anima debet ſe evacuare ab omnibus ad ſe non pertinentibus, & attendere quid Deus velit a ſe.

ctiori & Deo fideliori conſtitutione; nimirum in evacuatione ſui ab omnibus ſuo ſtatui non convenientibus, ab omnibus divino beneplacito per obedientiam, charitatem vel neceſſitatem cognoſcendo, non conformibus, attentiſſimè auſcultando, & reflectendo, quid Dilectus in ſe operetur, vel ſecum operari deſideret, conformiter vocationi, quâ ſe confidit à Deo vocatam; ſic enim faciendo, tollet in ſe, & in omnibus ſuis potentiis omnia divinæ gratiæ impedimenta, & ſic ab omnibus expedita cum magnâ libertate ſpiritûs, tractum & inſtinctum Dei ſequendo omnes virtutes interiùs & exteriùs, tempore & loco convenienter, & ſummè meritoriè exercebit; neque nimis multùm, neque nimis parùm, ſed juxta voluntatem Dei, quæ eſt regula perfectionis: atque tali modo, Dilecto eam ad omnia ſibi placita operanda ſuaviter alliciente, ei manum porrigente, imò omnia in ipſâ & cum ipſâ operante, tota ejus vita paulatim fiet divina, uti patet.

Quomodò ſe ſe ad libertatem ſpiritûs diſponere oporteat, ut ſpiritu Dei agamur.

Vita paulatim tota fit divina.

Benè notandum eſt, quod dixi, nimirùm, unumquemque debere attendere ad exigentiam ſuæ vocationis, & ſtatûs, quidque & quomodò illi confor-

miter

miter agere, ac ſe gerere debeat, ut ducat vitam Deiformem, id eſt, divino beneplacito conformem, imò divinam, id eſt à ſpiritu Dei mediante gratiâ præveniente & concomitante principiatam, & directam: in quo plurimi errant, ac ideò à vitâ Deiformi & divinâ procul diſtant; dum ſcilicèt volunt vivere juxta propriam phantaſiam, ſecundùm proprium ſenſum, & induſtriam, non attendentes, quid Deus ab illis requirat, vel quomodò deſideret ſibi ab illis inſerviri. Tales videas ſibi formare proprias devotiones, quibus niſi ſatisfecerint, non ſunt quieti, negligentes interea, quæ vocationis ſuæ ſunt, & conſequenter loco voluntatis divinæ, propriam exequentes. Equidem Deus non ab omnibus eadem exigit, & quod in uno ipſi placet, in altero non placet; quòd in uno Spiritus Dei operatur conformiter ad ſtatum ipſius; in altero non operatur, ſed potiùs, ſpiritus proprius, ac conſequenter, quòd in uno eſt ſupernaturale & divinum, in altero eſt naturale, & humanum: exempli gratiâ, Deus vult ſibi aliter ſerviri, & alia opera deſiderat ab aliquo, quem ad ſtatum matrimonialem vocavit, quàm ab aliquo ad Religionem

Quomodò vita Deiformis & divina acquirenda.

Quid vita Deiform. & divina.

Error multorum non ſecundùm vocationem ſuam vivere volentium.

Viventium ſecundùm propriam Phantaſ.

Deus non eadem requirit ab omnibus.

nem

Nõ degit vitam Deo gratam, qui non vivit ſecundũ ſuam vocationem & ſtatum.

nem vocato; quocircà inverſam vitam degeret, nec Deo gratam, qui neglectis operibus ſtatui ſuo convenientibus, ſe occuparet in operibus ad alium ſtatum pertinentibus abſque notabili indicio divinæ voluntatis; v. g. ſi unus Religioſus implicet ſe negotiis ſæcularibus, & politicis, neglectâ ſolitudine, neglecto choro, & regularitate; ſi ècontra conjugatus, de collegio magiſtratûs, publicis negotiis applicatus, iis neglectis, neglectâ familiâ, omne tempus in templis & monaſteriis frequentandis impendat: eccè iſti inverſum modum vivendi tenent, nec Deo placentem, cum præco Veritatis clamet de Religioſis, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*: quoad conjugatos autem, vult, ut ſint *Domûs curam habentes*: iterum, ſi Superior neglectâ curâ Communitatis, non attendens an regularitas ſervetur, non ſollicitus de profectu omnium & ſingulorum, ſibi ſoli vacare, in cubiculo manere velit, vel etiam ſub prætextu charitatis, vel alio, externis negotiis cum debitâ expletione ſui officii incompoſſibilibus paſſim vacet, non vivit Deiformiter, nec à Spiritu Dei agitur, cum

Ut ſi Religioſus ſe miſcet politicis. &c.

2. Tim. 2.

1. Tim. 2.

Superior ſibi ſoli vacans, vel etiã externis nimis implicatus nõ vivit Deiformiter, nec diviné.

Digitized by Google

cùm ſcriptum ſit, *Qui praeſt in ſollicitudine*, utique pro grege ſibi commiſſo: econtrà, ſi ſubditus ex ſuâ propriâ voluntate regimini communitatis ſe ingerat, Superioris officium uſurpet, & multis ordinandis, ac judicandis ſeſe immiſceat, omnium actiones obſervet, &c. nullo modo degit vitam Deiformem, ac divinam; neque enim à Spiritu Dei in illis dirigitur, utpotè ad ipſum non pertinentibus. Quid ergò? Quiſque attendat, *Quæ ſit voluntas Dei bona, & beneplacens & perfecta*, ut ſciat, quid Deus à ſe fieri vel omitti deſideret juxta exigentiam ſuæ vocationis & conditionis; id autem cognoſcens, ſinat Deum in ſe, & ſecum omnia ſuo ſtatui conformia operari: ſic enim manebit *In vocatione, quâ à Deo vocatus eſt*, prout jubet Apoſtolus, & confidere poterit ſe ducere vitam Deiformem & divinam ſenſu dato.

Rom. 12.

Subditus officio Superioris ſe ingerẽs nõ vivit Deiformiter.

Rom. 12.

Cuique juxta vocationem vivendum, ut vivat Deiformiter.

1. Cor. 7.

Digitized by Google

CAP. XXIII.

Omnia in Spiritu agenda, in ſimplicitate cum excluſione omnium, quæ naturæ ſunt.

Conandum ut omnia ſine colluſione naturæ faciamus.

ANima Deo fidelis adhuc ulteriùs inſtruitur in ſpiritu, quomodò omnia opera interiùs & exteriùs in intimâ ſimplicitate cordis poſſint & debeant exerceri, ad hoc, ut imperfectam naturæ colluſionem evadant, & ſint Deiformia, quaſi extra & ſupra naturam à Spiritu Dei exercita, & directa, atque hoc ſenſu divina, ſine permixtione, & cum actuali evacuatione, ſeu excluſione omnis proprii intereſſe, propriæ quæſitionis, propriæ complacentiæ, humani reſpectûs, &c. atque hoc ſenſu, cum excluſione naturæ facta, ſunt velut aurum purificatum, omninò clara, Deiformia, & divina, in fundo animæ à Spiritu Dei exercita. v. g. ſi cum aliquo loquamur de rebus neceſſariis, vel debito tempore, de utilibus, vel ſi quid videamus, aut audiamus, quod de ſe natum eſt animum diſtrahere, per fidelem, ſimplicem

Quomodò natura in omnibus excludenda.

Ut omnia opera ſint Deiformia & divina.

tamen

tamen reflexionem mentis ad Deum, totum inadvertenter præteritur, non attrahitur, & hoc ſenſu annihilatur totum quod natura ibi pro ſe, ſeu pro ſuâ ſatisfactione extra Deum, quærere aut invenire poſſet, cum actuali amiſſione omnium in informi Dei eſſentiâ; atque hoc modo natura & quælibet res creatæ cum tranquillâ induſtriâ diſiunguntur & ſeparantur á Spiritu Dei, ſine admixtione reflexivæ adhæſionis, ſive adhæſivæ reflexionis ad naturam, vel ad quidquam aliud extra Deum, ſive cum perfectâ ſui abnegatione, & rerum omnium renunciatione; ſicque conſervatur anima in ſummâ cordis puritate, ſine attractione alicujus, quod naturam fovere, vel animam ab unione myſticâ poſſet impedire.

Quomodò in converſatione cum aliis natura excludenda.

In omnibus natura à ſpiritu Dei ſeparanda ut impermixtè Deo adhæreamus.

Idem eſt in ſumptione nutrimenti corporalis, vel in omnibus, quæ naturæ videntur conformia, & commoda, vel etiam in ſtudiis, & quibuſcumque humanis, neceſſariis, vel decentibus operationibus & exercitiis; ſi quidem per ſimplicem ad Deum attentionem, & ad ejus beneplacitum circumſpectionem, cibus, v. g. ſumitur ſine adhæſione; ſæpè etiam ſine reflexione, an hoc vel illud, an ſit bonum, vel non ità bonum, an parùm, an

Quomodò in cõmoditatib. corporis, ſtudiis &c. natura exclud.

Digitized by Google

multum ſit, quod ſumitur, quamquàm ſpiritus ordinariè determinet quantum, & quandò ſiſtendum; aliæ verò reflexiones ut nimis viles, & abjectæ vel non occurrunt, vel non attenduntur. Porrò, præſertim in iis, quæ naturæ nata ſunt arridere, opus eſt aſſiduâ evacuatione, ſeu renunciatione cum actuali ad Deum, ejuſque beneplacitum attentione: idem eſt in audiendis, videndis, inquirendis &c. rebus, quidem neceſſariis, vel ſtatui convenientibus, ſed ex ſe diſtrahere, & multiplicitatem adducere natis; ut ſunt ſtudia, negotia, pro familiâ ſollicitudines &c. nam diſcretio Spiritûs ubique in animâ contemplativâ comitatur, ad mentem & affectum ab omni malâ & inordinatâ mixtione ſeparandum, liberandum, purificandum, & velut in Spiritum divinum transformandum ſeu convertendum: undè etiam fit, ut talis anima per talem ſui cuſtodiam & in Deo occupationem experiatur ſe in omni opere bono ſtabiliri, ad intimam in Deo recollectionem ſemper inclinari, ac omnia quantumcumque exteriora ad ſimplicitatem ſpiritûs, ad placidam in Deo quietem ſibi coôperari; ac proindè expeditis externis occupationibus facilli-

Quomodò in iis, quæ naturæ arrident. &c.

Diſcretio ſpiritûs à naturâ ubique comitetur.

Quomodò omnia ad ſimplicitatē ſpiritûs reducenda.

Digitized by Google

facillimè incidit in ſomnium myſticum; eò quòd ex illis ſine adhæſione & vivâ reflexione factis vix remaneant ſpecies impreſſæ, ſaltem vivaces, quæ ſomnum illum & quietem in Deo interturbare poſſent. Sic veriſimile eſt eveniſſe, ut Sanctus Bernardus etiam poſt abbatiales ſollicitudines, poſt commercia cum magnatibus & ſimilia ab intimâ contemplatione & cum Deo unione non impediretur: idem ſit judicium de Sanctâ Thereſiâ, quam tot occupationes circa novellas fundationes à raptibus, extaſibus, amore unitivo, & oratione quietis non alienabant: nunquid idem contigit Beatæ Magdalenæ de Pazzi in continuis operibus charitatis & domeſticis obſequiis intimam recollectionem ſervanti, & poſtmodùm in amplexu & oſculo Dilecti amoroſè ſine impedimento obdormienti? utique; nec hoc adeò mirùm: cùm in illis & ſimilibus fiat myſticè, quod experientia docet in multis fieri naturaliter; qui nimirùm noverunt ſua negotia tam moderatè peragere, & occupationes quaſcumque in regimine, in commerciis, in ſtudiis, in aliis functionibus tam libero

Qui ſic excludere ſolet naturam per attention. ad Deum, poſt occupationes facilè introvertitur ad internam quietem.

Patet in S. Bern. in S. Thereſ.

B. Magd. de Paz. in externis obſequiis introverſa.

Simile ab aliquibus mũdanis.

bero & tranquillo corde ſuſtinere, ut in illis non turbentur, & illis expeditis à ſomno corporali non præpediantur: idem enim cum aliquâ proportione fit in animabus in vitâ contemplativâ exercitatis.

CAP. XXIV.

Oratio vocalis, & alia opera poſſunt per ſimplicitatem quaſi in Spiritum verti cum obſervatione interni luminis.

Anima à Spiritu Dei acta novit in ſpiritu orare ſine impedimento.

ANima in ſimplicitate ſpiritûs verſata, novit etiam orationes vocales & activas facere in ſpiritu pro variis rebus, maximè eis, quas ſpiritus per internam inclinationem & placidam præſentationem ſuggerere videtur: pro illis enim orat valde cordialiter, cùm multis ſubindè gemitibus, & lacrymis quaſi ultro fluentibus, ſine impetuoſitate, aut vehementiâ; cum amoroſis repræſentationibus & commendationibus illarum rerum Sanctiſſimæ Trinitati, vel cum amicabili colloquio cum Jeſu, in venerabili

Modus ejus orandi ex inſtinctu Spiritus Sancti.

rabili Sacramento, cum Matre amabili, cum ſanctis Angelis: comitantur etiam profundæ humiliationes, quaſi ob indignitatem ad exaudiri; item verecundia in poſtulando, actus contritionis, amoris, filialis recurſus ad Patrem cœleſtem, vel ad Virginem Matrem, &c. prout Spiritus Sanctus animam videtur movere, & ſuaviter inducere, ut oret *gemitibus inenarrabilibus ſicut oportet*, cum viva ſpe, & firmâ fiduciâ futuræ exauditionis; eò quòd ſolum oret pro iis, pro quibus orandum Spiritus Sanctus illi inſpirat, & in quantum & quomodo Deus in illâ videtur operari, ut oret: ſicuti enim in aliis exercitiis, ità & in hac vocali & activâ oratione permittit anima ſe agi & dirigi à Spiritu Dei, coöperando fideliter & præciſè ejus gratiæ prævenienti & adjuvanti, quandò, quomodò, & in quantum ipſi placet, ſic ut non ſit tam ipſa, quæ orat, quàm Spiritus Sanctus, qui orat cum ipſâ & in ipſâ; idque cum ſimplicitate, ſine vehementiâ, aut impetuoſitate, imò quaſi nihil agendo ſine internâ directione Spiritûs Dei, libero corde, quaſi interruptè parùm intermittendo, quieſcendo, & cum tranquillitate omnia de cætero,

Et alios actus exercendi.

Rom. 8.

Anima orat ſecundùm inſtinctum Spiritus Sancti.

Sinit ſe in oratione à Deo agi.

Prout & quantum ipſi placet.

Deo committendo abſque ſui turbatione.

Anima fidelis ſinit ſe agi Spiritu Dei in omnibus.

Cum eâdem ſimplicitate cordis & ſui ergà Spiritum Dei ſubjectione anima ſinit ſe agi & regi in omnibus aliis agendis & omittendis : ideò interior animæ oculus videtur indeſinenter ad cor, ad intimum ſpiritûs centrum collimare, imò & oculi corporis quaſi eò introvertuntur, intenti ad aliquid quod ibi videtur ſcintillare, & ſubtiliter lucet, ſed quaſi in abſcondito, ad oſtendendum quid faciendum, vel omittendum conformiter voluntati Dei, vel etiam quid illi difformiter factum. Hîc anima ulteriùs & pleniùs inſtruitur, qualiter deberet omnia opera interna & externa continuò exercere, abſque eo quòd internum mentis oculum ab illâ ſcintillâ intùs lucente unquam averteret, vel ad aliqua alia adhæſivè converteret, non magis, quàm ſi cætera omnia ad rem non pertinerent, ac ejus proindè adhæſivâ reflexione non eſſent digna; neque hoc tunc ſatis eſt, ſed anima debet prætereà omnia agenda, vel toleranda agere vel pati juxta demonſtrationem ſeu dictamen iſtius ſcintillæ, ſive divini luminis in fundo animæ lucentis, & ad omnia quaſi

Attendit ad Spiritum Dei intus inſtar ſcintillæ dirigentem.

Secundùm internum inſtinctum omnia agenda, &c.

Secundùm dictamen internæ ſcintillæ ſeu luminis divini.

quaſi manu-ducentis, placidè illius ductum ſequendo, quatenùs ſic in nullo caſu, nec per ullam rem extrovertatur, ſed ſemper introverſa maneat.

Dum anima hoc lumen velut ſtellam fideliter ſequitur in omnibus agendis, vel tolerandis, placidè ſemper ſe habet; nec eſt periculum diſſolutionis, nimiæ naturæ vivacitatis, multò minùs craſſæ alicujus ſenſualitatis, vel exceſſûs in aliquâ immoderatâ paſſione, impatientiæ, aut cujuſvis alterius exorbitantiæ: nam in lumine illo, & efficaciâ illius tota anima cum omnibus ſuis potentiis introvertitur, ſopitur, ſpiritualizatur, & quodammodò deificatur, ab illo lumine attracta, ad in Deo & cum Deo operandum, vel patiendum allecta & inſtructa, atque ſic a noxiâ ſenſuum vivacitate, & ab omni extroverſione ad creaturas alienata: omnia in iſto lumine fiunt unum; in quo ſi anima fixum & irretortum ſervaret mentis oculum, ejuſque ductum fideliter ſequeretur, nullam ſciret facere differentiam inter opera, inter exercitia, vel quaſcumque occupationes; omnia enim in uno & eodem lumine, in uno & eodem ſpiritu acciperet, & operaretur ſecundùm directionem & ductum ejuſdem

Anima ſequens internum lumen à multis defectibus liberatur, ſemper placida.

Efficacia interni luminis ad animam perficiendam.

Anima ambulans in iſto lumine nõ facit differentiam inter opera vel occupationes.

dem luminis ſeu ſpiritûs, conformiter ſuæ vocationi & ſtatui; atque ità omnia cedunt tali animæ in unum, ſine differentiâ, ſine electione; nec jam mavult hoc vel illud: eſt illi indifferens, quid agat, quid operetur, ubi ſit, cui rei applicetur, quid illi, vel circà illam divina providentia permittat, vel diſponat; ubi ſolummodò lumen illud deprehendit, illuc graditur, illuc rapitur, illic quieſcit, & in lumine illo omnia ſua agit, & patitur; eo quòd Spiritum Dei, mediante illo lumine, in ſe, & ſecum omnia operari, & circà ſe vel ſua, cuncta diſponere ſecundùm bonam ejus voluntatem & beneplacitum, quando vult, ubi vult, quantum vult, & quomodò vult, ſine ullo ex parte ſuâ impedimento.

Illi omnia coôperantur in bonum.

Ad omnia eſt indifferens.

Omnia ſua agit in lumine iſto, & ſinit Deum in ſe operari.

Dum verò anima hunc luciferum ortum in corde ſuo fideliter ſequitur, paulatim magis in particulari inſtruitur, quomodò v. g. tenerrimus, & filialis amor ergà Matrem amabilem, tenera devotio ergà aliquos Sanctos, functiones officiorum, ſtudia, ſcribere litteras, diſputare, cum aliis loqui, pro aliis orare, legere horas, ſeſe ante confeſſionem, ante Sacrum, ante Communionem præparare, confiteri, Sacrum

Inſtructio quomodo omnia in ſpiritu & cum Spiritu Dei agenda.

erum legere, vel audire, ad Sacram Synaxim accedere, opera obedientiæ, Charitatis vel neceſſitatis &c. peragere oporteat cum actuali attentione ad illud lumen, ad illam quaſi ſtellam intùs lucentem, ac cum fideli obſervatione ipſius, ut ſic omnia in ſpiritu fiant, & ſicut oportet; alioqui ſine illo, *Quid oremus*, quid faciamus, quid operemur &c. *ſicut oportet, neſcimus*. Aliòqui ab illo lumine alienati, & extroverſi ſumus in periculo omnia noſtra dumtaxat naturaliter faciendi, ſine ſpiritu, ſine utilitate, infructuosè: ex quo oritur occaſio ſuſpicandi, quod plerique homines, etiam qui profeſſionem faciunt Deo ſerviendi, infructuosè & in vanum laborent, eo quod pauciſſimi ſecundùm directionem Spiritûs Sancti, & cum ejuſdem in ſe vel ſecum operatione ſuam vitam inſtituant, ſed plerique ſecundum inſtinctum, & impetum naturæ, non attendentes, quid dictet Spiritus; qui proindè fruſtrà fatigantur, naturæ & in naturâ, non Deo & in Deo viventes. Porrò pauci ad hoc reflectunt, & adhuc pauciores in hoc ſunt fideles.

Rom. 8. v. 26.

Sine interno lumine & gratiâ neſcimus quid agendum ſicut oportet.

Pauci ſecundùm directionem Spiritus vivunt, ideò plerique infructuosè in natura, non in Deo vivunt.

CAP.

CAP. XXV.

Omnia opera juxtà cujuſque ſtatum in Spiritu facienda ſunt, ad quæ quiſque habet gratiam; non ita certò ad alia.

Omnia vocationi & ſtatui convenientia in ſpiritu facienda cum ſui ad illum applicatione.

QUantùm ad opera obedientiæ, vel commiſſi officii, vel ad quæ quiſque juxtà exigentiam ſui ſtatûs obligatur, videtur anima devota adhuc perfectiùs intùs doceri; quomodò nimirùm ea debeat peragere in Spiritu, cum ſimplici reflexione, ſive attentione, ac ſuavi ſui ad illum applicatione, accommodatione, & coöperatione, cum ſimplificatione omnium in intimo cordis: ſiquidem omnia eò trahenda & introvertenda ſunt, ut internæ Spiritûs Sancti directioni ſecundùm exigentiam cujuſque operis locus detur: alioqui enim quæcumque opera ſine præventione, & coöperatione alicujus principii ſupernaturalis, & hoc ſenſu, ſine Spiritu Dei facta, manent purè naturalia, ac ad placendum Deo, & ad ſalutem inidonea; ſicque

Omnia exteriora introvertenda.

Ut à Spiritu Sancto fiant.

ſicque planè infructuoſa, cùm effectus neceſſariò ſit talis in naturâ, qualis eſt cauſa; quocircà ſi cauſa ſit purè naturalis, effectus etiam erit purè naturalis.

Porrò exiſtimo, pro omnibus operibus, ad quæ unuſquiſque vi vocationis, aut ratione ſtatûs ſui obligatur, in fundo animæ (ubi iſtud lumen percipitur) haberi aliquod Principium ſupernaturale, quod ibi paratum eſt, dum anima benè attendit, & fideliter vult coôperari: neque verò timendum eſt, quòd per opera ſic in ſpiritu & coôperante iſto principio ſupernaturali facta mens nimiùm diſtrahetur, multiplicabitur, vel in ſuo aſcenſu & progreſſu in Deo impedietur; prout nonnulli ſibi perſuadent, qui ſub prætextu ſimplicitatis, multa negligunt, quæ alioqui juxta exigentiam ſui ſtatûs deberent facere, ſicque incidunt in malum otium, non facientes ea, ad quæ tenentur; etenim non eſt exiſtimandum, quòd opera, quæ Deus ab aliquo deſiderat, ipſum à Deo impediant; modò fiant coôperante gratiâ à Deo ad hoc præpâratâ. Regula ergò generalis ſit, nullo titulo aut prætextu omittere ea, quæ cujuſque ſtatui conveniunt ſuo tempore & loco; quia niſi extraordinariè con-

Pro operib. vocationi & ſtatui convenientibus eſt parata gratia.

Iſta opera cum gratia facta non alienant à Deo.

Nullo prætextu omittenda, quæ ſtatui cujuſque conveniunt.

conſtet de contrario, illa Deus ab uno-quoque requirit, & ad illa juxta beneplacitum ſuum facienda mediante auxilio ſupernaturali concurrere paratus eſt, ac proindè illa ut efficacia media unumquemque facient Deo appropinquare.

Incertum an gratia Dei parata ad opera per prop. volunt. aſſumpta.

An autem ſimile auxilium ſupernaturale ſemper ſit paratum ad opera ex proprio ſenſu & voluntate citra obligationem, aut præter exigentiam ſtatûs uniuſcujuſque, ſine ſpeciali motione aut inſtinctu Spiritûs Sancti aſſumpta, non auſim affirmare, etiamſi fortaſſis illa opera ſint de ſe bona: nam ſi Spiritus Sanctus animam ad ea non piè moveat, ſed ſolummodò illa ſeipſam reſpectu aliquo vel motivo naturali, vel etiam objectivè quidem ſupernaturali, ſed non principialiter, nullo ſingulari habito divinæ voluntatis indicio, quis eam aſſecurabit de divinâ in illis complacentiâ? quis auſit firmiter aſſerere, Deum concurſum ſuum ſupernaturalem ad illa concedere, cùm non conſtet de ejus ad iſta voluntate? Interim *vita*, id eſt operationes ſupernaturaliter vitales, ſolummodo ***in voluntate ejus***; id eſt, in adimpletione voluntatis ejus, ut alibi fuſiùs dictum eſt. Regius Propheta id probè intelligens, lo-

Vita gratiæ in executione voluntatis Dei.

que-

quebatur ad Dominum, *Domine, in voluntate tuâ præſtitiſti decori meo virtutem*: eò quòd nimirum nulla virtus, ſeu dignitas ſupernaturalis ad Deo placẽdum in operibus noſtris, quantumcumq; appareat moraliter bona, reperiri poſſit, quàm quæ in voluntate Dei fundata eſt, & ab eâ tanquam a principio ſupernaturaliter operãte & coöperante procedit; in eâ enim præſtat Deus decori noſtro virtutem.

Omnis virtus ſupernaturalis à voluntate Dei.

CAP. XXVI.

Differentia Religioſorum ab aliis ad Deo in omnibus certò placendum.

Ex jam dictis percipere licet felicitatem & prærogativam vocationis Religioſæ præ aliâ quâcumque, eò quòd gratia vocationis Religioſæ connotet continuam & jugem directionem, ac manuductionem, ut ſciatur ubi, & quomodò anima ad Religionem à Deo vocata, ſe occupare debeat conformiter divinæ voluntati, quam certiſſimè & infallibiliter ſemper poteſt cognoſcere per obedientiam, ſecundùm ſua vota, Regulas, & Conſtitutiones Ordinis; ad quæ conſequenter in fundo cordis paratum habet principium ſupernaturale ad omnes

Prærogativa vocationis Religioſæ.

Religioſus ſemper poteſt cognoſcere voluntatem Dei.

Habet gratiã paratam ad omnes actus regular.

nes & ſingulas eorum obſervantias meritoriè, & dignè Deo, ac ejus beneplacito exercendas; prout Deus eaſdem ab illâ per indicium obedientiæ, per præſcriptum Regulæ & Conſtitutionum requirens, non aliâ intentione, aut deſiderio omnes illas & earum ſingulas requirit, quàm ut in illis ſibi complaceat; cùm autem nullum opus ſine auxilio ſeu principio illo ſupernaturali Deo placere queat, & homo illud à ſe non habeat, debet illud Deus ad omnia opera concedere, in quibus ſuam complacentiam habere deſiderat.

Deus petit actus regulares, ut in illis ſibi complaceat.

Manuductio obedientiæ in omnibus cum concurſu gratiæ.

Porrò cùm iſta obedientiæ directio ſeu manu-ductio Religioſæ animæ ſemper adſit etiam ad minima opera, ut Regulas, Conſtitutiones & ordinationes Superiorum perpendenti patebit; ſequitur illam habere hanc prærogativam, quòd etiam ad minima opera talem concurſum Dei ſupernaturalem habeat ad manum, quò ſic per ſingula certiſſimè Deo juxta ejus ad Religionem vocantis intentionem placere poſſit.

Extra religionẽ rariora indicia divinæ voluntatis, Et conſe-

Verùm planè aliter ſe res habet in aliquo alio ſtatu, in quo tam certa divini beneplaciti indicia rara ſunt, & conſequenter talia auxilia ſupernaturalia ad

dignè

Digitized by Google

digne Deo operandum incerta; niſi forte anima amoroſa eò perfectionis pertingat, ut ſubſtet immediatæ directioni Spiritûs Dei in ſe operantis, ab eoque quaſi poſſideatur, & in omnibus etiam minimis actibus agatur & regatur; ad qualem perfectionem vix pertingit unus ex millibus.

quēter gratia ad opera eſt incerta.

Hinc patet etiam, quantùm ſibi cauſent damnum Religioſi propriæ voluntatis idololatræ; quippè illi obedientiam vel prætermittentes, vel ad ſuam voluntatem torquentes, declinant ab infallibili indicio divinæ voluntatis, & arripiunt incertum pro certo, ſeſe exponentes periculo manifeſto non obtinendi auxilium illud ſupernaturale ad alia opera ex propriâ voluntate aſſumpta: quocircà etſi videantur laborare inſtar equorum, conſumere vires & ſubſtantiam, ſanitatem & vitam in operibus laborioſis, concionando, ſtudendo, currendo, varia negotia & occupationes ſub prætextu charitatis, vel alio motivo ſibi attrahendo, & ſecundùm homines feliciter expediendo; veriſimile eſt, quòd paſſim fruſtrà fatigentur, & parùm coram Deo mereantur, ſi iſta contra, vel præter obedientiam, vel non niſi

Religioſi propriæ voluntatis ſummè ſibi nocent.

Laborant ſæpè multū ſine fructu defectu gratiæ.

niſi cum obedientiâ quæſitâ vel extortâ operentur: heu! quàm multi in horâ mortis invenient manus meritis vacuas, & intelligent, ſe in pleriſque Deo non placuiſſe, ſed potiùs iram meruiſſe, defectu, quòd ad hæc non reflexerint; tunc tandem, ſed ſeriùs, videbunt quanti lucri ceſſantis, quantique damni emergentis cauſa fuerit propria voluntas.

Damna propriæ voluntatis.

CAP. XXVII.

Animæ amoroſæ modus orandi activè & ſimpliciter, in ſpiritu, & juxta impetum amoris.

ACtivæ ſecundùm apparentiam, & multiplices, etiam vocales orationes, oblationes, allocutiones ad Dilectum, ad Matrem amabilem &c. dum fiunt quaſi ultrò in animâ ex inſtinctu Dei, ex tenerrimâ affectione & quadam ebullitione amoris divini, exercentur per ſuaves inclinationes, ſæpè quaſi ſubitaneè, abſque eo quòd eas impedire liceat, vel poſſibile ſit; ſed eſſentialiter, ſeu ſecundùm totam ſuam eſſentiam velut

Orationes vocales factæ ex inſtinctu Dei quomodò ſuccedant in animâ amoroſâ.

lut merguntur, ebulliunt, & illicò velut evaporantur in fundo animæ, antequàm verbis exteriùs ſaltem plenè exprimantur, imò etiam antequàm interiùs perfectè formentur, quaſi modeſtè & ſuaviter evaneſcendo, dum adhuc ſunt in fieri: id verò fit, eo quod amori ſufficiat fracto ſenſu, & ſemi-verbo deſideria ſua, & intentiones intimare, exiſtimans ſuperfluum eſſe & ſupervacaneum pluribus ad Dilectum verbis uti, ſufficere autem, affectibus loqui; juxta quod ſcriptum eſt, *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*: quin imò ait ſæpè Dilecto, *Gemitus meus à te non eſt abſconditus*, nam *præparationem cordis* mei *audivit auris tua*: quaſi diceret, non eſſe opus plura expreſſiùs dicere; conformiter doctrinæ Christi, *Orantes autem, nolite multùm loqui*, id eſt, dum in Spiritu & veritate vultis orare, non eſt opus multa loqui, cùm ſemi-verbum amanti & amato ſufficiat.

Amor fractis verbis loquitur, ſeu paucis.

Pſalm. 9.

Pſalm. 37.

Matt. 6.

Idcircò dum anima in amore Dei perfecta ex inſtinctu, & quaſi impetu charitatis ſeſe dat orationi pro aliquâ re, ferè ſic, vel ſimili modo orat, v. g. loquens Dilecto ſuo, *Tu noſti*, ſed in corde ſubintelligitur,

Modus orandi ex inſtinctu amoris.

Dilecto animæ.

intelligitur, *quòd amem te*, vel, *quòd ſervus tuus ſim ego*, *& filius Ancillæ tuæ*, id eſt; Matris amabilis; vel; *quòd tuus ſum ego*, *& tu meus*: vel, *quid deſit mihi*; vel, *quòd deſiderem tibi perfectiſſimè ſervire*, *& perfectiſſimo amore adhærere*; vel, *qualiter ab illo vel illis tibi velis inſerviri*; vel, *quòd iſte infirmetur*, *& tuo egeat adjutorio*: vel, *quòd tua illi gratia ſit neceſſaria*; ac ſi ulteriùs diceret, tuum eſt provide-re &c. Breviter, preces ejus ſunt ebullitiones amoris cum reflexione, ſaltem implicitâ, quòd non ſit opus plura dicere, cum deſiderio tamen & fiduciâ, quòd exaudietur, licèt deſiderium ſuum & fiduciam non perfectè exprimat. Item ad Jeſum, *Mi Jeſu*, *redemiſti me*: vel, *dilexiſti me*, *& laviſti me à peccatis meis in ſanguine tuo*: vel, *dulciſſime Jeſu*, *ſanguis tuus*, vel, *ſacra paſſio tua*, ſubaudi, *illam vel illum tibi offero pro tali*, *vel tali*; vel, *eccè ubera Matris tuæ*, ſubintellige, *ſine me & omnes peccatores etiam ſugere*, *nam etiam ipſa mater noſtra eſt*, &c. ad Matrem amabilem, poſt filialem ad illam affectum, vel ad conſpectum imaginis ipſius, vel aliquandò etiam quaſi ſubitò

Preces illæ ſunt quaſi ebullitiones amoris.

Ad Jeſum.

Aliæ formulæ orandi ex inſtinctu Dei.

Ad D. Virg. ex inſtinctu amoris filialis.

ſubitò, & ex improviſo: *Mater mea amabiliſſima*, *quieſcere*, ſcilicèt, *anhelo in ſinu tuo*; vel, *ſugere*, ſcilicèt; *ubera tua dulciora vino condito*; idque cum exultatione cordis, & illicò acquieſcendo, nil plus dicendo, & in intimo affectū filialis amoris liquefiendo: vel; *Mater mea doce me facere voluntatem tuam*; vel, *non Mater mea*: cum affectu infantili, nè ab eâ repellatur, vel à ſinu, vel uberibus miſericordiæ removeatur; vel, *Quin imò*, *iſti ſunt filii tui*, *quæſo*, *ſerva eos*, *defende illos*, *ſine eos ſugere ubera tua*, *bonos*, *& malos*; *quia equidem tui ſunt*, *& non potes negare*: vel, *imò Mater noſtra es*, *Dilectus benè ſcit*, &c. ad Angelum Cuſtodem, *obſecro*, *cuſtodi me benè ut pupillam oculi*; vel, *ſolus incedere neſcio*, *adjuva me*: vel, *quæſo*, *cõſolare eos* N. N. *facilè ſemel viſitaveris omnes*; vel, *ſaluta meo nomine Matrem amabilem*, *dic illi*, *quòd totus ſim ad ejus obſequiũ*; *fac id quod deberem ibi facere*: vel, *inſtrue me in viâ hac*, *quâ gradiar*, *nè ſinas me errare à viâ juſtâ* &c. Ad Sanctum Joſephum; *Nutritie Jeſu*, *monſtra*, *obſecro*, *& pro me*, *vel illis offer æterno Patri obſequia præſtita Puero Ieſu in ejus infantiâ*; *& fac*,

Preces ad Angelum cuſtodem ex interno inſtinctu.

Similes ad S. Joſephum.

fac, ut Mater noſtra oſtendat ſimiliter ubera Unigenito ſuo. Has & ſimiles precatiunculas, exceſſus amoris, alloquia amoroſa &c. operatur ſubindè Spiritus Dei etiam in animabus valdè perfectis præ teneritudine dilectionis, ſæpè etiam ſenſu magis fracto, & implicito, vel dimidiatis verbis, quaſi balbutiendo, multò pluribus ſubauditis, in mente remanentibus, ibiq́ue velut in Deum fluentibus; ubi animæ iſtæ quaſi unà cum Matre Amabili, vel aliis rebus in Deo charis, ac tunc occurrentibus, ſuaviter conquieſcunt, ſeipſas unà cum illis dimittunt, ac feliciter perdendo, in vitam divinam placidiſſimè extra perceptionem alicujus rei creatæ aliquamdiu ducendam cuſtodiunt.

Omnia ſimilia Spiritus Dei aliquandò operatur in perfectis.

Anima iſta omnia ſinit in Deo fluere.

In myſticâ hac & amoroſâ in Dilecto quiete (cùm ſit ex teneritudine amoris cauſata) hinc indè quaſi ebulliunt actus amoris, quales fortè advertere eſt in infantibus in ſinu, vel inter Brachia Matris ſuaviter quieſcentibus; aliquandò nonnihil etiam activiùs, multipliciùs, vivaciùs & impetuoſiùs, omnia tamen per intimos inſtinctus, per directionem & inclinationem divini Spiritûs pro tunc taliter dignantis in animâ operari, & ſibi complacen-

Ebullitiones tenerrimi erga Deum, vel D.V. amoris.

Per intimos inſtinctus, & operationē divini ſpiritûs.

placentis in tàm amoroſâ & innocenti animæ ſecum coöperatione: neque enim aliter anima talis ſimilia convenienter videtur poſſe operari ex ſe; &, licèt de ſe, ſive ex propriâ activitate & induſtriâ ſimiles exceſſus amoris elicere vellet, non ſuccederent, nec cum bonâ gratiâ fierent; ſicut ſi vir gravis & aliòqui ſedatus vellet ſibi quaſi facere vim, ut juveniles amoris exceſſus verbis & geſtibus exerceret, videretur eos potiùs fingere, quàm ex internâ inclinatione exercere: at verò anima in ſtatu amoris, de quo hîc, parvula facta eſt & tenella; undè quaſi ab intrinſeco & velut ex innatâ inclinatione optimè novit agere partem amoroſiſſimæ ſponſæ, vel parvuli, quam partem ſi extra talem tractum amoris ludere vellet, vix poſſet, niſi quaſi fictè; eſt enim tunc nimis ſeria, abſtracta, & ſpiritualis, plena quidem dilectione, ſed forti, non tenerâ pro tunc.

Exceſſus illi amoris ex proprio motu non ſuccederent cum gratiâ ſed quaſi extortè.

Anima amoroſa aliquàndò agit ſponſam vel infantem.

Pro majori tamen parte anima Deum amans ſe tenet quietam, intimè introverſam, ac unico dilectionis verbulo contentam, ut ſic ſimpliciùs Dilecto ſuo vacet: v.g. corde vel etiam ore ſubindè dicendo: *Deus meus & omnia.* vel, *ubi eſt meus Jeſus?* vel, *ô dulcis Jeſu,*

Ordinariè uno verbulo dilectionis contenta.

trahe

trahe me totaliter ad te. Vel; *ô Maria quàm dulce eſt nomen tuum, ſuper mel ori meo!* vel, *mi Jeſu, illumina nunc pectora, tuoq; amore concrema,* & ſimilia: atque hoc modo, anima devota ſeſe diverſimodè ſinens agi & dirigi à ſpiritu, nempè nunc ſuaviter, & tenerè, nunc abſtractiùs & fortiùs ac viriliùs ſicque fideliter ſpiritum ſequens, nunquam tædio afficitur; ſed placidè ſemper in Dilecto ſuo occupata manet, nunquàm dejecta, aut triſtis, ſed ſemper quieta, & gaudens in Domino, nullum ſolatium quærendo in creaturis, nullamque animi relaxationem in aliquâ re extrà Deum affectando; undè licèt inter quatuor muros concluderetur, æquanimis permaneret, hilaris in Domino ſemper; omnia videntur illi coôperari ad hanc placidam in Deo occupationem, vel filialem cum Matre amabili converſationem, vel ad alia Deiformia in Deo frequentanda, & exercenda ſine impedimento immediatæ cum Dilecto adhæſionis: & quidem hæc omnia operatur in animâ unus atque idem ſpiritus, diverſimodè diverſo tempore, prout vult, ſine notabili alienatione vel abſtractione ſenſuum; quamquàm etiam ſine

Spiritus diverſimodè operatur.

Qui illum ſequitur, manet ſemper tranquillus in Deo.

Nil quærit in creaturis.

Vnus & idē ſpiritus operatur omnia.

ſine magnâ eorum vivacitate, attractione vel mixtione, niſi juxta directionem Spiritûs, atque hoc ſenſu ſimpliciter ſecundùm Spiritum, in Spiritu, & cum Spiritu: ex quo etiam provenit, quòd non remaneant ex eorum operationibus imagines, ſeu vivaces ſpecies impreſſæ, quæ animam ab immediatâ cum Dilecto ſuo unione impediant; quin potiùs omnia videntur conducere ad amoroſum influxum in ipſum, ſcilicèt tam ſenſibilia, & corporalia, quàm ſpiritualia; ſicut terra & aqua ſimul mixtæ fluunt in mare, & ibi abſorbentur, & unum mare fiunt.

Multiplicia ſimpliciter in ſpiritu exercentur.

Etiam ſenſibilia videntur coôperari ad immediatam cum Deo unionem.

CAP. XXVIII.

Oratio ſimplicitatis fit cum facili excluſione partis ſenſitivæ.

ETſi in capitibus præcedentibus aliqua tetigerim hanc ſpeciem orationis concernentia; quia tamen illa oratio diverſimodè exercetur, aliqua præthereá hîc duxi addenda pro ampliori inſtructione. Itaque contingit nonnunquàm, quòd anima in oratione poſt intenſam quietem

Somnus myſticus.

 & ſen-

& ſenſuum alienationem in actuali oblivione omnium, etiam ſui ipſius in Deo, evigilet quaſi ad paulò majorem vivacitatem; ſed recidit iterùm in ordinariam ſimplicitatem, quæ utique, hinc indè aliquam reflexionem & ſpiritûs applicationem patitur ad Dilectum, ad Matrem amabilem, vel ad aliquid aliud Deiforme. Porrò anima iſta (ut ipſi videtur) appoſitè hanc diſpoſitionem vocat ſpiritûs applicationem; quia propriè non eſt aſpiratio, aut jaculatoria oratio tanquàm ad aliquid extra ſe, ſed quædam ſpiritûs acclinatio, ſeu applicatio ad unum vel aliud tanquàm in ſe exiſtens, vel unum ſecum per vinculum unitivi amoris.

Aliqualis evigilatio.

Quid hîc ſit ſpiritûs applicatio ad Deum.

Factâ hac ſpiritûs acclinatione ſeu applicatione, anima quieta manet velut cum pleno Dominio ſpiritûs ſuper omnes animæ potentias, etiam ſuper quælibet objecta occurrentia, non plus potentias ſinendo operari, vel objecta intromittendo, quàm ipſe deſiderat; id quod commune eſt in ordinariâ animæ quiete & ſimplicitate, de quâ hîc eſt frequens mentio: videntur hîc omnia quaſi mortificata, & nimiâ vivacitate carentia; ità ut omnia debeant ſpiritui cedere, nec

Anima dominans potẽtiis ſenſitivis.

In oratione ſimplicitatis pars ſenſitiva ſubditur rationi.

nec quidquam illi nocere poſſit; vel potiùs videtur Spiritus ad intra ad arcem aliquam ſe recepiſſe, relictis pleriſque potentiis, præſertim ſenſitivis veluti in atrio exteriori; quæ quidem naturali ſuâ activitate, & operationum ſenſibilium ſtrepitu videntur pulſare fores atrii interioris, ut intromittantur, & audiantur, ac ut poſſint colludere; ſed non obtinent audientiam: eo quòd anima cum ſuis nobilioribus potentiis in interiori arce in Deo intimè occupetur.

Spiritus intus recollectus excludit ſenſus foris.

Quamquàm autem anima intus ſic recollecta ſtrepitum & tumultum partis ſenſitivæ velut de longè percipiat; quaſi illa cum ſuis potentiis vellet intrare, & omnia in turbatione ponere; tamen illas non attrahit, nec videtur curare, earum operationes non plus permittendo, quàm ſibi placet: ideò illæ quaſi foris excluſæ manent, & licèt tentent intrare, facilè tamen ad extra continentur; eo quòd ſerventur bonæ excubiæ ad oſtium cordis, quod eſt velut hortus concluſus, cujus ſolus Dilectus clavem habet, illud ingrediens & egrediens, quandò vult, & quomodò vult; vel potiùs Dilectus ibi tenet aulam ſuam, inibi habens cu-

Anima introverſa percipit partem ſenſitivam quaſi de longè.

Nec illam intromittit pluſquā vult.

Cor animæ amoroſæ hortus cōcluſus.

biculum Genitricis ſuæ, locum quietis, & lectulum floridum; quocirca ab omni parte poſuit excubias, nè anima ullum alium præter ſe amatorem admittat; ſicut ſcriptum eſt: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, omnes tenentes gladios, ad bella doctiſſimi &c. propter timores nocturnos*; quo datur intelligi propter actualem tractum Dilecti, ejuſque in intimo manſionem, cor optimè eſſe cuſtoditum: ita ut potentiæ ſenſitivæ partem ſuperiorem ejuſque potentias vix poſſint interturbare quàm diu illæ in intimo cordis recollectæ, introverſæ, Spiritui Dei ſubjectæ, ac ab eo directæ manent, ſic enim ſunt velut caſtrorum acies benè ordinata, quæ mandat, & imperat omnibus, quæ ab extrinſeco inſultum facere vellent.

A ſolo dilecto cuſtoditus.

Cant. 3. v. 7. 8.

Stante introverſione omnes potentiæ ſunt ſpiritui ſubjectæ.

Hoc tamen non obſtante, non poteſt impediri, quo minùs, aſſultationes & tumultuationes partis inferioris & potentiarum ſenſitivarum interturbent & impediant extraordinariam ſimplicitatem & intimitatem, id eſt ſupermagnam quamdam introverſionem, & ſolitudinem animæ in Deo extra omnem perceptionem & occurſum creaturarum: niſi

Potentiæ ſenſitivæ ſæpè impediũt intimam introverſionem.

Digitized by Google

niſi fortaſſis de raro contingenti, ſpecialis & extraordinarius tractus Dilecti eam elongari faciat, & manere in ſolitudine; eamque deducat in interiora deſerti ſpiritualis, extra omnia, quæ Deus non ſunt; vel niſi anima à Dilecto ad thalamum admiſſa, ibi cum eo dormiat ſomnum pacis & amoris, quo tempore non percipit partis ſenſitivæ tumultuationem; quæ etiam ſubindè pro tunc exigua eſt propter bonum ordinem, quem Spiritus Dei in parte ſuperiore poſuit, & pars ſuperior in inferiore, ſic ut ſit bona ſubordinatio, nec pars inferior multùm poſſit exorbitare: cæterum anima vix poteſt evadere, quin ſæpè percipiat tumultum potentiarum ſenſitivarũ, puta, imaginativæ, appetitivæ, iraſcibilis, æſtimativæ; atque per multiplices, ſenſibiles & vivaces earum operationes in intimâ quiete nonnihil interturbetur, in quo debet habere patientiam, ſicut aliquis debet habere patientiam, nec poteſt impedire, quin audiat tumultum, latratum canis vel quid ſimile extrà domum, in quâ alioqui quietè degit, oſtiis & feneſtris benè obſeratis, abſque eo quòd debeat quemquam intromittere.

Tractio ſpiritus aliquãdò facit animam elõgari in ſolitud. myſticâ.

Spiritus Sanctus ponit aliquandò bonum ordin. in anima.

Digitized by Google

CAP. XXIX.

Oratio internæ ſolitudinis quomodò fiat.

Invitatio ad internam ſolitud.

SIcut jam ſtatim verbo tetigi, aliquandò fit, quòd Dilectus Dilectam invitet, & intimiùs introducat in ſeipſum dicens: *Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea, in foraminibus petræ, in cavernâ maceriæ.*

Cant. 2. 13.

Pſ. 54.

Petiit ipſa ab illo *pennas ſicut columbæ, ut volaret* extra omnes creaturas, *& requieſceret* in ſolo Deo, Dilecto ſuo: nec fruſtrata eſt à deſiderio ſuo; eccè enim facta eſt ſimplex, munda, & innocens ut columba; atque ut talem invitat eam Sponſus ad volandum, & in ſe quieſcendum: *Surge, veni columba mea in foraminibus Petræ:* introtrahitur ergò quaſi in profundam ſpiritûs ſolitudinem à Dilecto, qui ipſam ibidem tenet in tantâ attentione ſuſpenſam, tàm amorosè tractat, ab omni re creatâ tàm procul alienat, ab omni perceptibili ſenſuum operatione adeò abſtrahit & elongat, atque ab omni ſtrepitu potentiarum ſenſi-

Solitudo myſtica, ad quã anima à Spõſo ducitur.

tivarum tam longè ſequeſtrat, ut ipſa in Dilecto ſuo quaſi ſit perdita, ipſique totaliter immerſa; nec plus reflexionis ad aliquid extra ipſum vel præter ipſum habeat, quàm ſi ipſe & illa ſoli in mundo eſſent, nec aliquid aliud prætereà unquàm fuiſſet, aut futurum eſſet; ità ut ſenſus, vel quælibet alia objecta, vel potentiæ ſenſitivæ illam intimam ſolitudinem penetrare aut turbare nequeant, nec animam ullatenùs inquietare, multiplicare aut circa multa diſtrahere poſſint; donec intima iſta introtractio ſpiritûs, attentiſſima illa in Dilecto occupatio, illecebroſa refectio, amoroſa unio, uno verbo, vera animæ in Deum transformatio, & in unum Spiritum liquefactio & converſio nonnihil remittatur & tranſeat, ſicque anima velut ex procul diſſitâ ſolitudine, ſive ex profundo, ſive ex alto, ad ſe iterùm reducatur, vel quaſi è profundo & ſuavi ſomno pacis & amoris evigilans uſui ſuarum potentiarum denuò reſtituatur, ſui iterùm compos facta, & ad externas occupationes idonea.

In intimâ ſolitudine nulla turbatio.

Transformatio animæ in Deum.

Reditus ex ſolitudine.

Digitized by Google

CAP. XXX.

Fortis dilectio facit animam ſibi & creaturis mori, ac eam roborat in tentationibus.

Poſt reditum ex ſolitudin. myſt. remanet Dilectio fortis.

POrrò tantùm abeſt, ut anima ob illam ab oſculo Sponſi, ab amplexibus Dilecti dimiſſionem, ob illam tenerrimi & unitivi amoris perceptibilem remiſſionem, ob illam ex gratiſſimâ ſolitudine ad multiplicitatem occupationum reductionem triſtetur; quin potius ex tam extraordinario favore Dilecti, ex tam amicabili cum Dilecto unione, ex tam intimâ in Deo abſorptione, ex tam amoroſâ ejus fruitione experitur ſe plurimùm confortatam, & ad ardua animatam; eo quòd tenerrimus ille & perceptibiliter unitivus amor jam in ipſâ converſus ſit in aliam, quæ dicitur *Fortis ut mors*, dilectionem; undè fit, ut hac dilectione operante libenter careat omni deinceps ſolatio, ac omni perceptibili gratiâ: dilectio enim illa, utpotè fortis ut mors, facit illam voluntariè

Fortis ut mors Dilectio, myſticè.

luntariè mori omnibus rebus creatis, ac ſibi ipſi; imò inſtar mortis ſeparat illam ab omni affectu adhæſivo, quo alias occultè & quaſi imperceptibiliter adhuc vivebat in ſe, vel in aliquâ re creatâ, ut ſoli Deo deinceps vivat, non amplius ſibi-ipſi, aut ulli rei alteri quantumcumque excellenti: cùm autem ſic ſibi & omnibus ſit perfectè mortua, non eſt mirum, ſi nec ad ſe, nec ad alia adhæſivè reflectat, ſi ſe & cætera omnia non curet, aut attrahat.

Facit animã ſibi & creaturis mori.

Ex hac forti dilectione poſt illam transformationem & unificationem animæ cum Spiritu Dei remanente, anima fortior facta eſt in bello; undè quaſcumque tentationes viriliter ſuperat; & quaſi experta & aſſueta militiæ ſpirituali, eas parùm curat, facilè perfringit, nec per eas ab intuitu, & dilectione Dilecti ullatenùs impeditur, quaſi unico aſpectu delens, quidquid amori Dilecti contrarium occurrit: etſi fortis & valdè ſenſibilis ſit tentatio, non movetur, non plus quàm ſi morſum unius muſcæ ſentiret; ſentit enim voluntatem in bono firmatam, ac proindè tam facile ſibi eſſe experitur, voluntatem continere, nè ulli malo conſentiat, quàm facile ipſi eſt abigere unam muſcam;

Animus per dilectionem fortior fit in tentationibus.

Fortitudo in tẽtationibus.

Hebr. 13. cam; tunc ſentit, quia *Bonum eſt gratiâ ſtabilire cor, non eſcis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis*: tunc cum Apoſtolo confidenter ſubindè clamat;

Rom. 8. *Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia?* &c. *certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à Charitate Dei*: & de facto, quaſcumque

Quàm facilè anima perfecta ſuperet tentationes. tentationes faciliſſimè vincit; nam ſpiritu roborata unico velut ad Deum ictu oculi totum facit evaneſcere, & Spiritus Dei dominans voluntati rationali, illam coërcet ſine ullâ difficultate, eam vel unicâ ſolùm cogitatione & aſpectu amoroſo ad Dilectum convertendo; anima verò ſubindè dicit: *Dilecte mi, tu noſti cor meum, quia amat te, tuum eſt illud cuſtodire; eccè quàm facilè jam caderem, niſi tu mecum eſſes tanquàm adjutor fortis, verùm in te ſperans non infirmabor;* vel aliquid ſimile; atque ità tam facilè illi videtur omnes tentationes ſuperare, quàm facilè illi eſt avertere oculum ab aliquâ re, quam non vult videre.

Anima agnoſcit illam fortitud. eſſe à Deo. Porrò in his omnibus non obliviſcitur anima ſui nihili; altiſſimè enim menti impreſſum habet, & cordialiſſimè agnoſcit hanc ſibi fortitudinem à ſolo Deo venire,

nire, quòd alioqui vel leviſſimâ tentatione ſubverteretur; ideò non rarò dicit: *Dominus fortitudo mea, & ſalus mea, quem timebo?* vel, ò Jeſu, *niſi tu manum porrigeres, jam dudum turpiſſimè cecidiſſem*: vel, *niſi Deus adjuvit me, paulò minus habitaſſet in inferno anima mea*: atque hoc modo conſervans ſe in humilitate ſuâ permittit Deum in ſe vincere, cui proindè omnem victoriam tribuit, ſibi verò nihil vel minimum, niſi omnem fragilitatem; undè ait: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*; nè autem videatur ingrata Deo adjutori ſuo, *Deo*, inquit, *gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.*

Pſ. 26. Pſ. 93. 2. Cor. 12. 1. Cor. 15. n. 57.

CAP. XXXI.

Fructus aliqui orationis ſolitudinis; ſcilicèt, fortis Dilectio, alienatio à creaturis &c.

Quies & ſimplificatio extraord. à ſolo Deo.

IN capite penultimo egi de oratione myſticæ ſolitudinis, ſeu intimæ introverſionis, quam voco introverſionem, ſeu ſimplificationem, ſeu quietem extraordinariam, eo quòd ſolus Dilectus eam præter ordinarium in animâ debeat operari,

&c.

& de facto ſubindè operetur pro ſuo beneplacito, per intimam & ſubtilem ſuæ infinitæ & informis bonitatis, ſeu Eſſentiæ manifeſtationem; vi cujus interiores animæ potentiæ ità introvertuntur & intus occupantur, ut ſenſus externi, & aliæ potentiæ ſenſitivæ ſuſpenſæ videantur ab operationibus ſuis, & de facto ſint, quantum ad perceptibilitatem, quaſi introtractæ cum aliis, ut intentæ hæreant ſummo bono intus noviter manifeſtato, cui percipiendo cùm non ſufficiant, obſtupefactæ manent, & pro tunc etiam ſinè reflexione ad alia: id quod non adeò mirum videri debet; quippè cum etiam in hujus ſæculi amatoribus non rarò contingat, quòd aliqua ità cordi habeant, iiſque ità ſint intenti, ut ad cætera omnia non reflectant; ità ut non audiant, nec videant, nec attendant, quid circa illos fiat, quis ibi fuerit, quis ſit locutus, quid comederint, vel biberint &c. ſi autem terrena hæc ita animos ad ſe rapere poſſint, & in ſui contemplatione, ac affectu ità abſorbere; indubiè multò efficaciùs poterunt cæleſtia & divina; dum ſcilicèt, ſponſus cæleſtis manifeſtat animæ ſeipſum aut ſuam bonitatem, atque per intimam operationem, per tractus amoroſos animam in ſe rapit,

Quomodò fiat quies extraordin. vel ſolitudo myſtica.

Summa attẽtio ad aliquid facit perdere reflex ad alia.

Tractio Spõſi.

rapit, in ſe transformat, ac agit, ut unus ſecum ſpiritus fiat.

Porrò poſt extraordinarium hunc tractum cæleſtis Sponſi, remanet, ut principalis fructus, *Fortis ut mors Dilectio*, de quâ in capite præcedente actum eſt; item fortitudo in adverſis, & in tentationibus, de quâ ibidem; præterea in anima radicatur magna alienatio ab omnibus rebus creatis: neque enim ad aliquid creatum videtur deinceps affectum poſſe habere; eo quòd guſtu rei incomparabiliter melioris ſit ineſcata & allecta, cujus reſpectu & comparatione cætera omnia ſordeſcunt, vileſcunt, & nauſeam pariunt, ſic ut in nullâ re, aliquam ſatisfactionem aut delectationem reperire poſſit: undè clamat cum Apoſtolo; *Omnia arbitratus ſum ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam*: ideò illi moleſtum eſt, cum aliis ſecundùm corpus converſari; tædet ipſam & nimis vile videtur, corporali alimento veſci debere; ſuaviter ingemiſcit, & orat cum Prophetâ, Domine *De neceſſitatibus meis erue me*, & optaret *diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, ut dicere poſſet, *Salvaſti de neceſſitatibus animam meam*: undè cum Job, *Antequam comedat, ſuſpirat*: multùm illi diſplicet còrpus, cum ſentiat

Fortis dilectio eſt fructus ſolitudinis myſticæ.

Item fortitudo in tentation.

Itē alienatio à creatur.

Phil. 3.

Tædium in creaturis.

Pſ. 24.

Pſ. 30. 8.

Job. 3.

ſentiat eo ſe gravari; nec poteſt omittere, quin ſubinde dicat cum Apoſtolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* cum aliis loqui eſt illi tædioſum; vivit in patientiâ; dicit, quòd ſibi *vivere Chriſtus ſit, & mori lucrum*: atque ità vivit in corpore, quaſi non viveret; nec eſt periculum, quod ſenſualitati in aliquâ re locũ dabit, vel quod adhæſivè alicui rei afficietur, vel quod re aliquâ ſuperfluè utetur, ſed potiùs, quod corpuſculo debitum nutrimentum, debitam quietem & ſomnum non dabit, eique nimis parcè neceſſaria tribuet; ſicque in tali animâ inverſo planè modo omnia fiunt, ab eo, qui eſt uſitatus in animâ in oratione, ac ſui & omnium rerum perfectâ abnegatione non exercitatâ, nèc à Dilecto ſic tractâ.

Rom. 7.

Animæ perfectæ tædium in creaturis.

Non eſt illi periculum adhærendi creaturis.

Differentia animæ perfectæ & imperfectæ.

Quod ideò fit, quia jam eſt de numero eorum, qui dicere poſſunt: *Mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo:* ſic ut jam mundus, & omnia, quæ in mundo ſunt, deliciæ, voluptates, commoditates, lucra terrena, honores &c. facta ſint ipſi Crux, id eſt, occaſio & cauſa afflictionis, tædii, faſtidii, quæ anteà ipſi ſolebant eſſe ex voto & deſiderio, & quibus mundani delectari, toto affectu inhiare,

Gal. 6.

Mundana omnia ſunt crux animæ perfectæ.

hiare, ac omni ſtudio intendere conſue-verunt: tunc facilè erumperet anima in hæc verba, *Mihi abſit gloriari* & delectari, *niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*: quia nimirùm omninò inverſo modo., ſi in aliquâ re delectatur, delectatur ſolummodò in mortificatione Christi jugiter in corpore ſuo circumferendâ, in carne ſuâ crucifigendâ cum vitiis & concupiſcentiis, uno verbo, in omnibus, quæ homines ſenſuales & mundani ſolent ſummoperè averſari, omni conatu fugere, & à ſe procul abjicere.

Econtrà anima imperfectæ.

Gal. 6.

Perfecti delectantur in cruce.

CAP. XXXII.

Anima fidelis poſt introverſionem fideliſſimè implet voluntatem Dei in omnibus; ſentit etiam indiſpoſitionem corporis.

VErumtamen ſe conformando divino beneplacito (quod etiam ex neceſſitatibus corporis cognoſcit) anima fidelis non obſtante tali tædio & faſtidio creaturarum, nihil omittit

rit eorum, quæ ejus ſtatui & conditioni convenire dignoſcuntur; fungitur injuncto ſibi munere fideliter, in nullo ſibi parcendo, nec prætextu internæ in Deo quietis ſeipſam in ullo quærendo, nullum laborem ſubterfugiendo: ubicumque enim à ſpiritu trahitur, ut cognoſcat, quid à ſe velit Deus; illuc graditur, illuc volat, divinam voluntatem punctualiter adimpletura, ſine reflexione ſaltem deliberatâ ad ſe ipſam vel ad proprium commodum, vel incommodum; quin imò, cùm ejus ad Dilectum fortis ſit dilectio, ſæpè multa facit, quæ vires ejus naturales videntur ſuperare, laborat pluſquam duo vel tres, ſine fatigatione, amore omnem difficultatem, omneque tædium vincente, & ſpiritui, imò & corpori robur & vires addente, ad ſtuporem multorum: quod tamen non ita mirum, ſi conſideremus, quid amor carnalis faciat in hujus mundi amatoribus, quos ſimiliter videre eſt indefeſſos in proſecutione rei amatæ, vel ut complaceant perſonæ dilectæ; quid nî ergò idem & multò plura operetur amor divinus ad complacendum Deo ſummè, tenerrimè & intenſiſſimè dilecto?

Promptitudo ad faciendā voluntatem Dei, non parcendo ſibi.

Amor dat vires corporis & animæ.

Simile ab amore carnali.

Atque ſic anima in amore Dei perfecta

ctâ, rediens ex cellâ vinariâ Dilecti, habens ordinatam in ſe Charitatem, eſt magnanima, generoſa, ad ardua idonea & parata, præſtolans vocationem ſeu tractum Dei, ad quæcumque divina providentia eam diſtinaverit cum magnâ fortitudine animi: hæc tamen omnia, ſine admixtione omnis proprii intereſſe, aut propriæ in aliquo complacentiæ, cum perfecta ſui & rerum omnium renunciatione, nihil unquàm intendendo, quam purè Deum cum ſummâ ſinceritate cordis; quippè intima illa introverſio, in interiorem ſolitudinem introductio, & ſumma ibidem ab omni re creatâ alienatio ſeu abſtractio, ac immediata in informi Divinitate occupatio, reliquerunt in illâ unicam inclinationem, tractum & propenſionem ad Deum ſuum & omnia, ſic ut cor ejus ad illum indeſinenter ſcintillet, & jugiter feratur cum actuali, vel ſaltem virtuali evacuatione, exinanitione, ſeu abnegatione omnis propriæ quæſtionis, omnis adhæſivæ reflexionis ad quaſcumque creaturas.

Anima perfecta eſt generoſa.

Ejus ſinceritas ad Deum.

Effectus internæ ſolitud. eſt inclinatio ad ſolum Deum.

Anima contemplativa aliquandò etiam experitur, quòd poſt extraordinariam introverſionem etiam remaneat aliqua indiſpoſitio corporalis, ſic ut pro aliquo

Indiſpoſitio corporis ex introverſione extraordin.

Digitized by Google

aliquo tempore ad externas functiones ſit minùs idonea; oculi videntur nonnihil cæcutire, & præ ſiccitate difficiliùs verti ſub palpebris: quod fortaſſis indè venit, quia potentiæ ſenſitivæ, imò etiam humores corporis quaſi ad interiora confluunt, ubi pars ſuperior cum ſuis potentiis intimè introtracta potentias ſenſitivas, & per ſympatiam humores corporis, & præſertim oculos ad ſe trahit, & ad aliquid divinum ſecum contemplandum allicit; undè cùm membra, & organa ſenſuum ſuis humoribus & naturali temperamento deſtituantur, non poteſt non aliqua indiſpoſitio corporis ſequi, quæ poſtmodùm paulatim ceſſat; quamquàm in animâ ſimilibus aſſuetâ etiam pars ſenſitiva, omneſque ejus potentiæ, & ſpecialiter oculi retineant aliquam ad talem introverſionem inclinationem, magis ſimplificati, mortificati, ad interiora converſi; undè fit, ut talis anima remaneat in magnâ ſimplicitate excludendo facillimè omnem multiplicitatem inutilem in operationibus omnium ſuarum potentiarum; ſicque in ſe habet adminiculum valdè opportunum pro deſideratâ puritate cordis, eò quòd inveniens omnes ſuas potentias ad intro-

Introtractio partis ſenſitivæ.

Facilis excluſio operationum ſenſibil.

Simplicitas juvat puritatem cordis.

ver-

Digitized by Google

verſionem ita inclinatas & diſpoſitas, non debeat multùm laborare in perfectâ earum mortificatione, ac inductione, ut ſe juvent in ſpiritu vivere vitam divinam & Deiformem.

CAP. XXXIII.

Anima illuminata humiliter de ſeipſâ ſentit, quaſi eſſet cauſa omnium malorum.

QVamvis anima devota ita præveniatur à Deo in Benedictionibus dulcedinis, & maximis gratiis ac prærogativis, ut hactenùs oſtenſum eſt; ſic ut comedens fructus terræ Carmeli, & abundè guſtans optima quæq; illius, vitam verè Deiformem & divinam agat: manet tamen immerſa in ſuo nihilo, in abyſſo profundæ humilitatis; idque eò magis & profundiùs, quò à Spiritu Dei magis illuminatur; undè eam audias aliquandò dicere cum magnâ ſenſibilitate & ex cordiali opinione: videtur mihi, quòd decipiam omnes, loquendo, vel annotando aliqua ſublimia de ſpiritualibus, de

Quo perfectior, eò humilior.

Humilis opinio ſui.

de puritate cordis, de immediatâ unione cum Deo, de perfectâ oratione, &c. cùm tamen nihil boni in me ſit invenibile, niſi aliqua apparentia ſine eſſentiâ, & hinc indè modica aliqua ſcintilla, quam ex propriâ induſtriâ pingo ut ſolem vel ut magnum ignem, atque ita decipio homines, meo modo loquendi, aut agendi iis præbendo occaſionem, aliquid de me opinandi ſupra id, quòd vident in me, & in me non eſt, niſi quoad aliquam apparentiam: idcircò talis anima fertur & inclinatur, ut ignota maneat, & abſconditam vitam ducat; imò quoad hominem exteriorem mallet ferè aliquam imperfectionem committere; vel ſaltem ſummoperè ſibi cavet ne in ſuâ converſatione aliquam ſingularitatem oſtendat, aut aliquid extraordinarium in ſuo agendi modo præſeferat; nè quis exiſtimet in ipſâ aliquid particulare eſſe.

Cupit latere, & eſſe ignot.

Quòd ſi ex inadvertentiâ in hoc vel parùm defecerit, verbo vel facto, vel aliquo modo agendi, aliquam jactantiam præferendo, vel aliquid concernens propriam commendationem ſpirando, metuit, nè ob temeritatem & præ-

Sumit anſam ſe humiliandi ex aliqua defectu.

præſumptionem ſuam jurè meritò Dei gratia ſibi totaliter ſubtrahatur, quâ ſubtractâ, juſto Dei judicio turpiter cadere permittatur ad eam humiliandam: hîc ſenſus ſeu opinio menti ipſius aliquandò quaſi in ictu oculi, ſubitò imprimitur per aliquam internam illuminationem & claram cognitionem magnæ ſuæ ergà Deum infidelitatis in multis: verùm illicò coram Deo ſe profundiſſimè humiliando, & in nihilum ſuum deſcendendo, divinam ſatagit humiliter implorare clementiam, quatenus patientiam ſecum habere velit, dicens: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, noſti Domine, quià caro ſum, patientiam habe in me, & miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* Confugit etiam cum fiduciâ ad ſinum Matris amabilis, ut ibi protegatur; ſicque manet tota parvula in oculis ſuis, humilians ſe in omnibus, ut coram Deo inveniat gratiam, vel potiùs in nihilo ſuo immergitur, ibique manet tota quieta; incidit enim illi, quòd equidem habitualiter purè Deum intendat, cum internâ aſſecuratione, quòd non ducatur à malo ſpiritu, quodque illuſtrationes præteritæ à Deo venerint tanquàm à Patre luminum, qui in ipſâ non rarò miſericorditer

Impreſſa ſui notitia humiliat.

Recurrit ad Deum.

Pſ. 138.

Ad M. amabilem.

Humilis manat quietus.

Interna conſolatio in humiliante ſe.

diter operatur manifeſtando ei ſeipſum & multas veritates, pro quibus etiã mori parata eſſet; etſi non ità fideliter vivat ſecundùm illas, partim ex propriâ culpa, partim Deo ſic cleméter permittente qui illã tali modo in humilitate vult cuſtodire, prævidens, quòd alioqui ſuâ gratiâ abuteretur.

Humilis opinio ſui quaſi eſſet cauſa malorum.

Aliquandò ipſi videtur, quòd ſit in cauſâ, cur alii maneant afflicti, infirmi, tentati, fragiles, anguſtiati corpore & animâ; & quod Dilectus eos benè vellet juvare, cõſolari & confortare, ſed id non faciat ex amore illius, nè propter interceſſionem ipſius alios juvando, ſanando, liberando, ipſi det occaſionem vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ, cui ipſam etiam propter minima videt obnoxiam: hac verò illuſtratione anima valdè compuncta facilè ab omnibus peteret veniam, eò quòd ſuæ culpæ imputet, quòd non juventur; quibus proindè plurimùm compatitur: perſuadet ſibi etiam ſe aliis facere injuriã pro illis orandò; quia putat eos faciliùs juvandos, ſi ipſa non foret, cùm videat orationem ſuam dare occaſionem Deo, cur eos non juvet: idem eſt de neceſſitatibus Eccleſiæ, aut patriæ, de relaxatione Religionum, exiguo profectu in iiſdem, de infortuniis &c. quorum, ſenſu dato, ſe exiſtimat

Quare hoc?

Compatitur afflictis, quib. putat ſuam orationem obeſſe.

Putat ſe omnium malorum cauſam.

Digitized by Google

ſtimat eſſe occaſionem. ô qualis ei hîc apparet abyſſus! quàm claram & profundam hîc acquirit notitiam ſui, ſuæque indignitatis! quantum hîc intelligit Dilecti ergà ſe amorem; quomodò nimirum ut eam à læſione vanę gloriæ & inanis in aliquo complacentiæ præſervet, tam multos relinquat in afflictione; quià autem illam ad vanam gloriam & complacentiã propenſionẽ novit ſibi eſſe vincibilem & culpabilẽ, putat omnes illos afflictos meritò ſibi indignaturos ſi hoc reſcirẽt, & ab eis exprobrationem & indignationẽ fatetur ſe mereri in die judicii: hinc demergitur in ſuum nihilum, in abyſſum humilitatis, & facilè clamaret; quis poterit reſpondere unum pro mille? quare Dilectus meus me non potiùs annihilat, & delet de numero creaturarũ, quò ſic tam multi alii occaſione mei non relinquerentur in afflictionibus, in infirmitatibus, in peccatis? ut quid, o Deus meus & omnia! amor tuus adeò quaſi inſanit ergà me? verè propter nimiã charitatem tuam ità mecum agis: noſti equidem, quia infirmior & imperfectior ſum omniũ. Has & ſimiles, humiles ſimul & amoroſas lamẽtationes facit anima annihilata & Dei amans corã Dilecto ſuo; dum tali radio penetratur, manẽs interim

Dei amor ergà animam non exaudiẽdo preces.

Illuſtratio ad ſui notitiam.

Modus agendi ipſius cum Deo.

rim in plena tranquillitate & animi ergà illum perfectâ reſignatione; vera enim humilitas quietem animæ non turbat aut tollit, ſed adfert & auget, ut Salvator comprobetur dixiſſe verum: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.*

Vera humilitas quietem animæ non turbat.

Mat. 11.

CAP. XXXIV.

Aliud humile ſentire aliquarum animarum illuminatarum.

PRofunda humilitas, ſeu humilis ſui cognitio videtur ſubindè animæ velle imponere & imputare omnia peccata totius mundi, hoc modo: ſi eſſem fidelis divinæ gratiæ, quâ Deus me præ millibus aliorum continuè dignatur prævenire, in agendo comitari, poſt actum ſubſequi; poſſem orare, ſicut oportet, ſeu efficaciter pro omnibus, qui primatum ſeu Superioratum tenent in univerſo mundo, qui per meam condignam intercesſionem convenientes à Deo gratias obtinentes, benè regerent ſibi ſubjectos, eos ædificando verbo & opere ad ſalutem, ac in membra ſuæ communitatis bonas

Humilis ſibi aliquandò imputat omnia peccata mundi.

Quo ſenſu.

bonas inſtructiones, & ſalutaria exempla infunderent; nunc autem defectu horum, omnia manent in confuſione, omnes paſſim hærent in peccatis, & cæcitate, alienati à via ſalutis; hoc equidem in me verum eſt, non ità in aliis, quibus tot gratiæ non ſunt conceſſæ.

Porrò anima iſta pro tunc actualiter, & pro ſemper habitualiter putat hinc clarè ſequi, quod ſit maxima peccatrix totius mundi, ſi non ob peccata propria, tamen propter aliena, quorum agnoſcit ſe eſſe cauſam, ſaltem indirectam & per accidens, quia ea non conatur impedire, prout mediante gratiâ Dei (uti ipſi videtur) poſſet, ſi illi fideliter cooperaretur: fortaſſis hoc ſenſu Sanctus Franciſcus, Sancta Thereſia, Beata Magdalena de Pazzi, & alii dicebant ſeſe maximos peccatores mundi, ac proindè omnium indignationem meritos, indignos, quos terra ſuſtineret, omni autem contumeliâ, deſpectu & opprobrio digniſſimos cordialiter reputabant.

Putat ſe maximum peccatorem ob peccata aliena, quorum ſe putat cauſam per accidens.

Sic S. Franc. Tereſia, &c.

In tali diſpoſitione, quam Deus ſubindè in animâ alioqui ſibi chariſſimâ permittit, vel etiam ipſemet operatur, immittendo ipſi aliquem radium, ut

Dignatio Dei in humiliatione animarum.

ejus illuſtratione mediante diſcat fragilitatem, imbecillitatem, & nihileitatem ſuam, ſicque ab omni vanâ præſumptione, ab omni vanâ gloriâ & ſui ipſius complacentiâ præſervetur, anima eſt ità verecunda & humiliata, ut neſciat quid dicere, aut agere, niſi in ſuo nihilo manere; dicens cum Pſalmiſta: *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* tunc experientiâ diſcit, quia, *qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*: aliquandò verò ſic loquitur Dilecto, præſertim tali illuſtrata radio. Quin imò Domine, jam ad oculum patet, *quòd cœli non ſint mundi in oculis tuis, & in Angelis* meritò reprehenderis *pravitatem*; ideò jam non amplius miror, quòd *ſcrutaberis Ieruſalem in lucernis*: jam clarè video, quàm meritò mihi ſit quotidiè orandum: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce* ancillæ tuæ; ecce enim innumeris me cerno obnoxiam: ſi ità ſe res habeat, *delicta quis intelligit?* verè, *pluſquam* ad *nihilum redacta ſum & neſcivi*, niſi jam, dùm aliqualem mei mihi notitiam inſtillare dignatus es. Ità humiliter de ſe ſentit & loquitur ſaltem coràm Deo anima illuminata, & agnoſcit, quia nihil

Anima humiliata.

Pſalm. 129.

Gall. 6.

Modus ejus agendi cum Deo.

Iob 1.

Iob 4.

Sophon. 1.

Pſalm. 18.

Ibid.

Pſalm. 72.

hil melius, quàm latere, & juxta monitum Principis Apoſtolorum, *humiliari ſub potenti manu Dei*. 1. Pet. 5.

Cap. XXXV.

Converſatio humilis animæ, dum præeſt aliis.

ANima, quæ ità nihilo ſuo immerſa, & ità parva manet in oculis ſuis, abundè inſinuat ſe à bono Spiritu duci & in omnibus dirigi; humilitas enim de hoc dat probam ſufficientem & ſignum certiſſimum; *ſuper quem enim requieſcet ſpiritus meus*, ait Dominus, *niſi ſuper humilem & quietum?* Quarè ſi advertere libet ad converſationem & modum vivendi talis animæ, videbis humilitatem in omnibus undique elucere: talis non facilè indignabitur ob defectus & imperfectiones aliorum, quia propriæ illi videntur centies plures & majores; imò credit ſe etiam iſtarum in aliis eſſe cauſam; ideò agit cum eis cum compaſſione, & longanimitate, eorum culpas in ſe ſuſcipit, eos pro viribus excuſat, omnia interpretatur in melius, de

Humilis ducitur à bono ſpiritu.

Iſa. 57.

Elucet humilitas in omnibus in anima perfectè humili.

Modus ejus converſandi.

ſentiat eo ſe gravari; nec poteſt omittere, quin ſubinde dicat cum Apoſtolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* cum aliis loqui eſt illi tædioſum; vivit in patientiâ; dicit, quòd ſibi *vivere Chriſtus ſit, & mori lucrum*: atque ità vivit in corpore, quaſi non viveret; nec eſt periculum, quod ſenſualitati in aliquâ re locũ dabit, vel quod adhæſivè alicui rei afficietur, vel quod re aliquâ ſuperfluè utetur, ſed potiùs, quod corpuſculo debitum nutrimentum, debitam quietem & ſomnum non dabit, eique nimis parcè neceſſaria tribuet; ſicque in tali animâ inverſo planè modo omnia fiunt, ab eo, qui eſt uſitatus in animâ in oratione, ac ſui & omnium rerum perfectâ abnegatione non exercitatâ, nèc à Dilecto ſic tractâ.

Rom. 7.

Animæ perfectæ tædium in creaturis.

Non eſt illi periculum adhærendi creaturis.

Differentia animæ perfectæ & imperfectæ.

Quod ideò fit, quia jam eſt de numero eorùm, qui dicere poſſunt: *Mihi mundus Crucifixus eſt, & ego mundo:* ſic ut jam mundus, & omnia, quæ in mundo ſunt, deliciæ, voluptates, commoditates, lucra terrena, honores &c. facta ſint ipſi Crux, id eſt, occaſio & cauſa afflictionis, tædii, faſtidii, quæ anteà ipſi ſolebant eſſe ex voto & deſiderio, & quibus mundani delectari, toto affectu inhiare,

Gal. 6.

Mundana omnia ſunt crux animæ perfectæ.

hiare, ac omni ſtudio intendere conſue- verunt: tunc facilè erumperet anima in hæc verba, *Mihi abſit gloriari* & dele- ctari, *niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti*: quia nimirùm omninò inverſo modo, ſi in aliquâ re delectatur, dele- ctatur ſolummodò in mortificatione Christi jugiter in corpore ſuo circum- ferendâ, in carne ſuâ crucifigendâ cum vitiis & concupiſcentiis, uno verbo, in omnibus, quæ homines ſenſuales & mundani ſolent ſummoperè averſari, omni conatu fugere, & à ſe procul ab- jicere.

Econtrà anima imperfectæ.

Gal. 6.

Perfecti delectantur in cruce.

CAP. XXXII.

Anima fidelis poſt introverſionem fideliſſimè implet voluntatem Dei in omnibus; ſentit etiam indiſpoſitionem corporis.

VEruimtamen ſe conformando divino beneplacito (quod etiam ex neceſſitatibus corporis cognoſcit) anima fidelis non obſtante tali tædio & faſtidio creaturarum, nihil omit- tit

tit eorum, quæ ejus ſtatui & conditioni convenire dignoſcuntur; fungitur injuncto ſibi munere fideliter, in nullo ſibi parcendo, nec prætextu internæ in Deo quietis ſeipſam in ullo quærendo, nullum laborem ſubterfugiendo: ubicumque enim à ſpiritu trahitur, ut cognoſcat, quid à ſe velit Deus; illuc graditur, illuc volat, divinam voluntatem punctualiter adimpletura, ſine reflexione ſaltem deliberatâ ad ſe ipſam vel ad proprium commodum, vel incommodum; quin imò, cùm ejus ad Dilectum fortis ſit dilectio, ſæpè multa facit, quæ vires ejus naturales videntur ſuperare, laborat pluſquam duo vel tres, ſine fatigatione, amore omnem difficultatem, omneque tædium vincente, & ſpiritui, imò & corpori robur & vires addente, ad ſtuporem multorum: quod tamen non ita mirum, ſi conſideremus, quid amor carnalis faciat in hujus mundi amatoribus, quos ſimiliter videre eſt indefeſſos in proſecutione rei amatæ, vel ut complaceant perſonæ dilectæ; quid ni ergò idem & multò plura operetur amor divinus ad complacendum Deo ſummè, tenerrimè & intenſiſſimè dilecto?

Promptitudo ad faciendã voluntatem Dei, non parcendo ſibi.

Amor dat vires corporis & animæ.

Simile ab amore carnali.

Atque ſic anima in amore Dei perfecta

ctâ, rediens ex cellâ vinariâ Dilecti, habens ordinatam in ſe Charitatem, eſt magnanima, generoſa, ad ardua idonea & parata, præſtolans vocationem ſeu tractum Dei, ad quæcumque divina providentia eam diſtinaverit cum magnâ fortitudine animi: hæc tamen omnia, ſine admixtione omnis proprii intereſſe, aut propriæ in aliquo complacentiæ, cum perfecta ſui & rerum omnium renunciatione, nihil unquàm intendendo, quam purè Deum cum ſummâ ſinceritate cordis; quippè intima illa introverſio, in interiorem ſolitudinem introductio, & ſumma ibidem ab omni re creatâ alienatio ſeu abſtractio, ac immediata in informi Divinitate occupatio, reliquerunt in illâ unicam inclinationem, tractum & propenſionem ad Deum ſuum & omnia, ſic ut cor ejus ad illum indeſinenter ſcintillet, & jugiter feratur cum actuali, vel ſaltem virtuali evacuatione, exinanitione, ſeu abnegatione omnis propriæ quæſtionis, omnis adhæſivæ reflexionis ad quaſcumque creaturas.

Anima perfecta eſt generoſa.

Ejus ſinceritas ad Deum.

Effectus internæ ſolitud. eſt inclinatio ad ſolum Deum.

Anima contemplativa aliquandò etiam experitur, quòd poſt extraordinariam introverſionem etiam remaneat aliqua indiſpoſitio corporalis, ſic ut pro aliquo

Indiſpoſitio corporis ex introverſione extraordin.

aliquo tempore ad externas functiones ſit minus idonea; oculi videntur nonnihil cæcutire, & præ ſiccitate difficiliùs verti ſub palpebris: quod fortaſſis indè venit, quia potentiæ ſenſitivæ, imò etiam humores corporis quaſi ad interiora confluunt, ubi pars ſuperior cum ſuis potentiis intimè introtracta potentias ſenſitivas, & per ſympatiam humores corporis, & præſertim oculos ad ſe trahit, & ad aliquid divinum ſecum contemplandum allicit; undè cùm membra, & organa ſenſuum ſuis humoribus & naturali temperamento deſtituantur, non poteſt non aliqua indiſpoſitio corporis ſequi, quæ poſtmodùm paulatim ceſſat; quamquàm in animâ ſimilibus aſſuetâ etiam pars ſenſitiva, omneſque ejus potentiæ, & ſpecialiter oculi retineant aliquam ad talem introverſionem inclinationem, magis ſimplificati, mortificati, ad interiora converſi; undè fit, ut talis anima remaneat in magnâ ſimplicitate excludendo facillimè omnem multiplicitatem inutilem in operationibus omnium ſuarum potentiarum; ſicque in ſe habet adminiculum valdè opportunum pro deſideratâ puritate cordis, eò quòd inveniens omnes ſuas potentias ad intro-

Introtractio partis ſenſitivæ.

Facilis excluſio operationum ſenſibil.

Simplicitas juvat puritatem cordis.

Digitized by Google

verſionem ita inclinatas & diſpoſitas, non debeat multùm laborare in perfectâ earum mortificatione, ac inductione, ut ſe juvent in ſpiritu vivere vitam divinam & Deiformem.

CAP. XXXIII.

Anima illuminata humiliter de ſeipſâ ſentit, quaſi eſſet cauſa omnium malorum.

QVamvis anima devota ita præveniatur à Deo in Benedictionibus dulcedinis, & maximis gratiis ac prærogativis, ut hactenùs oſtenſum eſt; ſic ut comedens fructus terræ Carmeli, & abundè guſtans optima quæq; illius, vitam verè Deiformem & divinam agat: manet tamen immerſa in ſuo nihilo, in abyſſo profundæ humilitatis; idque eò magis & profundiùs, quò à Spiritu Dei magis illuminatur; undè eam audias aliquandò dicere cum magnâ ſenſibilitate & ex cordiali opinione: videtur mihi, quòd decipiam omnes, loquendo, vel annotando aliqua ſublimia de ſpiritualibus, de

Quo perfectior, eò humilior.

Humilis opinio ſui.

de puritate cordis, de immediatâ unione cum Deo, de perfectâ oratione, &c. cùm tamen nihil boni in me ſit invenibile, niſi aliqua apparentia ſine eſſentiâ, & hinc indè modica aliqua ſcintilla, quam ex propriâ induſtriâ pingo, ut ſolem vel ut magnum ignem, atque ita decipio homines, meo modo loquendi, aut agendi iis præbendo occaſionem, aliquid de me opinandi ſuprà id, quòd vident in me, & in me non eſt, niſi quoad aliquam apparentiam: idcircò talis anima fertur & inclinatur, ut ignota maneat, & abſconditam vitam ducat; imò quoad hominem exteriorem mallet ferè aliquam imperfectionem committere; vel ſaltem ſummoperè ſibi cavet ne in ſuâ converſatione aliquam ſingularitatem oſtendat, aut aliquid extraordinarium in ſuo agendi modo præſeferat; nè quis exiſtimet in ipſâ aliquid particulare eſſe.

Cupit latere, & eſſe ignot.

Quòd ſi ex inadvertentiâ in hoc vel parùm defecerit, verbo vel facto, vel aliquo modo agendi, aliquam jactantiam præferendo, vel aliquid concernens propriam commendationem ſpirando, metuit, nè ob temeritatem & præ-

Sumit anſam ſe humiliandi ex aliqua defectu.

præſumptionem ſuam jure meritò Dei gratia ſibi totaliter ſubtrahatur: quâ ſubtractâ, juſto Dei judicio turpiter cadere permittatur ad eam humiliandam: hîc ſenſus ſeu opinio menti ipſius aliquandò quaſi in ictu oculi, ſubitò imprimitur per aliquam internam illuminationem & claram cognitionem magnæ ſuæ ergà Deum infidelitatis in multis: verùm illicò coram Deo ſe profundiſſimè humiliando, & in nihilum ſuum deſcendendo, divinam ſatagit humiliter implorare clementiam, quatenus patientiam ſecum habere velit, dicens: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, noſti Domine, quià caro ſum, patientiam habe in me, & miſerere mei, quoniam infirmus ſum.* Confugit etiam cum fiduciâ ad ſinum Matris amabilis, ut ibi protegatur; ſicque manet tota parvula in oculis ſuis, humilians ſe in omnibus, ut coram Deo inveniat gratiam, vel potiùs in nihilo ſuo immergitur, ibique manet tota quieta; incidit enim illi, quòd equidem habitualiter purè Deum intendat, cum internâ aſſecuratione, quòd non ducatur à malo ſpiritu, quodque illuſtrationes præteritæ à Deo venerint tanquàm à Patre luminum, qui in ipſâ non rarò misericorditer

Impreſſa ſui notitia humiliat.

Recurrit ad Deum.

Pſ. 138.

Ad M. amabilem.

Humilis manat quietus.

Interna conſolatio in humiliante ſe.

diter operatur manifeſtando ei ſeipſum & multas veritates, pro quibus etiã mori parata eſſet; etſi non ità fideliter vivat ſecundùm illas, partim ex propriâ culpa, partim Deo ſic clemẽter permittente qui illã tali modo in humilitate vult cuſtodire, prævidens, quòd alioqui ſuâ gratiâ abuteretur.

Humilis opinio ſui quaſi eſſet cauſa malorum.

Aliquandò ipſi videtur, quòd ſit in causâ, cur alii maneant afflicti, infirmi, tentati, fragiles, anguſtiati corpore & animâ; & quod Dilectus eos benè vellet juvare, cõſolari & confortare, ſed id non faciat ex amore illius, nè propter interceſſionem ipſius alios juvando, ſanando, liberando, ipſi det occaſionem vanæ gloriæ, & propriæ complacentiæ, cui ipſam etiam propter minima videt obnoxiam: hac verò illuſtratione anima valdè compuncta facilè ab omnibus peteret veniam, eò quòd ſuæ culpæ imputet, quòd non juventur; quibus proindè plurimùm compatitur: perſuadet ſibi etiam ſe aliis facere injuriã pro illis orandó; quia putat eos faciliùs juvandos, ſi ipſa non foret, cùm videat orationem ſuam dare occaſionem Deo, cur eos non juvet: idem eſt de neceſſitatibus Eccleſiæ, aut patriæ, de relaxatione Religionum, exiguo profectu in iiſdem, de infortuniis &c. quorum, ſenſu dato, ſe exi-

Quare hoc?

Compatitur afflictis, quib. putat ſuam orationem obeſſe.

Putat ſe omnium malorum cauſam.

ſtimat

Digitized by Google

ſtimat eſſe occaſionem. ô qualis ei hîc apparet abyſſus! quàm claram & profundam hîc acquirit notitiam ſui, ſuæque indignitatis! quantum hîc intelligit Dilecti ergà ſe amorem; quomodò nimirum ut eam à læſione vanę gloriæ & inanis in aliquo complacentiæ præſervet, tam multos relinquat in afflictione; quià autem illam ad vanam gloriam & complacentiã propenſionẽ novit ſibi eſſe vincibilem & culpabilẽ, putat omnes illos afflictos meritò ſibi indignaturos ſi hoc reſcirẽt, & ab eis exprobrationem & indignationẽ fatetur ſe mereri in die judicii: hinc demergitur in ſuum nihilum, in abyſſum humilitatis, & facilè clamaret; quis poterit reſpondere unum pro mille? quare Dilectus meus me non potiùs annihilat, & delet de numero creaturarũ, quò ſic tam multi alii occaſione mei non relinquerentur in afflictionibus, in infirmitatibus, in peccatis? ut quid, o Deus meus & omnia! amor tuus adeò quaſi inſanit ergà me? verè propter nimiã charitatem tuam ità mecum agis: noſti equidem, quia infirmior & imperfectior ſum omniũ. Has & ſimiles, humiles ſimul & amoroſas lamẽtationes facit anima annihilata & Dei amans corã Dilecto ſuo; dum tali radio penetratur, manẽs interim

Dei amor ergà animam, non exaudiẽdo preces.

Illuſtratio ad ſui notitiam.

Modus agendi ipſius cum Deo.

Vera humilitas quietem animæ non turbat. rim in plena tranquillitate & animi ergà illum perfectâ reſignatione; vera enim humilitas quietem animæ non turbat aut tollit, ſed adfert & auget, ut Salvator comprobetur dixiſſe verum: *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* *Mat. 11.*

CAP. XXXIV.

Aliud humile ſentire aliquarum animarum illuminatarum.

PRofunda humilitas, ſeu humilis ſui cognitio videtur ſubindè animæ velle imponere & imputare omnia peccata totius mundi, hoc modo: ſi eſſem fidelis divinæ gratiæ, quâ Deus me præ millibus aliorum continuè dignatur prævenire, in agendo comitari, poſt actum ſubſequi; poſſem orare, ſicut oportet, ſeu efficaciter pro omnibus, qui primatum ſeu Superioratum tenent in univerſo mundo, qui per meam condignam interceſſionem convenientes à Deo gratias obtinentes, benè regerent ſibi ſubjectos, eos ædificando verbo & opere ad ſalutem, ac in membra ſuæ communitatis bonas

Humilis ſibi aliquandò imputat omnia peccata mundi.

Quo ſenſu.

bonas inſtructiones, & ſalutaria exempla infunderent; nunc autem defectu horum, omnia manent in confuſione, omnes paſſim hærent in peccatis, & cæcitate, alienati à via ſalutis; hoc equidem in me verum eſt, non ità in aliis, quibus tot gratiæ non ſunt conceſſæ.

Porrò anima iſta pro tunc actualiter, & pro ſemper habitualiter putat hinc clarè ſequi, quod ſit maxima peccatrix totius mundi, ſi non ob peccata propria, tamen propter aliena, quorum agnoſcit ſe eſſe cauſam, ſaltem indirectam & per accidens, quia ea non conatur impedire, prout mediante gratiâ Dei (uti ipſi videtur) poſſet, ſi illi fideliter cooperaretur: fortaſſis hoc ſenſu Sanctus Franciſcus, Sancta Thereſia, Beata Magdalena de Pazzi, & alii dicebant ſeſe maximos peccatores mundi, ac proindè, omnium indignationem meritos, indignos, quos terra ſuſtineret, omni autem contumeliâ, deſpectu & opprobrio digniſſimos cordialiter reputabant.

Putat ſe maximum peccatorem ob peccata aliena, quorum ſe putat cauſam per accidens.

Sic S. Franc. Tereſia, &c.

In tali diſpoſitione, quam Deus ſubindè in animâ alioqui ſibi chariſſimâ permittit, vel etiam ipſemet operatur, immittendo ipſi aliquem radium, ut

Dignatio Dei in humiliatione animarum.

ejus illuſtratione mediante diſcat fragilitatem, imbecillitatem, & nihileitatem ſuam, ſicque ab omni vanâ præſumptione, ab omni vanâ gloriâ & ſui ipſius complacentiâ præſervetur, anima eſt ità verecunda & humiliata, ut neſciat quid dicere, aut agere, niſi in ſuo nihilo manere, dicens cum Pſalmiſta: *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* tunc experientiâ diſcit, quia, *qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*: aliquandò verò ſic loquitur Dilecto, præſertim tali illuſtrata radio. Quin imò Domine, jam ad oculum patet, *quòd cœli non ſint mundi in oculis tuis, & in Angelis* meritò reprehenderis *pravitatem*; ideò jam non amplius miror, quòd *ſcrutaberis Ieruſalem in lucernis*: jam clarè video, quàm meritò mihi ſit quotidiè orandum: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce* ancillæ tuæ; ecce enim innumeris me cerno obnoxiam: ſi ità ſe res habeat, *delicta quis intelligit?* verè, *pluſquam* ad *nihilum redacta ſum & neſcivi*, niſi jam, dùm aliqualem mei mihi notitiam inſtillare dignatus es. Ità humiliter de ſe ſentit & loquitur ſaltem coràm Deo anima illuminata, & agnoſcit, quia nihil

Anima humiliata.
Pſalm. 129.
Gall. 6.
Modus ejus agendi cum Deo.
Iob 1.
Iob 4.
Sophon. 1.
Pſalm. 18.
Ibid.
Pſalm. 72.

Digitized by Google

hil melius, quàm latere, & juxta monitum Principis Apoſtolorum, *humiliari* 1. Pet. 5.
ſub potenti manu Dei.

CAP. XXXV.

Converſatio humilis animæ, dum præeſt aliis.

ANima, quæ ità nihilo ſuo immerſa, & ità parva manet in oculis ſuis, abundè inſinuat ſe à bono Spiritu duci & in omnibus dirigi; humilitas enim de hoc dat probam ſufficientem & ſignum certiſſimum; *ſuper quem enim requieſcet ſpiritus meus*, ait Dominus, *niſi ſuper humilem & quietum?* Quarè ſi advertere libet ad converſationem & modum vivendi talis animæ, videbis humilitatem in omnibus undique elucere: talis non facilè indignabitur ob defectus & imperfectiones aliorum, quia propriæ illi videntur centies plures & majores; imò credit ſe etiam iſtarum in aliis eſſe cauſam; ideò agit cum eis cum compaſſione, & longanimitate, eorum culpas in ſe ſuſcipit, eos pro viribus excuſat, omnia interpretatur in melius,

Humilis ducitur à bono ſpiritu.

Iſa. 57.

Elucet humilitas in omnibus in anima perfectè humili.

Modus ejus converſandi.

de nemine malè ſuſpicatur, de nullo temerè judicat: ſi aliis ex officio præſit, ſe reputat minimum omnium, præcipit aliis cum humilitate; cum omnibus converſatur ut frater, quaſi unus ex illis, non imperiosè ſe gerens, ſed potius rogando facienda commendans, ſciens, quia etiam *Dominator virtutis*, Deus, *cum tranquillitate judicat, & cum magnâ reverentiâ diſponit*, ſeu regit *nos*; quod infinities magis exiſtimat ſibi convenire in regimine aliorum: quin imò non modicè ſubindè miratur aliorum humilitatem & prædicat virtutem, quod ipſi velint ſubjici, & ſubeſſe: quocirca etiamſi videat mandata ſua & ordinationes ſuas non ità promptè adimpleri, non illicò indignatur, memor, Deum ſecum & cum omnibus longanimiter agere; cujus exemplo nec cum aliis ſolet rigorosè agere, ſciens etiam ſuperiorem decere ſupportare ſubditos in charitate, niſi honor Dei, vel commune bonum aliud poſtulet; etenim zelus honoris Dei vel boni communis eam ad rigorem aliquem, ſed temperatum, non rarò accendit: intereà, quia novit ſcriptum eſſe, *qui præeſt, in ſollicitudine* præſit, non deſinit eſſe ſollicita, ut

Modus ejus in regimine aliorum.
Sap. 12. n. 18.

Zelus honoris Dei, & boni communis exigit ſubindè rigorem.

Digitized by Google

ut omnia benè fiant, ut omnium neceſſitates tam corporales, quàm ſpirituales paternè præveniat, & omnibus pro poſſe ſatisfaciat; neque omittit attendere, quandò, ubi, & quomodò defectus corrigere & corripere oporteat, ſcit enim Apoſtoli præceptum eſſe, *educare filios* ſeu ſubditos *in diſciplinâ & correptione Domini*; ità tamen ut ex importunâ correptione ad *iracundiam non provocet filios ſuos* ſpirituales: dum verò reflectit Superioribus incumbere, ut *pervigilent quaſi rationem pro animabus* ſubditorum *reddituri*; quòdq; ſcriptum ſit, quia *judicium duriſſimum his, qui præſunt fiet*; ſubindè contremiſcit, & adhuc profundius humiliatur, non jam ex timore ſervili, ſed filiali, eo quòd videat ſe occaſione officii ſui multis imperfectionibus inquinari, & ſic à perfecta cordis puritate, ac unitivo amore Dei non raròalienari; quamquàm etiam anima in amore Dei conſummata ex ſpeciali Dei providentiâ ad exercitium humilitatis timore judiciorum Dei, ex apprehenſione divinæ juſtitiæ, & pœnarum æternarum, nonnunquàm corripiatur, ſic ut dicere queat, *timor, & tremor venerunt ſuper me*; ſed & illum timorem

Ejus ſollicitudo pro ſubditis.

Eph. 6. v. 4.

Eph. 4.

Hebr. 13.

Sap. 6.

Humiliatur ex timore filiali.

Etiam perfecti aliquando terrentur ex judiciis Dei.

morem, uti & aliàs amorem tenerrimum, vel fortiſſimum *operatur* in eâ *unus atque idem Spiritus*; uti feciſſe conſtat in Sancto Hieronymo, in Sancto Hilarione, imò & in Sancto Paulo, in quo videas Spiritum operari fortiſſimum erga Deum amorem, dum ait: *Quis me ſeparabit à charitate Dei, &c.* & aliàs timorem, dum timet, *ne cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur*: unde nec mirum, ſi talis, de quali hìc agimus, anima, ex conſideratione oneris ſibi impoſiti aliquando timeat, & tremiſcat, Dei Spiritu in ſe illum timorem operante, nè ex prælatione elatione aliquâ inflетur, ſed valle humilitatis tuta conſervetur.

Operante Spiritu Dei.

Patet in S. Hieron. &c. & in Apoſt.

1. Cor. 9.

Sic in animâ perfectâ agente Superiorem, &c. immittit Deus timorem ad humilit.

Quòd ſi anima humilis non præſit, ſed ſubſit, Spiritu humilitatis ità dirigetur, ut ſe gerat in communitate tam quietè, modeſtè, & pacificè, quaſi in illa non eſſet; nemini eſt moleſta; exiſtimat ſe indignam, ut aliquis pro ejus obſequio occupetur, nec id patitur ſine magno rubore, verecundiâ & animi gratitudine, ſive ſana ſit corpore, ſive infirma; de nullâ re, & de nemine habet conqueri; omnes illi videntur boni, & ſe inter omnes reputat imperfectiſſimam

Converſatio humilis animæ, aliis ſubditæ.

Digitized by Google

ctiſſimam; minimum quod ipſi ſit, vel datur etiam in infirmitate, videtur ipſi nimium; undè etſi negligatur, ſola relinquatur, malè ſerviatur, nullatenùs inquietatur, aut conqueritur, quia nihil putat ſibi deberi, & paucis contentatur, ſicque ſemper manet quieta; ſi quis ei contrariatur, ſibi perſuadet alterum habere jus, ideò prima cupit ei reconciliari, ac cedit libenter, præſertim in rebus ipſam ſolam concernentibus, vel à quibus non multum pendet; nam in rebus honorem Dei, vel commune bonum tangentibus, dum novit ſe coràm Deo, & in conſcientiâ benè fundatam (ſive inferior ſit, ſive ſuperior) gerit ſe ſtrenuè, fortiter & ſuaviter, præſertim autem ſi ex officio ipſi incumbat de ſucceſſu reſpondere; omnia tamen conatur facere ſedatè, & bono modo; neque enim humilitas contrariatur magnamitati, ſed potiùs opitulatur, eo quòd humilitas ſibi ipſi & ſuis viribus diffidens doceat à Deo conſilium, prudentiam & fortitudinem poſtulare, & efficaciter juvet impetrare, quibus intentum ad honorem Dei & bonum commune feliciter effectuetur: ſed hoc quaſi per parentheſim dictum ſit; ad rem;

Libenter cedit aliis.

In rebus tantũ Deum vel commune bonum ſpectantibus eſt generoſa & conſtans.

Humilitas nõ contrariatur magnanimitati, ſed eam fovet.

Digitized by Google

Anima humilis omnibus obſequitur, eligit viliora, &c.

anima humilis eſt ad obſequium omnium; ſi quid vile, abjectum, moleſtum, aut laborioſum occurrat, illud amplectitur tamquàm ſibi magis conveniens, quàm aliis, eo quòd alios ſibi præferat, vel magis indigere putet, vel infirmiores corpore exiſtimet, quàm ſe; facilè culpam agnoſcit etiam ubi non eſt, quia credit alios clariùs videre ſuos defectus, ſe autem in propriâ causâ facilè cæcutire; ideoque potiùs credit aliis, quàm ſibi; nulla re offenditur, omnia in melius interpretatur: & quia ſibi perſuadet, ſe ad pauca eſſe habilem, ac ſua agere ſine ulla gratia exteriori, ideò omnes irriſiones, & correptiones accipit in bonam partem, tamquam ſi illis cauſam dederit; imò ſæpè miratur Superiores & alios tantam ſecum habere patientiam & longanimitatem; plurimùm etiam ſibi cavet, ne ulli moleſtiam vel minimam inferat, & ſi in aliquo aliorum operâ indigeat, libenter exſpectat, donec illis per ocium liceat, vel donec aliis ſit ſatisfactum; imò ſolet dicere: accommodate prius magis feſtinis, ego libenter exſpectabo; pauciſſimis contentatur; ſicque ab omnibus amatur, & vel indè ſuæ humili-

Facilè agnoſcit culpam.

Eſt patiens.

Ab omnibus amatur.

Digitized by Google

tatis pabulum ſumit, videns unumquemque ità ſibi addictum; undè fruitur abundantiâ pacis cum Deo, cum Superioribus, cum æqualibus, cum propriâ conſcientiâ, non ſine ſummâ ſatisfactione in ſuâ vocatione & ſtatu omni tempore, & loco: ità ut lectionem Salvatoris perfectè in praxim redigat, & de facto verum experiatur id, quod ipſe promiſit, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.*

Habet pacem cum omnibus.

Matth. XI.

CAP. XXXVI.

Humilitas eſſentialis facit animam idoneam ad magnam perfectionem; quæ dicantur virtutes eſſentiales?

QVicumque humilitatem in gradu tam perfecto aſſecutus eſt, & de facto practicat, is eſt optimè diſpoſitus, & maximè idoneus, qui in ſpiritu mirè promoveatur, atque omnem vitam ſuam in Spiritu, in fundo animæ ſecundùm directionem Dei perfectè componat, & in vitâ contemplativa vel

Perfectè humilis ad altiora aptus.

ſupercontemplativâ fidelis permaneat; imò nemo, niſi ità parvulus & vilis in oculis ſuis & eſſentialiter annihilatus, eſt ad talem vitam idoneus; dico, niſi ſit eſſentialiter annihilatus, id eſt, niſi ad tam perfectum gradum humilitatis pervenerit, ut humilitas quaſi in naturam & eſſentiam verſa ſit, & conſequenter ſuas operationes tam facilè, tam ſuaviter, ac cum tam dulci propenſione & innatâ quaſi inclinatione in animâ ſuo tempore & loco exerceat, ſicut naturales & eſſentiales animæ potentiæ ſuas operationes producunt.

Nemo niſi humilis eſt idoneus ad vitam myſtic.

Quid ſit eſſentialis annihilatio & humilitas.

Siquidem ea quæ hîc de praxi humilitatis ſcripta ſunt, non debent in animâ perfectâ intelligi tam ruditer, aut tam activè, vel operoſè, vel impetuosè, vel multipliciter, prout ſonant; ſed anima contemplationi dedita praxim iſtorum omnium tam intimè & profundè, & in habitu tam perfecto habet animo impreſſam, & in ſe radicatam, dum degit vitam contemplativam vel ſupercontemplativam, vel dum eſt in ſtatu Deiformitatis, vel cujuſdam in Deum transformationis, ſic ut adhærens Deo unus ſpiritus fiat cum eo; ut ipſamet neſciat vel reflectat, quod humilitatem in tam perfecto

Quomodò humilitas exerceatur ab animâ perfectâ & myſtica.

Perfectè humilis neſcit ſe eſſe humilem.

perfecto gradu poſſideat, vel exerceat, ſcilicet habitu intenſo humilitatis ipſam ad actus ſummè facilitante, &, etiam ipſâ non reflectente, ſuaviter inclinante; quin imò, ſiquis illi diceret, quòd ſit humilis, non poſſet credere, eo quòd tam multas in ſe, ſe humiliandi rationes deprehendat, ut hoc non adſcribat virtuti, ſed debito; ſicuti non adſcribitur virtuti, quòd mendicus, vel Publicanus ſe humiliet coram divite, vel cedat honeſto viro; vel ſi mendicus ſe ut minimum omnium gerat, & contentetur reliquiis menſæ alicujus divitis, vel illi libenter ſerviat; imò hoc ſibi reputat honori, & ſe felicem, quòd hoc illi permittatur: ſiquidem aliquo modo idem contingit in perfectè humilibus, eo quòd ſe exiſtiment minimos omnium, qui non ſint digni ſolvere corrigiam calceamenti Sanctorum, vel ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa eorum tam corporali, quàm ſpirituali; imò ſe felices exiſtimant, ſi inter illos habitare, aut illis in aliquo obſequi poſſint.

Habitus inclinat & facilitat.

Perfectè humilis non credit ſe humilem.

Perfectè humiles ſe minimos reputant.

Porrò hoc ità fixè & profundè habent impreſſum cordibus ſuis, ut vix eis occurrat unica cogitatio, vel inclinatio in contrarium, eo quòd humilitas ipſis

Digitized by Google

ſit quaſi converſa in naturam, atque hoc ſenſu eſſentialis, ſeu naturalis. Eodem ſenſu intelligenda venit dictio, *eſſentialis*, *vel eſſentialiter*, in multis concernentibus vitam myſticam, dum eſt mentio de aliquibus virtutibus *eſſentialiter*, id eſt, perfectiſſimo modo exercendis; id quod fieri nequit, niſi virtutes in gradu tam intenſo ſint acquiſitæ, ut per fixum habitum ſeu conſuetudinem radicatam animæ factæ ſint quaſi naturales, ſeu ut altera natura; quod conſequenter ſolùm poteſt habere locum in pauciſſimis, & in perfectione conſummatis.

Humilitas verſa in naturam eſt quaſi naturalis & eſſentialis.

Quid hîc eſſentialiter.

Tunc autem anima exercet virtutem humilitatis, & alias, v. g. ſobrietatem, paupertatem, fidem divinæ præſentiæ, ſpem, charitatem, pœnitentiam, &c. cum tali facilitate, & cordiali inclinatione, quaſi inadvertenter & ſuaptè naturâ; perindè ac ſi ipſi forent innatæ, ac naturæ inſitæ; ſicuti ſuaviter, etiam inadvertenter, & ſine ullâ prorſus difficultate, imò ex inſitâ inclinatione & facilitatione, exercet operationes naturalium ſuarum potentiarum: etenim virtutes perfectè acquiſitæ ipſi factæ ſunt ut altera natura,

Perfecti in virtutibus, eas quaſi naturaliter exercent.

natura, quas proindè exercet tempore & loco exigentibus circumſtantiis, etiam abſque eo, quòd ſciat aut reflectat, atque hoc ſenſu naturaliter & eſſentialiter.

Quid ſit exercere virtutes naturaliter.

CAP. XXXVII.

Anima in Virtutibus conſummata, etiam in derelictione Deo fidelis manet; non ità in Virtutibus imperfecta.

DVm anima aſſecuta eſt virtutes in gradu tam perfecto, ut dictum eſt, eaſque tempore & loco fideliter exercet, moraliter loquendo, vocationem ſuam bonis operibus certam facit, benè aſſecurata & fundata eſt in viâ perfectionis, & optimè diſpoſita, ut à Spiritu Dei agatur, dirigatur, imò quaſi poſſideatur, in ipſum transformetur, & divinarum fiat particeps perfectionum; cùm enim in omnibus ſuis paſſionibus, affectibus, & inclinationibus per exercitium perfectarum virtutum ſit valdè temperata,

In virtutibus perfecta aſſecurat vocationem ſuam.

Eſt diſpoſita ut Spiritu Dei agatur.

Digitized by Google

Vera humilitas quietem animæ non turbat. rim in plena tranquillitate & animi ergà illum perfectâ reſignatione; vera enim humilitas quietem animæ non turbat aut tollit, ſed adfert & auget, ut Salvator comprobetur dixiſſe verum: *Diſcite à* *Mat. 11.* *me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.*

CAP. XXXIV.

Aliud humile ſentire aliquarum animarum illuminatarum.

PRofunda humilitas, ſeu humilis ſui cognitio videtur ſubindè animæ velle imponere & imputare omnia peccata totius mundi, hoc modo: ſi eſſem fidelis divinæ gratiæ, quâ Deus me præ millibus aliorum continuè dignatur prævenire, in agendo comitari, poſt actum ſubſequi; poſſem orare, ſicut oportet, ſeu efficaciter pro omnibus, qui primatum ſeu Superioratum tenent in univerſo mundo, qui per meam condignam interceſſionem convenientes à Deo gratias obtinentes, benè regerent ſibi ſubjectos, eos ædificando verbo & opere ad ſalutem, ac in membra ſuæ communitatis bonas

Humilis ſibi aliquandò imputat omnia peccata mundi.

Quo ſenſu.

Digitized by Google

bonas inſtructiones, & ſalutaria exempla infunderent; nunc autem defectu horum, omnia manent in confuſione, omnes paſſim hærent in peccatis, & cæcitate, alienati à via ſalutis; hoc equidem in me verum eſt, non ità in aliis, quibus tot gratiæ non ſunt conceſſæ.

Porrò anima iſta pro tunc actualiter, & pro ſemper habitualiter putat hinc clarè ſequi, quod ſit maxima peccatrix totius mundi, ſi non ob peccata propria, tamen propter aliena, quorum agnoſcit ſe eſſe cauſam, ſaltem indirectam & per accidens, quia ea non conatur impedire, prout mediante gratiâ Dei (uti ipſi videtur) poſſet, ſi illi fideliter cooperaretur; fortaſſis hoc ſenſu Sanctus Franciſcus, Sancta Thereſia, Beata Magdalena de Pazzi, & alii dicebant ſeſe maximos peccatores mundi, ac proindè, omnium indignationem meritos, indignos, quos terra ſuſtineret, omni autem contumeliâ, deſpectu & opprobrio digniſſimos cordialiter reputabant.

Putat ſe maximum peccatorem ob peccata aliena, quorum ſe putat cauſam per accidens.

Sic S. Franc. Tereſia, &c.

In tali diſpoſitione, quam Deus ſubindè in animâ alioqui ſibi chariſſimâ permittit, vel etiam ipſemet operatur, immittendo ipſi aliquem radium, ut

Dignatio Dei in humiliatione animarum.

ejus illuſtratione mediante diſcat fragilitatem, imbecillitatem, & nihileitatem ſuam, ſicque ab omni vanâ præſumptione, ab omni vanâ gloriâ & ſui ipſius complacentiâ præſervetur, anima eſt ità verecunda & humiliata, ut neſciat quid dicere, aut agere, niſi in ſuo nihilo manere, dicens cum Pſalmiſta: *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?* tunc experientiâ diſcit, quia, *qui putat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit*: aliquandò verò ſic loquitur Dilecto, præſertim tali illuſtrata radio. Quin imò Domine, jam ad oculum patet, *quòd cœli non ſint mundi in oculis tuis, & in Angelis* meritò reprehenderis *pravitatem*; ideò jam non amplius miror, quòd *ſcrutaberis Ieruſalem in lucernis*: jam clarè video, quàm meritò mihi ſit quotidiè orandum: *Ab occultis meis munda me, & ab alienis parce* ancillæ tuæ; ecce enim innumeris me cerno obnoxiam: ſi ità ſe res habeat, *delicta quis intelligit?* verè, *pluſquam ad nihilum redacta ſum & neſcivi*, niſi jam, dùm aliqualem mei mihi notitiam inſtillare dignatus es. Ità humiliter de ſe ſentit & loquitur ſaltem coràm Deo anima illuminata, & agnoſcit, quia nihil

Anima humiliata.

Pſalm. 129.

Gall. 6.

Modus ejus agendi cum Deo.

Iob 1.

Iob 4.

Sophon. 1.

Pſalm. 18.

Ibid.

Pſalm. 72.

Digitized by Google

hil melius, quàm latere, & juxta monitum Principis Apoſtolorum, *humiliari ſub potenti manu Dei.* 1. Pet. 5.

CAP. XXXV.

Converſatio humilis animæ, dum præeſt aliis.

ANima, quæ ità nihilo ſuo immerſa, & ità parva manet in oculis ſuis, abundè inſinuat ſe à bono Spiritu duci & in omnibus dirigi; humilitas enim de hoc dat probam ſufficientem & ſignum certiſſimum; *ſuper quem enim requieſcet ſpiritus meus*, ait Dominus, *niſi ſuper humilem & quietum?* Quarè ſi advertere libet ad converſationem & modum vivendi talis animæ, videbis humilitatem in omnibus undique elucere: talis non facilè indignabitur ob defectus & imperfectiones aliorum, quia propriæ illi videntur centies plures & majores; imò credit ſe etiam iſtarum in aliis eſſe cauſam; ideò agit cum eis cum compaſſione, & longanimitate, eorum culpas in ſe ſuſcipit, eos pro viribus excuſat, omnia interpretatur in melius, de

Humilis ducitur à bono Spiritu.

Iſa. 57.

Elucet humilitas in omnibus in anima perfectè humili.

Modus ejus converſandi.

de nemine malè ſuſpicatur, de nullo temerè judicat: ſi aliis ex officio præſit, ſe reputat minimum omnium, præcipit aliis cum humilitate; cum omnibus converſatur ut frater, quaſi unus ex illis, non imperiosè ſe gerens, ſed potius rogando facienda commendans, ſciens, quia etiam *Dominator virtutis*, Deus, *cum tranquillitate judicat, & cum magnâ reverentiâ diſponit*, ſeu regit *nos*; quod infinities magis exiſtimat ſibi convenire in regimine aliorum: quin imò non modicè ſubindè miratur aliorum humilitatem & prædicat virtutem, quod ipſi velint ſubjici, & ſubeſſe: quocirca etiamſi videat mandata ſua & ordinationes ſuas non ità promptè adimpleri, non illicò indignatur, memor, Deum ſecum & cum omnibus longanimiter agere; cujus exemplo nec cum aliis ſolet rigorosè agere, ſciens etiam ſuperiorem decere ſupportare ſubditos in charitate, niſi honor Dei, vel commune bonum aliud poſtulet; etenim zelus honoris Dei vel boni communis eam ad rigorem aliquem, ſed temperatum, non rarò accendit: intereà, quia novit ſcriptum eſſe, *qui præeſt, in ſollicitudine* præſit, non deſinit eſſe ſollicita, ut

Modus ejus in regimine aliorum.
Sap. 12. n. 18.

Zelus honoris Dei, & boni cõmunis exigit ſubindè rigorem.

Digitized by Google

ut omnia benè fiant, ut omnium neceſſitates tam corporales, quàm ſpirituales paternè præveniat, & omnibus pro poſſe ſatisfaciat; neque omittit attendere, quandò, ubi, & quomodò defectus corrigere & corripere oporteat, ſcit enim Apoſtoli præceptum eſſe, *educare filios* ſeu ſubditos *in diſciplinâ & correptione Domini*; ità tamen ut ex importunâ correptione ad *iracundiam non provocet filios ſuos* ſpirituales: dum verò reflectit Superioribus incumbere, ut *pervigilent quaſi rationem pro animabus* ſubditorum *reddituri*; quòdq; ſcriptum ſit, quia *judicium duriſſimum his, qui præſunt fiet*; ſubindè contremiſcit, & adhuc profundius humiliatur, non jam ex timore ſervili, ſed filiali, eo quòd videat ſe occaſione officii ſui multis imperfectionibus inquinari, & ſic à perfecta cordis puritate, ac unitivo amore Dei non rarò alienari; quamquàm etiam anima in amore Dei conſummata ex ſpeciali Dei providentiâ ad exercitium humilitatis timore judiciorum Dei, ex apprehenſione divinæ juſtitiæ, & pœnarum æternarum, nonnunquàm corripiatur, ſic ut dicere queat, *timor, & tremor venerunt ſuper me*; ſed & illum ti-

Ejus ſollicitudo pro ſubditis.

Eph. 6. v. 4.

Eph. 4.

Hebr. 13.

Sap. 6.

Humiliatur ex timore filiali.

Etiam perfecti aliquando terrentur ex Judiciis Dei.

Operante Spiritu Dei.

Patet in S. Hieron. &c. & in Apoſt.

1. Cor. 9.

Sic in animâ perfectâ agente Superiorem, &c. immittit Deus timorem ad humilit.

morem, uti & aliàs amorem tenerrimum, vel fortiſſimum *operatur* in eâ *unus atque idem Spiritus*; uti feciſſe conſtat in Sancto Hieronymo, in Sancto Hilarione, imò & in Sancto Paulo, in quo videas Spiritum operari fortiſſimum erga Deum amorem, dum ait: *Quis me ſeparabit à charitate Dei, &c.* & aliàs timorem, dum timet, *ne cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur*: unde nec mirum, ſi talis, de quali hîc agimus, anima, ex conſideratione oneris ſibi impoſiti aliquando timeat, & tremiſcat, Dei Spiritu in ſe illum timorem operante, nè ex prælatione elatione aliquâ inſletur, ſed valle humilitatis tuta conſervetur.

Converſatio humilis animæ, aliis ſubditæ.

Quòd ſi anima humilis non præſit, ſed ſubſit, Spiritu humilitatis ità dirigetur, ut ſe gerat in communitate tam quietè, modeſtè, & pacificè, quaſi in illa non eſſet; nemini eſt moleſta; exiſtimat ſe indignam, ut aliquis pro ejus obſequio occupetur, nec id patitur ſine magno rubore, verecundiâ & animi gratitudine, ſive ſana ſit corpore, ſive infirma; de nullâ re, & de nemine habet conqueri; omnes illi videntur boni, & ſe inter omnes reputat imperfectiſſimam

ctiſſimam; minimum quod ipſi ſit, vel datur etiam in infirmitate, videtur ipſi nimium; undè etſi negligatur, ſola relinquatur, malè ſerviatur, nullatenùs inquietatur, aut conqueritur, quia nihil putat ſibi deberi, & paucis contentatur, ſicque ſemper manet quieta; ſi quis ei contrariatur, ſibi perſuadet alterum habere jus, ideò prima cupit ei reconciliari, ac cedit libenter, præſertim in rebus ipſam ſolam concernentibus, vel à quibus non multum pendet; nam in rebus honorem Dei, vel commune bonum tangentibus, dum novit ſe coràm Deo, & in conſcientiâ benè fundatam (ſive inferior ſit, ſive ſuperior) gerit ſe ſtrenuè, fortiter & ſuaviter, præſertim autem ſi ex officio ipſi incumbat de ſucceſſu reſpondere; omnia tamen conatur facere ſedatè, & bono modo; neque enim humilitas contrariatur magnamitati, ſed potiùs opitulatur, eo quòd humilitas ſibi ipſi & ſuis viribus diffidens doceat à Deo conſilium, prudentiam & fortitudinem poſtulare, & efficaciter juvet impetrare, quibus intentum ad honorem Dei & bonum commune feliciter effectuetur: ſed hoc quaſi per parentheſim dictum ſit; ad rem;

Libenter cedit aliis.

In rebus tamē Deum vel commune bonum ſpectantibus eſt generoſa & conſtans.

Humilitas nō contrariatur magnanimitati, ſed eam fovet.

tatis pabulum ſumit, videns unumquemque ità ſibi addictum; undè fruitur abundantiâ pacis cum Deo, cum Superioribus, cum æqualibus, cum propriâ conſcientiâ, non ſine ſummâ ſatisfactione in ſuâ vocatione & ſtatu omni tempore, & loco: ità ut lectionem Salvatoris perfectè in praxim redigat, & de facto verum experiatur id, quod ipſe promiſit, *diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.*

Habet pacem cum omnibus.

Matth. 11.

CAP. XXXVI.

Humilitas eſſentialis facit animam idoneam ad magnam perfectionem; quæ dicantur virtutes eſſentiales?

QVicumque humilitatem in gradu tam perfecto aſſecutus eſt, & de facto practicat, is eſt optimè diſpoſitus, & maximè idoneus, qui in ſpiritu mirè promoveatur, atque omnem vitam ſuam in Spiritu, in fundo animæ ſecundùm directionem Dei perfectè componat, & in vitâ contemplativa vel

Perfectè humilis ad altiora aptus.

Digitized by Google

ſupercontemplativâ fidelis permaneat; imò nemo, niſi ità parvulus & vilis in oculis ſuis & eſſentialiter annihilatus, eſt ad talem vitam idoneus; dico, niſi ſit eſſentialiter annihilatus, id eſt, niſi ad tam perfectum gradum humilitatis pervenerit, ut humilitas quaſi in naturam & eſſentiam verſa ſit, & conſequenter ſuas operationes tam facilè, tam ſuaviter, ac cum tam dulci propenſione & innatâ quaſi inclinatione in animâ ſuo tempore & loco exerceat, ſicut naturales & eſſentiales animæ potentiæ ſuas operationes producunt.

Nemo niſi humilis eſt idoneus ad vitam myſtic.

Quid ſit eſſentialis annihilatio & humilitas.

Siquidem ea quæ hîc de praxi humilitatis ſcripta ſunt, non debent in animâ perfectâ intelligi tam ruditer, aut tam activè, vel operoſè, vel impetuosè, vel multipliciter, prout ſonant; ſed anima contemplationi dedita praxim iſtorum omnium tam intimè & profundè, & in habitu tam perfecto habet animo impreſſam, & in ſe radicatam, dum degit vitam contemplativam vel ſupercontemplativam, vel dum eſt in ſtatu Deiformitatis, vel cujuſdam in Deum transformationis, ſic ut adhærens Deo unus ſpiritus fiat cum eo; ut ipſamet neſciat vel reflectat, quod humilitatem in tam perfecto

Quomodò humilitas exerceatur ab animâ perfectâ & myſtica.

Perfectè humilis neſcit ſe eſſe humilem.

perfecto gradu poſſideat, vel exerceat, ſcilicet habitu intenſo humilitatis ipſam ad actus ſummè facilitante, &, etiam ipſâ non reflectente, ſuaviter inclinante; quin imò, ſiquis illi diceret, quòd ſit humilis, non poſſet credere, eo quòd tam multas in ſe, ſe humiliandi rationes deprehendat, ut hoc non adſcribat virtuti, ſed debito; ſicuti non adſcribitur virtuti, quòd mendicus, vel Publicanus ſe humiliet coram divite, vel cedat honeſto viro; vel ſi mendicus ſe ut minimum omnium gerat, & contentetur reliquiis menſæ alicujus divitis, vel illi libenter ſerviat; imò hoc ſibi reputat honori, & ſe felicem, quòd hoc illi permittatur: ſiquidem aliquo modo idem contingit in perfectè humilibus, eo quòd ſe exiſtiment minimos omnium, qui non ſint digni ſolvere corrigiam calceamenti Sanctorum, vel ſaturari de micis, quæ cadunt de menſa eorum tam corporali, quàm ſpirituali; imò ſe felices exiſtimânt, ſi inter illos habitare, aut illis in aliquo obſequi poſſint.

Habitus inclinat & facilitat.

Perfectè humilis non credit ſe humilem.

Perfectè humiles ſe minimos reputant.

Porrò hoc ità fixè & profundè habent impreſſum cordibus ſuis, ut vix eis occurrat unica cogitatio, vel inclinatio in contrarium, eo quòd humilitas ipſis

natura, quas proindè exercet tempore & loco exigentibus circumſtantiis, etiam abſque eo, quòd ſciat aut reflectat, atque hoc ſenſu naturaliter & eſſentialiter.

Quid ſit exercere virtutes naturaliter.

CAP. XXXVII.

Anima in Virtutibus conſummata, etiam in derelictione Deo fidelis manet; non ità in Virtutibus imperfecta.

DVm anima aſſecuta eſt virtutes in gradu tam perfecto, ut dictum eſt, eaſque tempore & loco fideliter exercet, moraliter loquendo, vocationem ſuam bonis operibus certam facit, benè aſſecurata & fundata eſt in viâ perfectionis, & optimè diſpoſita, ut à Spiritu Dei agatur, dirigatur, imò quaſi poſſideatur, in ipſum transformetur, & divinarum fiat particeps perfectionum; cùm enim in omnibus ſuis paſſionibus, affectibus, & inclinationibus per exercitium perfectarum virtutum ſit valdè temperata,

In virtutibus perfecta aſſecurat vocationem ſuam.

Eſt diſpoſita ut Spiritu Dei agatur.

ta,

Quia à vitiis purgata & mortificata nō habet, gratiæ impedimenta.

tâ, mortificatâ & ſedatâ, atque iſtæ virtutes utpotè in gradu intenſo acquiſitæ vitia contraria expulerint, rediit anima ad magnam vitæ innocentiam, eſtque idonea in ſanctitate & juſtitiâ vivere corâm Deo & in Deo ferè abſque inordinatis motibus partis ſenſitivæ; ſicut ſit tota quieta & tranquilla, ac ſæpè prægustans dulcedinem vitæ æternæ.

Anima virtuoſa manet fidelis in ariditate & derelictione.

Imò etiamſi Dilectus eam pro tempore relinquat in tenebris ſine ſpecialibus illuſtrationibus, in ariditate, in carentiâ omnis ſolatii interni, & dulcedinis ſupernaturalis, nullatenùs tamen deficit ab exercitio virtutum acquiſitarum, ſed manet conſtans, immota, ac Deo omninò fidelis; & cùm anteà nulli lumini, ſolatio, dulcedini, nec ulli rei creatæ inordinatè & adhæſivè afficeretur, jam illarum gratiarum, vel cujuſcumque creaturæ ſubtractio, ſeu carentia non eſt illi moleſta, aut tædioſa; undè manet fixa & benè contenta in Deo ſufficiente ipſi, fortificante gratiâ Dei, etſi deſit gratia ſenſibilis, ſeu perceptibilis; hoc equidem ſciendum eſt, quòd etiam in quocumque ſtatu derelictionis in tali animâ nunquam deſit gratia imperceptibiliter fortificans, & mediantibus

Gratiarum ſubtractio, illi non eſt moleſta.

In derelictione non deeſt gratia imperceptibiliter fortificans, & actibus ſupernaturalitatem tribuens.

tibus habitibus infuſis in exercitiis virtutum cooperãs, & ſic actibus virtuoſis ſupernaturalitatem tribuens : etſi enim habitus infuſi non facilitent, dant tamen ſimpliciter operari; quare veriſimile eſt, quòd dum anima perfecta v. g. exercet actum humilitatis, vel alterius virtutis acquiſitæ etiam in ſtatu ariditatis cum aliqua difficultate, ſeu ſine perceptibili facilitatione, habitus humilitatis vel alterius virtutis infuſæ concurrat, & det ſupernaturaliter operari, etſi imperceptibiliter.

Virtutes infuſæ quomodò & quando operentur.

Aliter planè ſe res habet in aliquibus animabus, quæ etſi multis illuſtrationibus, & benedictionibus dulcedinis à Deo præventæ, & velut lactatæ ad ubera divinæ bonitatis, non profecerunt in ſolidis virtutibus, eo quòd fortè earum exercitium non æſtimaverint & neglexerint, iſtâ internâ dulcedine, ſicut infantes lacte maternorum uberum ineſcatæ, allectæ & contentæ, & ſolidiori cibo aſſueſcere nolentes; tales enim ſuum computum malè faciunt, & ſemper manent velut lactentes, qui nunquàm diſcunt ſoli incedere, aut cibos ſolidiores digerere, ſemper æquè tenellæ, delicatæ, ſenſibiles, & nunquàm in veris

Anima in virtutib. imperfecta abutuntur divinâ dulced.

Negligunt exercitium virtutum.

veris virtutibus ſolidatæ, ac proindè in bono inſtabiles, & in periculo deficiendi in viâ perfectionis: id quod vel maximè patet in ſtatu internæ derelictionis; etenim ſi Deus eas incipiat ablactare ab uberibus dulcedinis, & ſubtrahat ſolitas illuminationes, ſi permittat eas tribulatione aliquâ, vel caſu adverſo concuti & affligi; tunc facilè dejiciuntur, deſpondent animum, fiunt puſillanimes, deficiunt in viâ, iſtum ſolidum cibum non poſſunt digerere; nec mirum; nam præcedentibus dulcedinis benedictionibus erant ineſcatæ, nec talibus ſunt aſſuetæ; & quia illis inordinato affectu inhæſerunt, ac illis durantibus neglexerunt exercitium ſolidarum virtutum, non intelligentes eas iſtâ intentione ſibi à Deo dari, ut alacrius currerent per ſemitas virtutum; jam inveniunt ſe omni ſpirituali adminiculo & fulcimento deſtitutas; nimirum & ſolido fundamento virtutum, & gratiâ perceptibiliter ſuſtentante; undè inveniunt ſe ſuper arenam ædificaſſe; ſicque non mirum, ſi adveniente Boreâ tribulationum, & ingruente imbre tentationum diffluere & totaliter everti incipiant; ſi quidem natura reſurgit,

Sunt in periculo deficiendi.

Invirtuoſi in ſtatu derelictionis dejiciuntur & deficiunt.

Quia agrè ferunt ſubtractionem gratiæ, nec habent fundamentum virtutum.

Ædificarunt ſuper arenam.

Digitized by Google

git, ac vires reſumit; cumque non fulciatur aut actualibus, ut ante, illuſtrationibus, ſenſibili devotione & fervore ſpiritûs, aut acquiſitis virtutibus, revertetur (abſque eo quòd ab aliquo cohiberi poſſit) ad priſtinas immortificationes, paſſiones, ſenſualitates, concupiſcentias, libertates; nec in Deo amplius ſolatium inveniens, nec in exercitio virtutum, utpotè quæ in animabus iſtis nullæ ſint vel valdè remiſſæ, incipit ſe convertere ad creaturas alicujus ſolatii gratiâ; atque ità naturâ adverſus ſpiritum prævalente ac prædominante, tales animæ invirtuoſæ notabiliter mutantur in ſuo modo agendi, fiuntque velut alii homines, ad ſtuporem & ſcandalum multorum, qui talem in brevi tempore mutationem advertentes, neſciunt, quid cogitare, aut dicere: vident enim eos, qui antea in devotione natare videbantur, toti fervidi, & in operibus pœnitentialibus indefeſſi; qui videbantur divino ſpiritu pleni, & alios verbo & exemplo ædificare, ſolitudini, ſilentio & orationi ſummè addicti, in communionibus quotidiani, ab hominibus abſtracti, nullam corporis curam

Natura reſumit vires & excitatur quia non erat mortificata, nec à vitiis purgata.

Convertit ſe ad creaturas.

Invirtuoſi notabiliter aliquando deficiunt in ſtatu ariditatis.

570 *Anima perfecta Deo ſemper* curam habentes, ad cœleſtia & divina dumtaxàt aſpirantes; vident, inquam, eos jam tepidos, indevotos, ab omni auſteritate alienos, paſſionatos, immortificatos, ſenſuales, garrulos, vagabundos, impatientes, tempus orationis abbreviantes, in communione rariores, conſortia & ſolatia humana quærentes, corporis commoda ſectantes, & à vitâ ſpirituali alienos.

Mutatio in pejus invirtuoſorum.

Vndè tanta mutatio? indubiè defectu ſolidi fundamenti virtutum; quia in natura ædificaverant, quæ quia non erat mortificata, nec à vitiis & concupiſcentiis per acquiſitionem perfectarum virtutum expurgata, manſit tota viva; quidem durante ſolatio interno, Deo ſpiritum præveniente in benedictionibus dulcedinis, ſimulavit ſe mortuam, quia aliquid cum ſpiritu de inſtillatâ dulcedine participans, & eâ ineſcata, ad extra nihil prætendebat, & mortua non erat, ſed in internâ dulcedine, devotione, quiete, cum adhæſione vivebat; jam autem illâ eſcâ interiùs deficiente, prodere ſe incipit, & in aliis creaturis victum & ſatisfactionem quærere per fas nefaſque.

Quia in naturâ ædificarãt.

Natura in illis manſit viva, ſimulans ſe mortuam.

Aliud planè eſt in animabus perfectè

ctè virtuoſis, quæ cùm poſuerint ſolidum fundamentum virtutum, profundæ humilitatis, v. g. & paupertatis ſpiritûs, patientiæ, ſobrietatis, &c. nec abuſæ ſunt gratiis Dei ipſos illuminantis, ſuaviter reficientis, amoroſè tractantis, interiùs conſolantis, ſenſibiliter recreantis, iis inordinatè adhærendo; ſed potiùs uſæ ſunt ut mediis ſibi ad virtutes acquirendas, à divinâ bonitate conceſſis, iis mediantibus vitia exſtirpando, virtutes inſerendo, paſſiones radicitùs frangendo concupiſcentias crucifigendo, ſicque naturam ſpiritui perfectè ſubjiciendo; hinc eſt, quòd conſtantes maneant & in Deo fixæ etiam in ſtatu derelictionis, ariditatis, tentationis & tribulationis: ſiquidem natura in ipſis eſt crucifixa cum vitiis & concupiſcentiis, mortua & ſepulta; & quia non fuit ipſi conceſſum in Dei donis ſenſualiter vivere, illis ſubtractis, non ſtatim ad exteriora diffluit; ſed in acquiſitis virtutibus ſufficiens alimentum & fulcimentum reperit, utpotè cùm ab iis aliquam adhuc ad bonum inclinationem & facilitationem accipiat, v. g. ab humilitate, ut voluntariè careat omnibus Dei donis, quibus ſe planè

Perfectè virtuoſi non facilè deficiunt.

Benè uſi ſunt donis Dei.

In virtutibus perfecti manent conſtantes in derelictione.

Habent naturam mortificatam.

Quæ in ariditate adhuc fulcitur virtutibus.

Nec itâ moleſtè fert carentiam donorum Dei.

nè cognoſcit indignam; à paupertate, ut libenter penuriam patiatur; à patientia, ut nullo caſu adverſo turbetur, quia gaudet patientia duris, & ſic de aliis: cùm autem ſimilibus animabus nunquam deficiat gratia imperceptibiliter fortificans (Deus enim ſe illis tantùm ad tempus ſubtrahit quoad perceptibilitatem) permanent fideles in quibuſvis caſibus, certaminibus, & tentationibus.

Differentia animæ illuminatæ virtuoſæ, & illuminatæ invirtuoſæ.

Ex quibus patet maxima differentia inter duas animas illuminatas, quarum una in virtutibus fundata eſt, alia non: quod proindè omnibus calcar addere debet ad exercitium perfectarum virtutum ſummo ſtudio cordi habendum, amando ſemper in illis proficere, donec acquirantur in gradu perfecto, & quaſi vertantur in naturam; quò ſic unuſquiſque per bona opera perfectarum virtutum vocationem ſuam, & electionem certam facere fatagat; cum alioqui nemo ſtabilitatem aliquam & ſecuritatem in vita ſpirituali aſſequi valeat; quin potius ſubtracta interna dulcedine & illuſtratione, anima periclitetur ad omnem ventum mutari, & inconſtans fieri adinſtar arundinis in omni opere bono.

Studendum ſolidis virtutibus, ut vocationem certam faciamus.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XXXVIII.

Perfecta vita Carmelitica, & quinam ad eam ſint idonei.

EX hactenùs dictis tam de internâ & intimâ vitâ in Deo, quàm de perfectis virtutibus in animâ Deiformi, contemplativâ vel ſupercontemplativâ, clarè colligere eſt; vitam iſtam internam in Deo, & in perfectis virtutibus fundatam, eſſe propriam omnibus perfectis Carmelitis, ac omnibus vitæ internæ perfectionem profitentibus; cùm talis conſtitutio, præſertim perfectarum virtutum omninò ſit neceſſaria ad ritè ſervandum id, quod præſcribit noſtra Regula, *die ac nocte in lege Domini meditantes, & in orationibus vigilantes.* Hæc reverà eſt pars Carmelitarum optima, ſcilicet vacare Deo, ac die, & nocte ipſum adorare in ſpiritu & veritate; quod ab illis ſolis ritè fit, qui omnia in Deo, cum Deo, ſecundùm directionem Dei; ac juxta exigentiam perfectarum virtutum noverunt agere modis jam anteà explicatis, ſicque cuicumque ſibi injunctæ obedientiæ perfectè didicerunt ſatisfacere.

Vita interna & perfectè virtuoſa requiritur in Carmelitis.

Quinam aptè die ac nocte adorare Deum in ſpiritu & veritate.

cere, virtutes in ſpiritu exercere, ſeque adeò in omnibus agi, vel potiùs ipſum in ſe agere & in ſe, ac ſecum pro bonâ ejus voluntate operari ſinunt: equidem quid hoc eſt aliud, quàm aſſiduè modo perfectiſſimo vacare Deo? quàm jugiter orare, quàm ſemper mentem ad Deum, & in Deo erectam tenere? quid hoc aliud eſt, quàm omnium in Deo jacturam facere, clauſo oculo prætetire, atque hoc ſenſu annihilare, quò ſic ſolum Deum in omnibus, & omnia in ſolo Deo invenire, frui, poſſidere, amplecti, ſicque in ſolo Deo vivere poſſint abſque medio, vel impedimento aliquo? quid verò hoc eſt aliud, quàm jugiter in orationibus vigilare, & nulli rei alteri, niſi ſoli Deo vacare.

CAP. XXXIX.

Unica hæreditas Carmelitarum eſt vacare Deo, ad quod neceſſaria eſt mixtura vitæ activæ & contemplativæ.

DUm Verus Carmelita in amore Dei & in omni virtute conſummatus Deum ſuum & omnia tam unicè

cè ſemper & ubique novit reperire, amare & amplecti, non ſolùm pars ejus optima, ſed etiam unica eſt vacare Deo; ad cujus proindè capiendam poſſeſſionem omnibus veris Carmelitis ſtudiosè nitendum eſt, ſic ut hoc ſenſu norint optimam ſibi partem eligere cum Mariâ, reliquas omnes partes, quæ ſunt extra Deum, vel non purè accipiuntur in Deo, aliis relinquendo: non quòd ſemper plicatis (ut ſic dicam) manibus in actuali contemplatione perſiſtere debeant, vel poſſint, ſe nullatenùs volendo immiſcere officio Marthæ; ſed quòd exercitia Marthæ, ſeu vitæ activæ cum exercitiis Mariæ, ſeu vitæ contemplativæ, Deiformis & divinæ debeant ità dextrè & induſtriè miſcere & condire, ut hæc prædominentur, & alia in ſe quaſi convertant; ſic ut ex utrâque vitâ activâ & contemplativâ coaleſcat & formetur una tertia multò perfectior & divinior vita, quàm benè Chriſtiana, & activa vita Marthæ ſola, vel contemplativa & unitiva vita Mariæ ſimiliter ſola.

Perfecti Carmelitæ pars optima eſt vacare Deo, imò unica.

Eligunt optimam partem Mariæ.

Exercitia Mariæ debent condire exercitia Marthæ.

Vita mixta perfectior.

Hæc mixta & à divino ſpiritu penetrata ſeu condita vita eſt verè ipſamet vita Chriſti; & ſicuti divinitas humanitati

Vita mixta eſt vita Chriſti.

tati hypoſtaticè unita facit cum illâ unum Christum, qui Deus eſt & homo, ſed una perſona; ità vita activa & contemplativa in animâ Deum amante ſimul junctæ & exercitæ, fiunt una vita ſimilis & conformis vitæ Chriſti, quæ divino modo activa eſt, & ſimul activo modo divina, ſive divino-activa, & activo-divina, una tamen & eadem vita ſimul activa & divina, in una quaſi conditæ; ſicut fuit vita Chriſti humano-divina, & divino-humana ex operationibus humanitatis & divinitatis compoſita & quaſi condîta; qualis etiam in ſenſu accommodo reperitur in beatis, nimirùm ex operationibus, partim à naturâ, partim à divino Spiritu per unionem quamdam, ſed non hypoſtaticam, ipſis immediatè unito provenientibus compoſita.

Ex activa & contemplativa compoſita.

Divino-activa & activo-divina, una & eadem vita.

Vita Chriſti divino-humana, & humano-divina eſt una & eadem vita.

Talem vitam mixtam duxit Mater amabilis; talem exercuit Sanctus noſter Pater Elias; talem vitam duxerunt Apoſtoli poſt receptionem Spiritûs Sancti in die Pentecoſtes; qualem proindè nos præſertim Carmelitæ (Eliani ſimul & Mariani cordi habere debemus, præſertim à tempore, quo ad culturam agri Domini-ci

Vita mixta ſtudiû Carmelitis propriû.

ci à ſummis Pontificibus ſumus evocati.

CAP. XL.

Vita mixta eſt neceſſaria ad fructum in proximo faciendum.

ATque ut verum fatear, niſi quis noverit conjungere vitam activam cum contemplativa, & ducere vitam humano-divinam, valdè parum ad fructificandum in aliis erit idoneus; nam vita activa ſive naturalis ſola non eſt ſatis fructuoſa vel fœcunda, utpotè à divino Spiritu nihil vel parùm directa, qui tamen ſemini Verbi Dei debet dare incrementum: nam *neque qui plantat, eſt aliquid, neque qui rigat* cum humana induſtria concionando, & inſtruendo, *ſed qui incrementum dat Deus*, per concionantem & inſtruentem corda audientium compungendo & ſemini Verbi Dei recipiendo præparando: & verò *Spiritus* per viros Apoſtolicos loquens & operans, *eſt qui vivificat*, & ſine hoc *caro*, id eſt, vita activa cum quacumque induſtria humana *non prodeſt quidquam*.

Sine vitâ mixtâ nõ fructificabis in proximo.

Vita activa ſola non prodeſt: eſt ſterilis.

1. Cor. 3.

Ioan. 5.

Digitized by Google

Vita contemplativa ſola non eſt etiam fœcunda.

Neque etiam vita contemplativa ſeu divina ſola, eſt ſatis activa in laborando in vinea Domini, ac proindè nec ſatis fructuoſa & fœcunda in aliis, cùm maneat in ſolitudine, in ſilentio ſoli Deo intenta, de proximo non ſollicita; quocircà ad benè eſſe ſecundùm præſentem Ordinis ſtatum, in perfectis Carmelitis Martha & Maria debent vivere unanimes, non ſolùm ſenſu alibi dato, ut nimirum Carmelitæ ſuo tempore præſtent obſequia Marthæ ſeu vitæ activæ, ſtudendo, prædicando, infirmos viſitando, vel aliis externis charitatis operibus vacando; & ſuo tempore exercitia Mariæ ſeu vitæ contemplativæ reſumant, meditando, orando, ſolitudini & ſilentio intendendo: ſed etiam alio ſenſu, ſic nimirum, ut Maria Martham in ſuâ activitate, ac in omnibus operibus dirigat, & debitè informet, ac moderetur; nec Martha quidquam vel minimum facere præſumat, ſine directione & cooperatione Mariæ; quam etiam ſuo tempore Martha nullatenus debet interturbare in internâ ſolitudine, in intimo ſilentio, in ſuo ſomno myſtico & in amoroſâ cum Dilecto unione; quippè Maria in his debet accipere ſuum

Vita mixta Carmelitas decet.

Quomodò Maria & Martha debeant convenire.

Maria debet Martham in omnibus dirigere.

Martha non poteſt ſola operari.

ſuum alimentum, fortitudinem, prudentiam, diſcretionem, ad Martham Deiformiùs dirigendam; dum etiam Martha habet multa agenda, Maria non poteſt deeſſe, ſed debet fideliter cooperari, confortando, conſolando, &c.

CAP. XLI.

Vita mixta eſt humano-divina, à libero arbitrio & gratia Dei procedens.

POrrò, qui duas has ſorores ſic habet in ſe habitantes cum conſenſu, abſque eo, quòd una ab alterâ impediatur, & potius ſic, ut ſe mutuò in omnibus adjuvent, ità tamen ut Maria ubique comitetur, & prædominetur, & à Marthâ ſubindè ſola relinquatur in pace; iſte ducit vitam Chriſto conformem, iſte hæreditavit duplicem Spiritum Sancti Patris noſtri Eliæ, & de facto eſt verus Carmelita. Equidem quid volui per hos diſcurſus inſinuare? volui dicere, quòd veris Carmelitis incumbat eò perfectionis tendere, ut degant

Maria debet prædominari.

Carmelitæ debent ducere vitam humano-divinam.

vitam humano-divinam, & à Spiritu Dei in omnibus agantur & dirigantur, ſic ut non tam ſint ipſi, qui cogitant, loquuntur, & operantur, ſed ſpiritus Dei, qui cogitet, loquatur & operetur in illis, & cum illis: in præſenti liberum arbitrium voco Martham, Spiritum, ſeu gratiam Dei Mariam; hæ duæ Sorores debent unanimiter operari; una ſine aliâ non ſufficit, nam liberum arbitrium ſine gratiâ eſt infœcundum, nec poteſt aliquem fructum ſpiritûs, ſicut oportet, in proprio vel alieno ſubjecto producere, licèt turbetur & ſit ſollicitum inſtar Marthæ erga plurima, operetur, fatigetur, & ſuo imperio totum hominem occupet, omnes corporis & animæ vires impendat, fatiget, conſumat in operibus, in ſpeciem charitatis in vinea Domini, nihil proficiet coràm Deo, niſi in quantum à Sorore Maria, à gratiâ, inquam, Dei præventum & adjutum egerit, & laboraverit: Maria etiam, ſeu gratia Dei ſine Martha, ſine liberi arbitrii cooperatione non eſt fœcunda, nec prodeſt ad meritum vitæ æternæ; quid ergò? iſtæ duæ Sorores liberum arbitrium & gratia ambulent in

Liberum arbitrium Marthæ, & gratia Mariæ comparatur.

Liberum arbitrii ſine gratiâ nil poteſt & fruſtra laborat.

Gratia etiam ſine libero arbitrio non eſt fœcunda.

Digitized by Google

domo Domini, in animâ devotâ, cum conſenſu; ità tamen, ut liberum arbitrium nihil agere præſumat, niſi in quantum agitur & dirigitur à gratiâ Dei, ne fruſtrà laboret & infructuosè fatigetur; caveat etiam gratiam Dei in ſuâ operatione interturbare, vel impedire: ècontra gratia Dei ſemper prædominetur, relinquatur in plenâ libertate, in omnibus agendis libero arbitrio ſuccurrere, prudentiam, fortitudinem, & diſcretionem ſuppeditare permittatur; nec dubium, quin ſi gratiæ Dei detur locus & imperium, ponet optimum ordinem in animâ devotâ, & efficiet, ut Martha, ſeu liberum arbitrium, unicum ſecum quærat neceſſarium; nec circa plurima inutiliter occupetur, nec ſinet illam ſolam operari aut miniſtrare, ſed illam in omnibus adjuvabit: quod ſi fiat, animâ ex parte ſuâ tollente omnia impedimenta divini Spiritûs in agendo libertati contraria, indubiè anima iſta in omnibus paulatim perfectius & perfectius agetur ſpiritu Dei, ab eo poſſidebitur, ab eo dirigetur; ſicque fiet, ut ducat vitam humano-divinam, divinam propter actionem & ope-

Gratia & liberũ arbitriũ ſimul agant liberũ arbitriũ verò nil attentet ſine directione & cooperatione gratiæ.

Gratia non eſt impedienda, ſed dominetur & cogat liberum arbitrium ſecum quærere unum neceſſarium.

Gratia non deſeret. arbitrium.

Quæ vita humano-divina dicatur.

380 *Vita mixta principaliter* operationem ſpiritûs Dei in ſe, humanam propter fidelem cooperationem liberii arbitrii cum ſpiritu Dei; ſic ut poſſit dicere: *Non ego, ſed gratia Dei mecum* omnia operatur; Spiritus Dei *in me manens ipſe facit opera*; ipſe eſt, qui loquitur, qui facit omnia mecum.

1. Cor. 15.

Ioan. 14.

CAP. XLII.

Vita humano-divina principaliter procedit à gratiâ; eſt neceſſaria Carmelitis.

EXhis patet, quo ſenſu in præſenti vita Marthæ & vita Mariæ debeant ità miſceri, ut in unam tertiam coaleſcant, quæ quidem ſit una numero, ſed virtualiter duplex, & poteſt vocari humano-divina; ſiquidem eædem operationes ſupernaturaliter vitales, & hoc ſenſu, vita ſecunda, eædem indiviſibiles procedent à gratiâ ſeu ſpiritu Dei, ut principio ſupernaturali, & ut ſic ſunt divinæ; atque à libero arbitrio ut ad ſupernaturalem effectum elevato tanquam

Eadem vita humana & divina, ſeu eædem operationes à Deo & à libero arbitrio.

quam à principio humano; & ſic etiam poſſunt dici humanæ, ità tamen ut à ſpiritu Dei tanquam à cauſa principali & prædominante ſimpliciter poſſint dici divinæ, & humanæ ſecundùm quid; & conſequenter anima ſpiritui Dei in ſe omnem libertatem relinquens, ac conans efficere ut liberum arbitrium ſemper & ubique ancilletur, & fidelem agat pediſſequam divinæ gratiæ, ejus nutum in omnibus exſpectando, & directionem ſequendo; poteſt dici agere vitam divinam potius, quàm humanam: de quâ quid mirum, ſi dicatur in Deum quaſi transformata; utpotè à divino ſpiritu in omnibus acta & directa: ſimilibus dicitur: *Ego dixi Dii eſtis & filii Excelſi omnes*; illi ſunt veri filii Dei, quia *qui* ſic *ſpiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei*, quoniam autem (inquit illis Apoſtolus) *eſtis filii Dei, miſit Deus Spiritum Filii ſui in vos, clamantem Abba, Pater*; qui conſequenter omnia opera eorum in illis operatur.

Simpliciter divina, & humana secundùm quid.

Arbitrium debet ancillari gratiæ.

Quis ducat vitam divinã? quo ſenſu anima in Deum transformata.

Pſalm. 81.

Rom. 8.

Gal. 4.

Quis autem jam neget hanc vitam mixtam, ſeu humano-divinam eſſe omninò neceſſariam ad fructificandum in agro Dominico? etſi enim quis plurimùm in eo laboraret, quà ſtudendo, quà prædi-

Vita humano-divina eſt neceſſaria ad fructificãdum in proximo.

582 *Vita mixta principaliter*
prædicando, quà docendo, quà ad infideles, ad hæreticos, ad infirmos currendo, niſi ex inſtinctu & cooperatione ſpiritûs Dei omnia faciat, nihil faciet, & inutiliter operabitur; nam ſpiritus, qui vivificet, ipſe deëſt, & erit quaſi cymbalum tinniens, & æs ſonans, ſibi nihil, & aliis parùm proficiens: ſecùs eſt de aliquo, qui à ſpiritu Dei agitur; omnia enim quæcumque is faciet, ſemper proſperabuntur ipſi maximè, & aliis frequenter; quia verba ejus *ſpiritus & vita ſunt*: talis proindè vita decet omnes veros Carmelitas, tum quia ad culturam agri Dominici, ut alibi dictum eſt, miſſi ſunt; tum quia vi principalis ſuæ vocationis ad vitam divinam ſpecialiter ſunt vocati, cùm ſic vivere, ſit perfectiſſimè vacare Deo, utique in ſe agenti, & ſecum omnia operanti: hinc noſtræ Conſtitutiones tantæ ſunt in commendando ubique ſtudio vitæ myſticæ, ſeu divinæ; ut autem omnes noſtri inſtituti profeſſores ab ipſis, ut ſic dicam, novitiatûs incunabulis velut cum lacte nutricis talis vitæ documenta ſugerent, mandant magiſtro Novitiorum, ut duplicem illum ſpiritum, & vitam mixtam huma-

Gratia eſt qua vivificat.

Qui à Spiritu Dei agitur, in omnibus proſperatur.

Quare vita humano-divina Carmelitas deceat.

Carmelitis commendatur vita myſtica.

Magiſter Novitiorum debet Novitiis inculcare vitam mixtam.

humano-divinam Novitiis ſuis inſpirare ſatagat, in hunc modum: *Caveat diligenter, ne ſub prætextu recollectionis, eorum animos ab aliis noſtri ſacri inſtituti occupationibus avertat, vel ècontra ſub ſpecie externæ habilitatis interiorem ſpiritum diſſipet & exſtinguat; quin potiùs gemini Patrum noſtrorum Eliæ & Eliſæi ſpiritûs commixturam & unionem altè eorum animis imprimere conabitur*: in quo conſiſtit iſta commixtura? in eo, ut omnia etiam exteriora exercitia à ſpiritu Dei condiantur & procedant, juxta quod in iiſdem Conſtitutionibus præmittitur: *Eos doceat, quâ ratione omnia Sacra noſtræ Religionis externa exercitia in ſpiritu Dei erunt facienda*: Quomodò enim omnia in ſpiritu Dei fieri poſſunt, niſi ab eo, qui ſpiritui Dei in ſe locum & libertatem tribuit in ſe agendi & ſecum omnia faciendi? niſi ab eo, qui divinæ gratiæ, per liberum arbitrium ubique fideliter cooperatur, nec ſine illius operatione & directione quidquam per liberum arbitrium operatur? equidem hoc eſt verè utriuſque ſpiritûs humani & divini commixturam in ſe procurare;

Conſt. Carm. p. 2. c. 4. §. 11.

In quo mixtura conſiſtit vita Carm.

Quis operari cenſeatur in Spiritu,

Modus procurandi mixturam duplicis Spiritûs.

hoc eſt reverà Martham & Mariam ità conjungere, ut Maria Martham in omnibus dirigat & adjuvet; nec Martha ſine Maria inutiliter ſollicita ſit erga plurima: hoc profectò eſt degere vitam humano-divinam, & myſticè in Deum transformari: Hic eſt ſpiritus duplex à Sancto Patre Elia nobis pro parte hæreditariâ relictus ità tamen ut ejuſdem poſſeſſionem adire non poſſimus, niſi fideliter allaboremus, per media à Regula & Conſtitutionibus præſcripta, præſertim per exactam obſervantiam eorum, quæ in his tractatibus ſuggeruntur.

Modus aſſequendi duplic. Spiritum S. P. Eliæ.

CAP. XLIII.

Proſecutio unicæ partis Carmelitarum, & quandonam illâ fruantur.

SIcuti oſtenſum eſt, non ſolùm optima, ſed etiam unica pars perfectorum Carmelitarum, eſt vacare Deo: dum enim aſſecuti ſunt perfectionem in his tractatibus, præſertim ultimo utcumque adumbratam, ſciunt omnia exer-

Vnica pars perfecti Carmelitæ eſt vacare Deo, quomodò id fiat.

Digitized by Google

exercitia, omnia opera, omnes occupationes, & quæcumque agenda vel patienda occurrunt, quaſi in Deum convertere, in Deo condire & velut unum cum illo & in illo accipere & invenire, & Deum in omnibus; ita ut ubicumque fuerint, quidquid egerint, vel paſſi fuerint, Deum in omnibus inveniant, & omnia in Deo: ſicut aliquis per purum, clarum & à radiis ſolaribus penetratum aërem volitans, nullam rem obviam haberet, niſi aërem radiis penetratum, & radios Solis in aëre; quia autem radii Solis ipſius oculos vivacius afficerent, & ad ſe traherent, quàm benè aër, aliquo modo diceretur unicè ubique & in omnibus videre, ſentire, & cognoſcere radios Solis, quocumque ſe verteret: eodem modo perfecti Carmelitæ in lumine fidei benè exercitati, contemplantur omnes creaturas divina eſſentia, veluti divinis quibuſdam radiis penetratas, atque ità inveniunt omnes creaturas in his radiis, & hos radios in omnibus creaturis; quia verò iſti radii divinitatis eorum in ſe intuitum & affectum vivaciter & efficaciter alliciunt & provocant, eos quaſi undique irradiando; ideò nihil aliud

Inveniunt Deum in omnibus, & omnia in Deo.

Simile à volitante in aëre irradiato à Sole.

Quo ſenſu poſſimus Deum in omnibus unicè invenire, & illi ſoli vacare.

obvium habere, & circa nullum aliud objectum occupari poſſe videntur, quàm circa illos radios divinitatis; nonnè experientia docet, quod poſtquàm aliquis aliquanto tempore fixis oculis Solem aſpexit, quocumque ſe verterit, ubique Solem in omnibus, & omnia in Sole videre videatur? ſimili modo perfecti Carmelitæ aſſueti in ſuis contemplationibus internum fidei oculum fixum in Deo tenere, eumque vivâ fide in omni creaturâ præſentem credere, omnia conſervantem, & in omnibus operantem cognoſcere, quocumque ſe verterint, ubicumque fuerint, quidquid fecerint, vel paſſi fuerint, in omnibus & ubique obvios habent divinos illos radios, divinum Solem, Deum ipſum, nec poſſunt ipſum non videre, aut ipſius oblivisci, ubique ipſum in mente habent non imaginario aut deceptorio modo præſentem, ſed verè & realiter, in omnibus, & omnia verè & realiter in ipſo; neque aliquid eos ab hoc intuitu, ab hac contemplatione, ab hac Dei in omnibus, & omnium in Deo inventione impedire poteſt.

Qui fixè Solem aſpexit videtur ubique videre Soles.

Sic aſſueti per fidem videre Deum, ubique illum vident realiter præſentem.

Non poſſunt ab ullo impediri ab inventione Dei in omnibus.

Reverà, cui Deus dedit ad talem per-

perfectionem pervenire, poſſidet & fruitur Cœleſti quâdam & divinâ hæreditate, de quâ divino quodam modo aliundè & ſuperabundè in Deo vivere poteſt; iſte hæreditavit feudum nobiliſſimum, quo comprobatur perfectiſſimum habere dominium ſui-ipſius, nullique creaturæ per aliquem inordinatum affectum eſſe ſubjectus, aut debere aliquam ſervitutem, nullique omnino eſſe tributarius, niſi ſoli Deo, Regi ſæculorum immortali; cui proindè cum ſumma libertate ſpiritûs jugiter poteſt adhærere, ſicque quodammodo incipit ſuam ex nunc beatitudinem experientiâ doctus, quia ſic ſoli *Deo ſervire, regnare eſt*: verumtamen nemo ſibi perſuadeat, quod ſimul & ſemel hæreditatem illam cæleſtem, ac regale feudum acquirere poſſimus; ſed laborandum eſt, ut paulatim nobis viam ad illam paremus: Etenim multi ſe ejuſdem poſſeſſionis capiendæ nobis opponunt; mundus retardat, caro vult parcere labori & expenſis faciendis (nam debet conſtare conſtanti labore, imò carne & ſanguine) diabolus contrarium ſuadet, & tam mundus, quàm caro & malignus ſpiri-

Cæleſtis hæreditas, & feudum nobiliſſimum perfector. Carmel.

Quo fit ut ſoli Deo ſint vaſalli; ſibi & omnib. creat. dominando.

Soli Deo ſervire regnare eſt.

Multi ſe opponunt capiendæ poſſeſſioni feudi Carmeli.

Digitized by Google

rûs ejus poſſeſſionem in hac vita impoſſibilem prædicant; verùm non ſunt auſcultandi, utpotè omnis perfectionis inimici: quin potiùs pro ea acquirenda legitimè certandum, quia digniſſima erit merces operi noſtro; nam *ſi dederit homo omnem ſubſtantiam ſuam* pro duplici iſto Spiritu, pro vita iſta divina, pro perfecta illa Dei *dilectione* nos in ſolo Deo extra nos ipſos & extra omnem creaturam vivere faciente, *quaſi nihil deſpiciet eam*. At quis ad cœleſtem illam hæreditatem adeundam aptiſſimus eſt? anima humilis, annihilata & in omni virtute exercitata & conſummata, quæ cum plena ſui & rerum omnium abnegatione & renunciatione ſoli Deo, in ſolo Deo, & cum ſolo Deo vivere ſatagit. De qualibus in præcedentibus agimus.

Pro eo legitimè certandum.

Cant. 8.

Quis ad ejus poſſeſſionem aptus.

CAP.

CAP. XLIV.

Concluſio hujus Tractatûs de vitâ divina in Monte Carmeli.

EX omnibus in hoc Tractatu adductis unuſquiſque facilè cognoſcere poteſt excellentiam vocationis verè Carmeliticæ, cùm vocatio illa ſit ad capiendam perfectam poſſeſſionem terræ Càrmeli, & ad ibi feliciter vivendum de ſuaviſſimis fructibus ejus, ac ad guſtanda optima quæque illius; volo dicere, ad fruendum ibidem fructibus ſpiritûs per vitam verè ſpiritualem, internam, myſticam, contemplativam imò Deiformem & divinam; per fruitionem divinarum in anima operationum, per exercitium perfectiſſimarum virtutum in omnibus agendis, & omittendis, in ſimplicitate cordis, in intima introverſione Spiritûs, in myſtica ſolitudine, in ſuaviſſima animæ quiete, in ſomno dilectionis, in amoroſa & immediata cum ſummo bono unione, & in

Excellentia vocationis Carmelit.

Ad quid Carmelitæ vocentur.

Quomodò vita perfectè Carmelit. exercenda.

Transformatio in Deum.

Digitized by Google

in quadam in ipſum transformatione per amoroſam animæ in Deo liquefactionem & mediante puriſſimâ adhæſione in unum cum eo ſpiritum coagulationem: Hæc ſiquidem eſt perfectio, hæc fruitio & guſtatio fructuum terræ Carmeli, hæc eſt inchoata beatitudo, ad quam omnes veri Carmelitæ, & quicumque ad vitæ myſticæ perfectionem ſe ex miſeratione divinâ vocatos eſſe confidunt, totis viribus aſpirare debent.

Quid ſit commedere fructus terræ Carmeli.

Ad perfectionem Carmel. conandum per media in hoc libro allata.

Supereſt, ut quiſque in terram Carmeli ſe induci ſinat per vias rectas ſibi demonſtratas, per fidelem, inquam, praxim eorum, quæ in his Tractatibus præſcribuntur; nec dubitent verè vocati, quin ea fideliter practicando ad verticem Carmeli, ad deſideratam perfectionem feliciter pervenient: etenim per ea, quæ habentur in primo Tractatu, efformabuntur in vitâ verè Religioſâ, & paulatim diſponentur ad vitam Carmeliticam; per ea quæ habet Tractatus ſecundus, perficientur in iis, quæ decent verum Religioſum, præſertim Elianum & Marianum; per ea verò, quæ in tertio Tractatu adſeruntur, ad formam verè myſticam

ſticam

Digitized by Google

ſticam ſeu Carmeliticam proximè diſponentur, & erunt Carmelitæ in fieri; per ea autem quæ continet ultimus Tractatus, erunt Carmelitæ in facto eſſe, acquiſitâ jam perfectâ formâ vitæ Carmeliticæ; equidem undè venitur in cognitionem formæ, niſi ex ejus operationibus? undè cognoſcitur arbor, niſi ex fructibus? porrò operationes, & fructus formæ Carmeliticæ manifeſtantur in hoc quarto Tractatu; ſi qui ergò tali forma ſint informati, & conſequenter perfecti Carmelitæ, ex operationibus, *& fructibus eorum cognoſcetis eos.*

Carmelita in fieri.

Et in facto eſſe.

Forma Carmelitica ex fructibus cognoſcenda.

Intereà qui modis mentionatis novit ſtabiliter in Deo vivere, iſte jam cum Sancto Patre noſtro Elia ex deſerto mundanæ, naturalis, ſenſualis, & imperfectæ vitæ perrexit in fortitudine cibi ſpiritualis, & pervenit ad ſummitatem montis Carmeli, ad perfectionem vitæ contemplativæ, ſupercontemplativæ, perfectæ & divinæ: ubi reipsâ experitur, quòd Deus non perfectè ſit reperibilis inter ſtrepitus vitæ mundanæ, *non* enim *in commotione Dominus*; neque in vanitate ſensûs humani, aut ſuperbia vitæ, aut in vehementia & impetu

Perfectus Carm. ex deſerto cum S. P. Elia pervenit ad montem Dei.

impetu immortificatarum paſſionum, *neque* enim *in turbine Dominus*; neque in concupiſcentia carnis, aut oculorum, *non* enim *in igne Dominus*; ubi ergò? extra omnes inordinatas affectiones, adhæſiones, & amorem creaturarum, extra omnem amorem proprium, extra omne proprium intereſſe, extra irregulares naturalis activitatis, ſive propriæ voluntatis impetus & adinventiones, *in ſibilo auræ tenuis*, id eſt, in internâ, tranquilla, ſimplici, intimâ operatione, aut afflatione divini ſpiritûs: quocircà ſe ab omnibus creaturarum retibus expediendo, firmâ reſolutione, quidquid Deus non eſt, vel Deiforme, ſine reflexione adhæſivâ prætergrediendo, omnes naturales impetus, affectus, & concupiſcentias tranſcendendo, ſatagit deinceps ſeſe ſtabiliter conſervare in purâ, impermixtâ, & perſuavi aurâ divinæ Eſſentiæ, in eâ vivendo, in eâ reſpirando, in eâ operando, in eâ ſuſpirando, in eâ ſubindè quaſi per exceſſum amoris exſpirando, ſicque in Deo divino modo vivendo, ac Deum in ſe, per ſe, ſecum, & circa ſe ſinendo ſine impedimento operari, quidquid ipſi placitum fuerit.

3. Reg. 19.

Deus purè nō invenitur in commotione, in turbine, in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis. Quo ſenſu.

Quid ſibilus auræ tenuis.

Quid ſit vivere in ſibilo auræ tenuis, ſeu in Deo.

Hic

Digitized by Google

Hic eſt ſcopus, hoc eſt album, ad quod omnes veri Carmelitæ & vitæ myſticæ cultores jaculari debent, iſte eſt finis, ad quem ipſis cum omni diligentiâ tendendum eſt: quod convenienter præſtabunt ſi reflectant ad ea, quæ in hoc libello ſcripta ſunt, eaque in praxim redigere conentur; nam in primo & ſecundo Tractatu invenient incipientes ſuum pabulum & nutrimentum; proficientes reperiunt in primo & ſecundo ex parte, & maximè in tertio, undè notabiliter in ſpiritu proficiant, & iter ſuum in terram Carmeli multùm promoveant; perfectis autem in quarto cum ocio & quiete carpere licebit fructus vitæ divinæ, cumque per vias aſſignatas inducti fuerint in terram Carmeli, ad ſaturitatem comedere poterunt fructus ejus, & guſtare optima quæque illius. Quò nos perducere dignetur ille, *qui nos elegit*, ut tam excellenti modo *eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu ejus*, cujus *voluntas eſt ſanctificatio noſtra*; qui nobis ſe ipſum dedit, ut *ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo*, in ipſo, & per ipſum, *omnibus diebus noſtris*: Per merita JESV, & per in-

Incipientes, proficientes & perfecti in hoc libro inveniūt media ad perfection. Carmelit.

Epheſ. 1.

1. Theſſal. 4.

Luc. 1.

Digitized by Google

impetu immortificatarum paſſionum, *neque* enim *in turbine Dominus*; neque in concupiſcentia carnis, aut oculorum, *non* enim *in igne Dominus*; ubi ergò? extra omnes inordinatas affectiones, adhæſiones, & amorem creaturarum, extra omnem amorem proprium, extra omne proprium intereſſe, extra irregulares naturalis activitatis, ſive propriæ voluntatis impetus & adinventiones, *in ſibilo auræ tenuis*, id eſt, in internâ, tranquilla, ſimplici, intimâ operatione, aut afflatione divini ſpiritûs: quocircà ſe ab omnibus creaturarum retibus expediendo, firmâ reſolutione, quidquid Deus non eſt, vel Deiforme, ſine reflexione adhæſivâ prætergrediendo, omnes naturales impetus, affectus, & concupiſcentias tranſcendendo, ſatagit deinceps ſeſe ſtabiliter conſervare in purâ, impermixtâ, & perſuavi aurâ divinæ Eſſentiæ, in eâ vivendo, in eâ reſpirando, in eâ operando, in eâ ſuſpirando, in eâ ſubindè quaſi per exceſſum amoris exſpirando, ſicque in Deo divino modo vivendo, ac Deum in ſe, per ſe, ſecum, & circa ſe ſinendo ſine impedimento operari, quidquid ipſi placitum fuerit.

3. Reg. 19.

Deus purè nõ invenitur in commotione, in turbine, in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis. Quo ſenſu.

Quid ſibilus auræ tenuis.

Quid ſit vivere in ſibilo auræ tenuis, ſeu in Deo.

Hic

Hic eſt ſcopus, hoc eſt album, ad quod omnes veri Carmelitæ & vitæ myſticæ cultores jaculari debent, iſte eſt finis, ad quem ipſis cum omni diligentiâ tendendum eſt: quod convenienter præſtabunt ſi reflectant ad ea, quæ in hoc libello ſcripta ſunt, eaque in praxim redigere conentur; nam in primo & ſecundo Tractatu invenient incipientes ſuum pabulum & nutrimentum; proficientes reperiunt in primo & ſecundo ex parte, & maximè in tertio, undè notabiliter in ſpiritu proficiant, & iter ſuum in terram Carmeli multùm promoveant; perfectis autem in quarto cum ocio & quiete carpere licebit fructus vitæ divinæ, cumque per vias aſſignatas inducti fuerint in terram Carmeli, ad ſaturitatem comedere poterunt fructus ejus, & guſtare optima quæque illius. Quò nos perducere dignetur ille, *qui nos elegit*, ut tam excellenti modo *eſſemus Sancti & immaculati in conſpectu ejus*, cujus *voluntas eſt ſanctificatio noſtra*; qui nobis ſe ipſum dedit, ut *ſerviamus illi in ſanctitate & juſtitiâ coram ipſo*, in ipſo, & per ipſum, *omnibus diebus noſtris*: Per merita JESV, & per in-

Incipientes, proficientes & perfecti in hoc libro inveniũt media ad perfection. Carmelit.

Epheſ. 1.

1. Theſſal. 4.

Luc. 1.

interceſſionem Matris amabilis, conformiter ad exemplum, quod nobis in Monte Carmelo monſtrarunt Sancti Patres noſtri Elias & Eliſæus. Amen.

FINIS.

397.773

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM

TRACTATUS PRIMI.

PROOEMIUM. Fol. 1
CAP. I. De neceſſitate Obedientiæ. 8
Cap. II. De excellentiâ & dignitate Obedientiæ ex exemplo Chriſti. 11
Cap. III. Obedientia eſt ſoror trium virtutum Theologicarum. 13
Cap. IV. Obedientiam comitantur omnes aliæ virtutes. 18
Cap. V. Obedientia fortitudo & victoria. 21.
Cap. VI. Ex obedientiâ magnum animæ lucrum & utilitas. 26
Cap. VII. Obedientia eſt juge holocauſtum. 29
Cap. VIII. Sine ſacrificio Obedientiæ non poteſt Religioſus Deo placere. 31
Cap. IX. Iuge Religioſi ſacrificium, à quo imperfectiones abigendæ. 34
Cap. X. Quàm facile & ſecurum ſit vivere ſub Obedientiâ. 37
Cap. XI. Obedientia magnam cauſat animæ quietem. 40
CAP. XII. Qualem obedientiam Carmelitæ Deo

Digitized by Google

INDEX

Deo debeant vi ſuæ profeſſionis. 43
Cap. XIII. Qualis eſſe debeat obedientia erga Deum. 46
Cap. XIV. Quomodò internam ſpiritûs directionem ſequi oporteat. 51
Cap. XV. Quàm indifferens eſſe debeat obedientia erga Deum. 53
Cap. XVI. De promptitudine requiſitâ in obedientiâ ergà Deum. 57
Cap. XVII. Qualiter anima in ſe procurare debeat Echo ſpiritualem, in quo Deus ſibi placet. 60
Cap. XVIII. Quid ad ſpiritualem Echo requiratur, & quàm fidelis Deo debeat eſſe anima. 64
Cap. XIX. Caſtè viventes multa habent certamina, & qualiter ad ea ſe diſponere debeant. 68
Cap. XX. De præmio & mercede Caſtitatis, in cujus agone certantes Deum recreant. 73
Cap. XXI. Caſtitas eſt margarita Evangelica & arrha ſponſi cœleſtis. 76
Cap. XXII. Caſtitas eſt rubus Moyſis. 78
Cap. XXIII. De pulchritudine Caſtitatis. 81
Cap. XXIV. Caſtitas eſt theſaurus abſconditus, & Paradiſus plenus gratiarum. 83
Cap. XXV. De æternâ mercede & laureolâ caſti-

CAPITVM.

castitatis. 85
Cap. XXVI. Oratio eſt efficax remedium ad conſervandam caſtitatem. 88
Cap. XXVII. Sobrietas & mortificatio ſunt neceſſaria ad cuſtodiam caſtitatis. 90
Cap. XXVIII. Sacra Communio eſt efficax remedium pro conſervandâ caſtitate. 93
Cap. XXIX. Conſervandæ caſtitati fugâ conſulendum eſt. 95
Cap. XXX. Oleum divini amoris eſt neceſſarium in palæſtrâ caſtitatis. 97
Cap. XXXI. Puritas cordis eſt Carmelitis maximè propria vi ſuæ profeſſionis 100
Cap. XXXII. In quo conſiſtat puritas cordis Carmelitis propria. 102
Cap. XXXIII. Quanta diligentiâ puritas cordis acquirenda ſit & conſervanda. 104
Cap. XXXIV. Qualiter puritas cordis procuranda ſit. 106
Cap. XXXV. Qualiter animam ab omnibus terrenis immunem ſervare oporteat. 110
Cap. XXXVI. Non in creaturis, ſed in ſolo Deo quieſcendum eſt. 112
Cap. XXXVII. Alia media ad acquirendam & con-

& conſervandam puritatem cordis. 117
Cap. XXXVIII. *Pauci intendunt veram cordis puritatem.* 119
Cap. XXXIX. *Ad cordis puritatem non ſufficit vitare peccata: quomodò cor mundum creetur.* 121
Cap. XL. *Quinam apti ſint ad puritatem cordis.* 124
Cap. XLI. *De delectationibus eorum, qui mundo ſunt corde.* 127
Cap. XLII. *Quomodò anima conſequi poſſit gaudium mundi cordis.* 129
Cap. XLIII. *Qualiter S. Tereſia & B. Magdalena de Pazzi ad ſanctitatem venerint per puritatem cordis.* 132
Cap. XLIV. *Paupertas eſt fundamentum perfectionis.* 135
Cap. XLV. *Paupertas eſt principium & mater omnium virtutum.* 138
Cap. XLVI. *Qualiter Chriſtus amaverit, & æſtimaverit paupertatem.* 141
Cap. XLVII. *Chriſtus amavit paupertatem ut ſponſam. Ipſa amanda etiam ut nutrix.* 143
Cap. XLVIII. *Quantoperè Deipara Virgo paupertatem dilexerit.* 146
Cap. XLIX. *Paupertas eſt acceptabile Deo ſacrificium omnium creaturarum.*

Cap.

CAPITVM.

Cap. L. *De magnâ utilitate Paupertatis.* 151.
Cap. LI. *Pauperes emerunt cœlum; paupertas amanda exemplo Sanctorum.* 154.
Cap. LII. *Suavis & quieta vita pauperum.* 158
Cap. LIII, *Pauperes nil timent, vivunt ubique ſecuri.* 160
Cap. LIV. *Paupertas comparatur fornaci Babylonis, in quâ juſti manent illæſi.* 163
Cap. LV. *Pauperes in oratione facilè à Deo exaudiuntur.* 166
Cap. LVI. *Quomodò paupertas ſpiritûs amanda ſit, & in ſuâ puritate conſervandâ.* 168
Cap. LVII. *Quàm nociva proprietas; & quomodò creaturis utendum ſecundùm paupertatem.* 174
Cap. LVIII. *Omnis proprietas abjicienda per exercitium paupertatis.* 176
Cap. LIX. *Oportet paupertatem libenter experiri, ut ſimus liberi à multis imperfectionibus.* 179
Cap. LX. *De mercede pauperum in hac vitâ.* 183
Cap. LXI. *De mercede pauperum poſt hanc vitam.* 186

INDEX CAPITUM.

Cap. LXII. *De perfectâ paupertate ſpiritûs; qualiter Chriſtus eam docuerit.* 188
Cap. LXIII. *In quo conſiſtat perfecta paupertas ſpiritûs, ad quam Carmelitæ vocati ſunt.* 191
Cap. LXIV. *Paupertas ſpiritûs proximè diſponit ad proximam cum Deo unionem.* 194
Cap. LXV. *Deſcribitur ulteriùs paupertas ſpiritûs.* 196
Cap. LXVI. *Quomodò paupertas perfectiſſimè exercenda, & Deo immediatè inhærendum.* 198
Cap. LXVII. *Vnio amoroſa cum Deo non debet eſſe ſenſibilis, & poteſt eſſe perfectior in ariditate.* 203
Cap. LXVIII. *Deus ſæpè ſubtrahit omnem ſenſibilem gratiam ad majorem animæ utilitatem.* 207
Cap. LXIX. *Perfecta paupertas ponit animam in Deo cum oblivione creaturarum.* 210
Cap. LXX. *Status derelictionis magis homini convenit.* 212
Cap. LXXI. *Humilis nunquam conqueritur de internâ derelictione, ſed potius, dum à Deo prævenitur.* 215
Cap. LXXII. *In quo conſiſtat perfectiſſima paupertas ſpiritus.* 218.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITVM TRACTATUS SECUNDI.

PROOEMIVM. 223

Cap. I. *In quo conſiſtat perfectio Carmelitica; ſcilicet in puritate cordis & familiari converſatione cum Deo.* 225

Cap. II. *Finalis hæc Carmelitarum perfectio eſt valde excellens, & inchoata Beatitudo.* 228

Cap. III. *Exemplum Sancti Patris Eliæ docet finalem noſtram perfectionem eſſe converſari cum Deo.* 230

Cap. IV. *Solitudo, ſilentium, & mortificatio in Regula noſtra ordinata, evincunt finalem noſtram perfectionem eſſe converſationem cum Deo, & mundiciem cordis.* 233

Cap. V. *Vita activa eſt etiam juxta propoſitum Carmelitarum; ſi benè exerceatur.* 238

Cap. VI. *Exemplum Patrum noſtrorum docet partem inſtituti Carmelitici eſſe vitam activam.* 241

Cap. VII. *Modus vitam activam connectendi vita contemplativa per Charitatē* 244

INDEX

Cap. VIII. *Modus faciendi exteriora opera ſine impedimento interiorum, per fidem Divinæ præſentiæ, aut per obedientiam.* 247

Cap. IX. *Modus etiam exteriora opera perfectè faciendi, & accendendi igne Charitatis.* 249

Cap. X. *Omnia opera conformanda ſunt Regulæ rectæ intentionis.* 253

Cap. XI. *Praxes rectæ intentionis in operibus habendæ. De intentione Chriſti, & Beatorum.* 254

Cap. XII. *De Deiformi intentione quam habet SS. Trinitas in omnibus operibus.* 257

Cap. XIII. *De excellentia Regularum Monaſticarum in communi.* 259

Cap. XIV. *Dignitas Regulæ Monaſticæ, quia eſt effectus divini intellectûs, & voluntatis.* 263

Cap. XV. *Obſervatio Regularum eſt valdè utilis ad acquirenda ſpolia multa* 265.

Cap. XVI. *Obſervatio Regularum cauſat magnas divitias, etiam centuplum in hac vita.* 268

Cap. XVII. *Deteguntur ulteriùs maxima bona, & lucra Regularis obſervantiæ.* 272

Cap.

CAPITUM.

Cap. XVIII. *Obſervantia Regularis eſt ſuavis & delectabilis propter internam unctionem.* 275

Cap. XIX. *Obſervantia Regularum eſt delectabilis propter ſecuritatem conſcientiæ, mortificationem paſſionum, & adimpletionem divinæ voluntatis.* 278

Cap. XX. *Carmelitis æſtimanda ſua Regula, utpote formula vivendi juxta eorum propoſitum.* 282

Cap. XXI. *Extra Ordinem non ſunt quærenda media ad noſtram perfectionem.* 284

Cap. XXII. *Carmelitæ magni facere debent Regulam ſuam, quia exprimit vitam, & virtutes Sanctorum Patrum Eliæ & Eliſæi.* 287

Cap. XXIII. *Regula Carmelitarum perhibet quòd habeant ſucceſſionem hæreditariam à S. Prophetâ Elia.* 295.

Cap. XXIV. *Regula Carmelitarum eſt ipſis æſtimanda quia exprimit Vitam Deiparæ Virginis, propter quod & Fratres D. Virginis vocantur.* 299

INDEX CAPITVM TRACTATVS TERTII.

PROOEMIVM. 309

Cap. I. *Vnicuique vivendum juxta ſuã vocationem, quæ in Carmelitis cœleſtis eſt.* 313

Cap. II. *Pars Carmelitarum optima, vacare Deo, ad quod ipſis non deſunt media.* 315

Cap. III. *Tria potiſſimùm neceſſaria ad vitam myſticam, ſolitudo, ſilentium, & mortificatio, de ſolitudine externâ & internâ.* 317

Cap. IV. *Silentium eſt bona diſpoſitio ad vitam myſticam.* 321

Cap. V. *De ſilentio interno.* 325

Cap. VI. *Mortificatio planè neceſſaria ad vitam myſticam.* 327

Cap. VII. *Quid ſit Deo vivere, & quomodò ad hoc conducat Theologia myſtica.* 330

Cap. VIII. *Quam facile & neceſſarium ſit exercitium divinæ præſentiæ.* 332

Cap. IX. *Quomodò fides divinæ præſentiæ adhuc perfectiùs exerceri poſſit.* 335

Cap.

Digitized by Google

INDEX

Cap. X. *Oportet videre Deum operantem omnia in omnibus.* 440
Cap. XI. *Quàm circumſpecta & ſimplex fiat anima per exercitium præſentiæ Dei.* 343
Cap. XII. *Ulterior inſtructio ad videndum Deum in omnibus operantem; quàm hoc ſit delectabile.* 346
Cap. XIII. *Quomodò ſeſe anima gerere debeat in ſtatu derelictionis, per nudam fidem.* 350
Cap. XIV. 2. *Pars Theologiæ myſticæ conſiſtit in conformitate cum voluntate Dei.* 354
Cap. XV. *Cognoſce voluntatem Dei per obedientiam, quam relinquere periculoſum eſt.* 358
Cap. XVI. *Religioſi extrà obedientiam fruſtra laborant, & plerumque ſine merito.* 360
Cap. XVII. *Superiores non facilè indiſcretionis arguendi; ab illis diſcenda voluntas Dei cum gaudio, ſive concedant, ſive non.* 367
Cap. XVIII. *Religioſus ſequens obedientiam rectè vadit ad Deum, eſtq; illi ſemper benè.* 372
Cap. XIX. *Felicitas Religioſorum, quia ad omnia opera obedientiæ paratam ha-*

Capitum.

habent gratiam Dei, non ità ad alia. 375
Cap. XX. *Qualis eſſe debeat Obedientia, ut ſit Deiformis.* 380
Cap. XXI. *Conformitas cum voluntate Dei eſt facilis animæ in fide exercitatæ & Deum amanti.* 383
Cap. XXII. *Inſtructio ad conformitatem cum voluntate Dei in communiter accidentibus.* 387
Cap. XXIII. *Deiformis anima ſe totaliter Deo committit, non ſine difficultate in principio.* 391
Cap. XXIV. *Qualibet creaturæ extra Deum conſiderata diſtrahant & turbant; ſecùs conſiderata in Deo.* 396
Cap. XXV. *Quomodò anima ſe gerere debeat, dum partem inferiorem ſentit turbari.* 400
Cap. XXVI. *De habendâ in omnibus bonâ intentione.* 407
Cap. XXVII. *Vita noſtra vitæ Chriſti conformanda, ut ſit Deiformis.* 410
Cap. XXVIII. *Praxis Deif. intentionis.* 415
Cap. XXIX. *Explicatio præcedentis intentionis cum alia praxi ejuſdem.* 417
Cap. XXX. *Quomodo cum libertate ſpiritûs ſequi oporteat internam directionem in oratione.* 421

IN-

INDEX CAPITUM TRACTATUS QVARTI.

PROOEMIVM. 429
Cap. I. Quomodò anima per activam annihilationem poſsit acquirere orationem ſimplicitatis. 433
Cap. II. Quomodò anima in ariditate ſe gerat & ſolâ Dei eſſentiâ contentetur. 435
Cap. III. De oratione quietis & fructibus ejus. 439
Cap. IV. De perfectiori oratione quietis, ac de aliquâ obſcurâ claritate. 442
Cap. V. De oratione introverſivâ. 445
Cap. VJ. Alius modus ſeu praxis internæ orationis. 448
Cap. VII. Alia methodus orationis internæ. 451.
Cap. VIII. Anima devota ſe perfectè gerit in externis occupationibus & converſatione. 454
Cap. IX. Quomodò anima devota ſe habeat in contemplatione myſteriorum v. g. mortis Chriſti. 456
Cap. X. Oratio ordinaria ſimplicitatis, per noſtram coöperationem. 459

Cap.

INDEX.

Cap. XI. *Anima per ſuam negligentiam in ariditate relicta, humiliando ſe reſtauratur.* 462
Cap. XII. *Anima perfecta quærit Deum ſecundùm ſe, non in ejus donis.* 466
Cap. XIII. *De Amore Dei ſine proprio intereſſe, & de reſignatione ſui.* 470
Cap. XIV. *Anima in intimâ oratione certo modo fruitur Dilecto ſuo.* 472
Cap. XV. *Poſt orationem quietis remanet tranquilla diſpoſitio animæ.* 474
Cap. XVI. *Intimæ operationes ſpiritûs cum amiſſione omnium creaturarum in Deo.* 477
Cap. XVII. *Transformatio animæ in Deũ.* 480.
Cap. XVIII. *Propria activitas multùm hîc impedit, quomodò illa cognoſcenda & compeſcenda.* 483
Cap. XIX. *Differentia vitæ contemplativæ & ſupercontemplativæ.* 486
Cap. XX. *Differentia inter vitam contemplativam vel ſupercontemplativam, & meditativam vel naturaliter contemplativam.* 491
Cap. XXI. *Spiritus Dei non eſt otioſus in animâ, ſed operatur omnia juxta exigentiam.* 496
Cap. XXII. *Quo ſpiritu, & quomodò omnia*

Digitized by Google

nia ſint agenda. 500

Cap. XXIII. *Omnia in ſpiritu agenda, in ſimplicitate, cum excluſione omnium, quæ naturæ ſunt.* 506

Cap. XXIV. *Oratio vocalis & alia opera poſſunt per ſimplicitatem quaſi in ſpiritum verti, cum obſervatione interni luminis.* 510

Cap. XXV. *Omnia opera juxtà cujuſque ſtatum in ſpiritu agenda ſunt.* 516

Cap. XXVI. *Differentia Religioſorum ab aliis, ad Deo in omnibus certò placendum.* 519

Cap. XXVII. *Animæ amoroſæ modus orandi activè & ſimpliciter in ſpiritu, & juxtà impetum amoris.* 522

Cap. XXVIII. *Oratio ſimplicitatis fit cum facili excluſione partis ſenſitivæ.* 529

CAP. XXIX. *Oratio interna ſolitudinis quomodo fiat.* 534

Cap. XXX. *Fortis dilectio facit animā ſibi, & creaturis mori, eamq; roborat in tentationibus.* 536

Cap. XXXI. *Fructus aliqui orationis ſolitudinis.* 539

Cap. XXXII. *Anima fidelis poſt introverſionem fideliſsimè ſequitur voluntatem Dei in omnibus: ſentit aliquam indiſpoſitionem corporis.* 543

Cap.

INDEX CAPITVM.

Cap. XXXIII. *Anima illuminata humiliter de ſeipſâ ſentit, quaſi eſſet cauſa omnium malorum.* 547

Cap. XXXIV. *Aliud humile ſentire aliquarum animarum illuminatarum.* 552

Cap. XXXV. *Converſatio humilis animæ, ſive præſit aliis, ſive ſubſit.* 555

Cap. XXXVI. *Humilitas eſſentialis facit animam idoneam ad magnam perfectionem.* 561

Cap. XXXVII. *Anima in virtutibus conſummata etiam in derelictione Deo fidelis manet.* 565

Cap. XXXVIII. *Perfecta vita Carmel. & quinam ad illam ſint idonei.* 573

Cap. XXXIX. *Vnica hæreditas Carmel. eſt, vacare Deo; quid ad hoc requirat.* 474

Cap. XL. *Vita mixta eſt neceſſaria ad fructum in proximo faciendum.* 475

Cap. XLI. *Vita mixta humano-divina à lib. arbitrio & gratiâ Dei procedens.* 477

Cap. XLII. *Vita humano-divina principaliter procedit à gratiâ, eſtq; Carmelitis neceſſaria.* 480

Cap. XLIII. *Proſecutio unicæ partis Carmelitarum.* 484

Cap. XLIV. *Concluſio hujus Tractat. de vitâ divinâ in monte Carmelo.* 489

FINIS.

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITT...

Digitized by Google

Digitized by Google